





TAYLOR · INSTITUTION
DOMI NUS ILLU MINA TIO MEA




TAYLOR INSTITUTION
DOMI NUS ILLU MINA TIO MEA





mentarii luce donarentur, cum mihi primum a Sacror. Rituum Congregat. Consultoribus non modo propositum, sed etiam persuasum est; statim me impulit ad rem perficiendam, & clarissimo Vestro Nomini dedicandam. Neminem quippe magis decebat, LOPESII scripta promulgare, quam eum, cui esset cura Scriptoris causam ad beatificationem, canonizationemque in hoc celeberrimo Senatu promovendi: neque alios Patronos tanti ingenii monumenta patiebantur, quam qui corporis reliquias apud se perpetuo colendas haberent. Jam vero illa merita, quae sibi potissimum vindicare solent, quotquot prodeunt, librorum inscriptiones, dignitas, doctrina, probitas, beneficentia, humanitas, tanta in Vobis esse intelligo, ut jure suo a me repetere videbantur istud officii. Nam ut de splendore Vestrae

Di-

Dignitatis, quam ſublimioribus Urbis Eccleſiarum veriſſime comparo, nihil dicam; profecto morum, & doctrinae ea de Vobis non modo apud cives, ſed etiam apud longinquos opinio invaluit, ut earum imaginem ſibi potius ad admirandum, quam ad imitandum propoſitam putent. Id quoniam pluribus probari non eget, unum dumtaxat, quod eſt moderati animi, ac prope ſingularis argumentum, ne longus ſim, proferam. Nuper enim aliqui Veſtrum quum non induſtria, aut fortuna, ſed adjumento virtutum, imprimiſque earum, quae virum, qui praeeſt, maxime decent, ad ſummorum Epiſcopatuum gradus fuerint evecti, inire prorſus recuſarunt, de ſe ipſi tam demiſſe ſentientes, ut ea opinio, quae erat de eorum in inſtituendis populis, regendiſque facultate, mirifice aucta fuerit, & longe lateque propaga-

ta. Sed neque tacitus praeterire ullo modo possum, quod rem, de qua ago, magis spectat, eximiam omnium Vestrum pietatem, ac religionem: quippe omnia, quae in Vobis sunt, esse autem plurima intelligo, ita in LOPESIUM confertis, ut magnus ad cultum, & publicos honores factus sit ejus causae progressus. Haec saepe mecum cogitans, & memoria repetens non satis esse Vobis factum videbam, istud muneris offerre, quod omnibus nominibus debebam; ideoque consilium coepi mittendi ad Vos etiam, dedicandique cum quinque selectis sancti THOMAE AQUINATIS Opusculis libellum NICOLAI ESCHII de spiritualibus exercitiis inscriptum, ut ex mea voluntate aliquid proficisceretur non ad aequandam vestrorum magnitudinem meritorum, sed meum erga Vos studium perpetuo signi-

gni-

gnificandum. Nam quum Mexicanorum ingenium de rebus, iisque praesertim, quae ad bene, beateque vivendum pertinent, semper aliquid audiendi, discendique cupidissimum, aptissimumque coram agnoverim: librorum tamen, unde proficere possint, inopiam animadverterim; facturum me Vobis rem jucundissimam, ac Vestris hominibus apprime utilem duxi, si parvi voluminis copiam facerem, quod plurimorum loco esse potest tum propter doctrinae praestantiam cum summa brevitate, claritateque conjunctam, tum propter Authorum pietatis, ac sapientiae celebritatem. Hoc meum consilium a Vobis eo animo susceptum iri confido, quo synopsim *De Studioso Bibliorum* paulo ante suscepistis. Pro tanta autem in me benevolentia, & maximis collatis beneficiis etsi nullam

habeo gratiae referendae facultatem, precor tamen a Deo Optimo Max., ut vos ſoſpites, & incolumes diu eſſe velit, ac beatos efficere.

F. BERN.

F. BERN. MEMBRIVE ORD. PRAED.
Sac. Th. Mag: Scotiae Provincialis:
APUD
CATHOLICUM REGEM
Concionatoris:
AUGUSTI III. POLONIAE, ET JACOBI III.
BRITANNIAE REGUM
Theologi:
Sacrorum Rituum Congreg. Consultoris:
ET V. GREGORII LOPESII CAUSAE
In Urbe Postulatoris

AD LECTOREM

PRAEFATIO.



Uum mihi semper usque ab adolescentia persuaserim, in edendis libris operam abuti, qui non publicae utilitati consulat, sed sui nominis famam quaerat; illud esse consilii capiendum putavi, ut novas res saepe a veritate abhorrentes, aut saltem periculi plenas investigandi facultatem concedens aliis, ad eruenda, restituendaque nonnulla vetera, quae sapientum consensione virorum probata essent, quidquid operae, quidquid industriae possem, impenderem. Igitur postquam ex pluribus sacro-

crorum Rituum Congregationis Consultoribus accepi, factarum me pretium causae Venerabilis Gregorii Lopesii, *si quos ille ab Hispano Religioso jussus absolvit diebus octo in Apocalypsim commentarios, luce donarem; statim curavi ex Hispanico Authoris sermone latinos facere, & cum ad ejus privatas rationes, tum in commune hominum commodum, usumque proferre. Neque enim eos dubito, allaturos fore plurimum boni, quos summi viri, qui de rebus judicare possunt, honoris causa commemorarunt, studioseque legere, & admirari cupierunt* (a). *His opuscula quinque* S. Thomae Aquinatis, *&* Nicolai Eschii *de spiritualibus exercitiis libellum adjunxi: quorum doctrina proficere, magis experiendo cognosces, quam ego possim dicendo explicare. Silentio tamen praetereundum non est; vel unum illud Opusculum, quod de articulis Fidei, & Ecclesiae sacramentis inscribitur, ita fuisse a Moguntinae Synodi Patribus commendatum, ut in cunctis suae Provinciae, vel Dioecesis Conciliis imposterum legi, atque eo uti omnes Paroeciarum rectores debere decreverit* (b). *Ac de Eschio quidem, si ceteri deessent, Surium habeo, qui fere divinum illud opus appellat, locupletissimum testem* (c).

Sed haec praeclare fuisse ab eis scripta, quos laudibus effero, inficiaturum arbitror neminem

(*a*) Vid. Jac. Bossuetii praefation. in Apoc. inter ejus oper. tom. 2. edit. Paris. 1747.

(*b*) Vid. Collection. Concilior. Labbeanam ad ann. 1451. tom. 19. edit. Venet. 1732.

(*c*) Vid. ejus Praefation. hic pag. 379.

minem. Mei autem consilii rationem, cur singulorum adeo diversa conjunxerim, fortasse aliquis quaeret. Quod etsi frustra quaeri non videatur, tamen certum est, quid respondeam. Ego enim sic sentio: universum hominum genus ita esse veluti a natura comparatum, ut qui ingenio plurimum praestant, hi ad res difficiles, & perobscuras cognoscendas totum adhibeant & tempus, & diligentiam. Aliis vero ea de studiis sit firma sententia: Christiano viro nihil esse tantopere inquirendum, quam, quae ad Religionem, & mores divinis praeceptis conformandos conferre possit, disciplinam. Denique ceteros pudeat, ita sese litteris abdere, ut nihil inde animus caelestium contemplatione reficiatur, ac veluti corporis custodiis liberatus in Dei Opt. Max. consuetudine conquiescat. Quapropter nemo potest me jure reprehendere, si quantum plerique Scriptores multis libris ad haec singula hominum studia, tantum ego ad universa excolenda uno libello susceperim. Nam si liceat sententia Hieronymi sacra Biblia pelagus appellare, quo Elephas ambulet, profecto nihil a me amplius effici poterat ad obsequendum illorum ingenio, quos primo commemoravi, quam sapientis, atque optimi viri Commentarios proferre in eam Bibliorum partem, quae tum occultarum, tum mirabilium rerum copia, ac magnitudine ceteras antecellit. Jam vero ad componendos mores, colendamque virtutem quid selectis quinque Opusculis aptius, quid adferri validius poterat? Quandoquidem totam eorum, quae credere, quae optare, quaeque agere debea-

beamus, scientiam continent, quam ipse Author principio constituit, saluti esse sempiternae necessariam. Postremo ut ad eam vitae rationem, qua Deo adhuc mortalis homo jungitur, perveniri facile possit, satis consultum esse arbitror eximio duce, ac praeceptore, sine quo inanis profecto ad res hujusmodi solet esse contentio.

Utere igitur, quae te, Lector, juvare magis possit, operis parte: meamque fidem in priore interpretanda, in altera vero illustranda diligentiam, quâ collata sacrarum Scripturarum loca, & notulae in margine quasi vinculo argumenti conjunctae maximam lucem afferunt, sic accipito, ut non aliam, quam tuae utilitatis mercedem postulent. Vale.

APPROBATIO.

Mandato Reverendissimi P. M. Joseph Augustini Orsi Sacri Palatii Apostol. Magistri obsequuti summo animi oblectamento praeclarum Opus evolvimus, quod continet & *Venerabilis* GREGORII *Lopesii Commentationes in Apocalypsim ex Hispano in latinum traducta:* a Reverendissimo P. M. Bernardino Membrive Ordinis Praedicatorum, ejusdem Beatificationis Causae vigilantissimo Postulatore; *Quinque Opuscula Doctoris Angelici S Tomae Aquinatis*; & denique *Exercitia Nicolai Eschii* cum *Hymno Sancti Casimiri ad B. V. Mariam*. Inter perlegendas ea, qua licuit, diligentia, Lopesii Commentationes nihil omnino Orthodoxae Fidei, bonis Moribus, sanaeque doctrinae dissonum, aut contrarium deprehendimus; quin potius putavimus, quod homo litterarum expers ita profundos allegoricos Apocalypsis sensus explanare non valeret nisi a Patre luminum eosdem hausisset. In Opusculis Doctoris Angelici, & Exercitiis Eschii undequaque fragrant purissimae Ascesis Dogmata, quae ad Fidelium mores formandos, virtutesque omnes comparandas aptissima sunt; nam alios praestantiores, tutioresque Magistros ingenii nostri tenuitas hucusque non novit. Idcirco dignissimum censemus, & utilissimum, quod hoc Opus melioribus typis & excudatur, & recudatur, vehementi desiderantes, ut prae omnium manibus habeatur; quia in eodem, ut sanctus Ambrosius ait: *plus est, quod probatur aspectu, quam quod sermone laudatur*. Ita, salvo meliori &c.

Ex Aedibus s. Caroli ad quatuor fontes de Urbe die 28. Februarii 1756.

Fr. Franciscus a Spiritu S. Ord. Discalc. Ss. Trinit. Sac. Congr. Indulgentiar., Sacrarumque Reliquiar. Consult., S. R. & Univers. Inquisition. Qualif. ejusdemq; Ordin. General. Scriptor &c.

Datum in Domo Oratorii S. Hieronymi Charitatis die 7. Martii 1756.

Josephus Catalanus ejusdem Oratorii Presbyter.

I M-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſt. Mag.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtant. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Vinc. Elena Reverendiſs. Patris Magiſt. Sac. Pal. Apoſt. Soc.

RERUM GESTARUM

A VENERABILI SERVO DEI

GREGORIO LOPESIO

COMPENDIUM CARMINE EXPOSITUM.

Grandia Lopesii, cui dives Iberia cunas,
Et tumulum America extremis donavit in oris,
Facta cano. Sed quae memoranda, insuetaque Terris
Exhibet, ac caelo primis spectacula ab annis?
Integra lustra duo nondum compleverat, hujus
Pertaesus mundi illecebras, patriaque, domoque
Clam sese eripiens, & opes, ac commoda spernens,
Navarrae fines, divo inflammatus amore,
Impatiensque adit, atque Viro, quem fama canebat
Sublimem meritis, inter loca inhospita, & altis
Degentem in sylvis, ac caeli luce fruentem,
Sese informandum tradit. Sex circiter annos
Hic humilem vitam, strepitu semotus ab omni,
Solaque praegustans caelestia gaudia mente
Sorte sua contentus agit. Sed, patre jubente,
In patriam invitus revocatur, & inter ephaebos
Hispani Regis dare nomen cogitur, antra
Urbis cum strepitu immutans, aulaeque tumultu.
Quam votis inimica suis foret aula, probavit
Exitus; Inde fugam primis nam coepit ab horis,
Et reditum in sylvas meditari: Virginis ergo
Praesidium implorat, dubiisque in rebus ab ipsa
Consilium, lumenque rogat: duce Virgine, tandem
Grande opus exequitur, quin illum curà parentum,
Vanaque spes, splendorque aulae remoretur euntem:

*Conscendit navim, placidisque afflantibus auris,
Pergit in Americam: peragratis aequoris inde
Immensi spatiis, Verae Crucis attigit oras.
Hic vestes, aurum, pretiosaque quaelibet, una
Contentus tunica, divino & Codice; donat
Cetera pauperibus; sic pondere liber ab omni
Hujus Regna novi ingreditur vastissima mundi.
Hic septem prope lustra, cavis modo conditus antris,
Nunc inter populi strepitus, ac Oppida, & Urbes
Angelicam traxit vitam; paulumque moratus,
Quae prima Americae reperitur, Mexici in Urbe,
Chichimeccos iter ad populos meditatur, & explet.
Est ea gens truculenta, ferox, qua mitior esset
Ursa, Leaena, Tigris, formidandique Dracones;
Tanta quibus rabies, ac indignatio, tantus
Livor in Hispanos, ut, si quem forte viderent,
Dentibus irruerent avidis, vivumque vorarent.
Hos inter populos sylvis exceptus, & antris
Versatur plures Juvenis sanctissimus annos,
Et solo vivens contentus pane, cubansque
In nuda prostratus humo; caelestia semper
Noctes, atque dies meditans, tot pandere caepit
Virtutis radios, ut, quamvis effera primum
Gens ea mirari, sensim mansuescere, tandem
Illi praesidio, paleis, & vimine textam
Sylvestrem, tenuemque casam dum conderet, esse
Debuerit; tanto excellens rapit impete virtus
Immanes etiam populos; praeclara sed ejus
Amplaq.; facta, quibus sylvas dudum explet, & Urbes,
Innuo, non refero, siquidem distinguere versu
Singula, quae gerat intrepidus, quae pectore forti
Sustineat, nostris labor impar viribus esset.
Nunc ergo latet in sylvis, animoque beatas*

Ad

Ad caeli sedes assurgit; plena ferarum
Antra modo fugiens, spatiatur in Urbibus, illum
Sed vi consilii, medica sive arte juvando.
Huic exponendo nostrae mysteria legis,
Seu loca Scripturae, quae sunt minus obvia captu,
Clare explanando. Vicinas, atque remotas
Sed volat Americae jam nuncia fama per Urbes,
Atque novi extremis veniunt e partibus Orbis
Certatim populi, quibus est spes una videndi
Insignem pietate Virum; jam plausibus illum
Excipiunt, pendentque ejus dicentis ab ore,
Et quasi prodigium spectant; communis at hostis
Saepe etiam populorum animos avertere tentans
Plura vomit contra, insimulans erroris, & illum
Haereseos damnans: sed victrix denique virtus
Clarior emergens palma majore triumphat.
Ardua res esset, mihi si memorare labores
Mens foret: insomnes quoties traducere noctes
Debuerit: quoties sedare famemque, sitimque
Exigua nec aqua, modica nec pane dabatur:
Quot saepe aerumnas, quot saepe incommoda, & acres
Sustineat dudum constanti robore morbos:
Quot loca, quot sylvas, prærupta quot antra, quot urbes,
Quot populos adeat, quot ubique augusta relinquat
Semina virtutum. Sed merces, atque corona
Denique justitiae meritis reddenda; beatas
En felix Anima ad sedes, ac Numinis aulam
More triumphantis pergit, dum flexile corpus
Interea remanens caelestem spirat odorem.
Continuo accurrunt populi, vestesque, sacrasque
Exuvias avidi rapiunt, queis plurima patrat
Prodigia Omnipotens: contactu vestis ab acri
Hic febri liber, capitisque doloribus ille,

Alter apoplexi, leprae foetoribus alter,
Ille lue Veneris, mortis discrimine plures.
At modo quid superest, nisi quod, sanctissime Princeps,
E Petri cathedra, morum, Fideique Magistra,
Eximio Heroi meriti reddantur honores,
Ac illum sacras tandem veneremur ad Aras?
Votaque non unus, geminus tibi porrigit Orbis:
America id supplex, supplex Hispania poscit.

Nadisti Mantinaei P. A.

PROTESTATIO.

PRofiteor obedientiam Decretis ab Apostolica Sede emanatis super iis, asseroque cuncta proponere, non ut a Sede Apostolica approbata, sed solum tamquam Historiam humanam, nec intendo cultum arrogare vel famam Sanctitatis inducere, aut gradum ad Beatificationem, & Canonizationem facere, sed omnia in suo statu relinquere.

FINIS.

GRE-



GREGORII LOPESII,

COMMENTATIONES

In Apocalypsim sancti Johannis

Ex Hispanico in Latinum conversæ.

CAPUT I.



Unc librum Redemtor hominum Christus ad septem Ecclesias mittit, quas septem candelabrorum aureorum, earum vero Episcopos septem stellarum, sive Angelorum nominibus appellat.

APOCALYPSIS (quod verbum manifestationem significat) *Jesu Christi, quam dedit illi Deus*, etenim redemtoris nostri humanitati divinitas demonstravit, *palam facere servis suis* id est Christianis, *quæ oportet fieri cito*; continuo enim fieri cœpta sunt; *& significavit* significationibus ac figuris, *mittens per Angelum suum servo suo Johanni* Evangelistæ, *qui testimonium perhibuit verbo Dei*, quoad divinitatem, *& te-*

ſtimonium Jeſu Chriſti, quod ſpectat humanitatem, *quæcunque vidit*. Ac de maxima hujus libri præſtantia ſic proponit: *Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ hujus*; quodque non id ſatis eſt, idcirco addit; *& ſervat ea, quæ in ea ſcripta ſunt*: nimirum, quæ præcipiuntur, faciendo, quæque promittuntur, credendo; *tempus enim eſt prope*, ut fieri incipiant.

Nunc ſeptem Eccleſias Aſiaticas alloquens, quarum præcipue cauſſa hæc ſcribit; *Johannes*, inquit, *ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia. Gratia vobis, & pax ab eo, qui eſt* æternum, *& qui erat*, ante ſecula, *& qui venturus eſt* judex vivorum, ac mortuorum; *& a ſeptem Spiritibus*; ſignificantur autem ſeptem virtutes, quæ a ſancto Spiritu proficiſcuntur, aut ſeptem Angeli principes, *qui in conſpectu throni ejus ſunt, & a Jeſu Chriſto, qui eſt teſtis* omnium, quæ fiunt, *fidelis*, ac verax, *primogenitus* mortuorum; nam primus fuit omnium, qui a mortuis excitatus fuerit, *& princeps regum terræ*; de his enim omnibus judicaturus eſt: *qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis noſtris in Sanguine ſuo, & fecit nos regnum*, nam ſunt probi homines regnum Dei, *& Sacerdotes*, quod Sacrificium juſtitiæ offerunt, *Deo Patri ſuo*; *ipſi gloria, & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.*

Jam de judicio, quod commiſſurus eſt Chriſtus, haec dicit: *Ecce venit cum nubibus*, ſunt autem nubes Sancti, *& videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*, Judaei nimirum, *& plangent ſuper eum omnes tribus terræ*, propterea quod Dei Filium humanam eorum natu-

ram

ram suscepisse, eorumque caussa afflictum fuisse, intelligent. Qua de re, rursus eum laudat, *etiam: Amen*. Nunc Deus haec loquitur: *Ego sum alpha, & omega, principium, & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens*. Jam vero redit Johannis Sermo. *Ego Johannes frater vester* secundum Spiritum, *& particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Jesu: fui* in exilio, *in insula, quae appellatur Patmos, propter verbum Dei, & testimonium Jesu: Fui in Spiritu in Dominica die, & audivi post me vocem magnam tamquam tubae, dicentis: quod vides scribe in libro*; scilicet ad Ecclesiæ solatium, *& mitte* imprimis *septem Ecclesiis, quae sunt in Asia, Epheso, & Smyrne, & Pergamo, & Thyatirae, & Sardis, & Philadelphiae, & Laodiciae*: Hae minoris Asiae urbes sunt, a Turcis occupatae, quae gens Gog, & Magog est. *Et conversus sum ut viderem vocem, quae loquebatur mecum: & conversus sum, & vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis*. Erat is Redemptor hominum Christus, qui custodiam ibi Ecclesiarum agebat: erantque Ecclesiae aureae propter eam, qua continebantur, laritatem. Addit autem Johannes, fuisse Christum *vestitum podere*: qua veste, caritas, patientia, & virtutes reliquae significabantur; quibus erat Christus a summo capite ad imos pedes quasi vestitus; *& praecinctum ad mammillas zona aurea*: nam zona pudicitiam, aurum caritatem demonstrabat: *Caput autem ejus, & ca-*

& capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix. Est enim Christi caput divinitas; cani vero aeternitatem ostendunt. *Et oculi ejus tamquam flamma ignis*, propter summam, quae inest ei, vim, facultatemque videndi, qua omnia perspicue cernit; *& pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti*: nam si cum divinitate, quam caput designat, humanitas, quae indicatur pedibus, comparetur, haec quasi aes quoddam cum auro collatum videtur: sed eadem tamen humanitas incensa est caritate: *& vox illius tanquam vox aquarum multarum*. Quemadmodum enim ex multis aquis multi, variique soni existunt; ita multis modis vox Christi animis hominum sonat. *Et habebat in dextera sua*, id est sua complectebatur gratia, *Stellas septem*: quae Stellae harum erant Ecclesiarum Episcopi. *Et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat*; est autem gladius Dei verbum; *& facies ejus sicut sol lucet in virtute sua*, splendore videlicet, quem emittebat. Quamquam faciei nomine Christi etiam caritas intelligi potest, quae nimirum splendet. *Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus*. Et ut mihi animos adderet, *posuit dexteram suam super me, dicens*, amantissime suavissimeque: *Noli timere: ego sum primus, & novissimus*, propter æternitatem divinitatis, *& vivus*, aeternum, *& fui mortuus*, nempe per humanitatem, *& ecce vivus sum*, ut homo sum, idque propter corporis restitutionem, *in secula seculorum, & habeo claves*, id est potestatem *mortis* tum animi, tum corporis; *& inferni*,

ferni, a quo nimirum integrum est mihi liberare quos velim. *Scribe ergo, quae vidisti, & quae sunt, & quae oportet* honoris mei, servorumque meorum utilitatis caussa, *fieri post haec.* Ac de stellis quidem, & candelabris explanans, haec addit: *Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea; & septem candelabra aurea: septem stellae, angeli sunt septem Ecclesiarum*: vocat autem Episcopos Angelos, propterea quod Angeli nomen nuncium sonat; erantque ii Episcopi Dei nuncii, qui nimirum Dei imperata Ecclesiis nunciabant; *& candelabra septem, septem Ecclesiae sunt.*

CAPUT II.

Ephesino, Smyrnensi, Pergamensi, & Thyatirensi Episcopis scribit.

ANgelo, nempe Episcopo, *Ephesi Ecclesiae scribe*; haec nimirum Redemptor Christus dictabat Johanni praecipiens ut scriberet: *haec dicit, qui tenet septem stellas*, id est Episcopos, *in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum*, hoc est Ecclesiarum, quae ornatae sunt caritate. Est autem animadvertendum hoc loco, Redemtorem Christum ea sibi nomina sumere, quae singulorum Episcoporum, quibus cum agit, praeclare gestis rebus, incommodisque ab iisdem defendendae adversus haereticos Ecclesiae caussa perlatis, conveniant. *Scio opera tua &c. Sed* (neque enim eo secius monere te volo) *habeo adver-*

ſum te, *quod* propter tuas multas occupationes; *caritatem tuam primam* erga me *reliquiſti*, ut ovium tuarum amori ſervires; quod etſi recte facis; mihique ipſi gratiſſimum eſt; non fuit tamen committendum tibi, ut a mei amore recederes, qui tibi amor, ad res omnes recte, atque ordine, multaque cum tranquillitate, ac utilitate agendas, ſummo erit uſui. *Memor eſto itaque unde excideris*; quae cauſa fuerit, quamobrem excideris, operamque dato, te ut reſtituas; *&* ſimul *age poenitentiam*; doleatque te, quod, neglectis obſecrationibus, a mei amore & conſuetudine diſceſſeris; praeſertim vero *prima opera fac*; nempe ad priſtinam caritatem revertere, niſi neglecti amoris dare mihi poenas velis, qui mihi amor gratus imprimis eſt, quoque officia omnia continentur, quae mihi praeſtare debes; *Sin autem*, *venio tibi*, nempe hanc poenam repetam, *& movebo* candelabrum tuum, id eſt eam, quam tantopere diligis, Eccleſiam, *de loco ſuo*, qui locus fides, & caritas ejus eſt, nimirum *niſi poenitentiam egeris*, dolens, atque in priſtinam mecum amicitiam rediens. Quo loco Chriſtus non tam minatus Epiſcopo fuiſſe, quam eum monuiſſe videtur, cum ille Dei quidem cauſſa ea faceret, amoremque aequis occupationibus diſtentus remiſiſſet. Itaque ut eum rurſus ad ſui amorem convertat, Eccleſiae, quam ille nimirum in oculis, ac deliciis habebat, malum minitatur. Tum vero ut Epiſcopum conſoletur, *Sed haec habes*, inquit, *quia odiſti facta Nicolaitarum*, *quae & ego odi*. Erat genus hoc hominum, qui Nicolaum quen-

dam

dam autorem ſecuti, omnia putabant, atque adeo rem, uxoreſque hominibus communia eſſe debere; qua de cauſſa ab his Epiſcopus abhorrebat. *Qui habet aurem*, id eſt qui bona eſt mente, *audiat quid Spiritus* Sanctus *dicat Eccleſiis*: nempe hominem hortatur ad colendam virtutem: *Vincenti*, nimirum cum ſtrenue pugnaverit, *dabo edere de ligno vitae, quod eſt in paradiſo Dei mei*. Eſt autem hoc lignum, ſapientia, quae homines ad capiendum ex Dei aſpectu, & conſuetudine fructum ducit. Porro animadvertendum eſt, aliquando Chriſtum ut Deum, nonnunquam vero ut hominem loqui. Atque ex homine quidem ſunt ea, quae ſequuntur: *Et Angelo Smyrnae Eccleſiae ſcribe: haec dicit*, jam ex Deo loquitur, *primus & noviſſimus*, qui neque coepit eſſe aliquando, neque eſſe unquam deſinet, *qui fuit mortuus*, nempe humanitate, *& vivit*. *Scio tribulationem tuam*, nam te mali inſectantur, *& paupertatem tuam*, nempe abs re familiari, *ſed* enimvero *dives es*, ſcilicet animi bonis: *Blaſphemaris ab his, qui ſe dicunt Judaeos eſſe*, ideſt probos, & conſentientes Deo: *& non ſunt*, cum non ſint ejuſmodi illorum facta, *ſed ſunt Synagoga Satanae*, quoniam veritati adverſantur, (nam Satanae nomen adverſarium ſignificat) *nihil horum timeas*, ideſt ne te metus capiat tempeſtatum, aut incommodorum, *quae paſſurus es*. *Ecce*, nam te hoc ſcire volo, *miſſurus eſt diabolus*, quod vobis quidem utile futurum eſt, *aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini*. Fuerunt enim aliquando noſtri in carcerem conjecti;

(quam-

(quamquam corpus fortasse carcerem appellat) tulitque Deus, ut tempestates in pudicitiam nostrorum a daemone concitarentur: *& habebitis tribulationem diebus decem*, hoc enim duntaxat spatio permissa daemoni saeviendi facultas est. Itaque admoneo te, *esto fidelis*, neve a me decedas *usque ad mortem & dabo tibi*, nimirum si haec feceris, *coronam vitae*, idest sempiternam felicitatem. *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis: qui vicerit non laedetur a morte secunda*, nempe ab inferno, nam prima est mors, quam affert lethale peccatum, animi a Deo alienatio, exclusioque a divino conspectu:

Et Angelo Pergami Ecclesiae scribe: haec dicit qui habet romphaeam utraque parte acutam: Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanae, qui assidue inter malos versatur; & quamquam tu cum his degas, nihilominus *tenes nomen meum* a quo illi tantopere abhorrent; nam ubi quis de affixo cruci homine nuntiat, Judaeos offendit, atque Ethnicis irridetur; & nihilosecius *non negasti fidem meam*, quamquam te illi insectentur; *& in diebus illis* non ita pridem, *Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos* (eam ob caussam; quod sequi se meam fidem profiteretur) *ubi Satanas habitat*, nempe inter malos, quibus cum vos ipsi versamini. *Sed habeo adversus te pauca*, in quibus negligenter fecisti, nimirum *habes illic*, quin, ita ut debueras, repugnaveris, *tenentes Doctrinam Balaam* Pseudo prophetae, illius scilicet, *qui docebat Balac* Regem Moabitarum *mittere Scandalum*

coram

coram filiis Israel; fuit autem scandalum, *edere*; ex quo alterum extitit, *fornicari*. *Ita habes & tu*, quin repugnes, *tenentes doctrinam Nicolaitarum*, qui eadem agunt; nam Balaam ante annos amplius mille fuerat. *Similiter poenitentiam age* negligentiae; *Si quo minus* feceris, neu falsae horum doctrinae restiteris, *veniam tibi cito*, nimirum in te animadvertam; *&* (praeterea) *pugnabo cum illis in gladio oris mei*; qui gladius scilicet verbum est meum, quo eos percellam; aliumque hominem, quo ad eam rem quasi instrumento utar, déligam, qui negotium multo, quam tu facis, diligentius curet. *Qui habet aurem*, *audiat*, *quid Spiritus* Sanctus *dicat Ecclesiis*. Atque ut eum consoletur, eique Spiritus addat, haec adjungit: *vincenti dabo manna absconditum*, id est, dum vitam mortalem hanc aget, animi gaudia; deinde vero, idque potissimum, sempiternam felicitatem, quae omnem continet delectationem, expletque omne desiderium: *& dabo illi calculum candidum*, nempe me ipsum, qui sum equidem propter humanitatem exiguus, maximus vero propter Divinitatem, *& in calculo nomen novum scriptum*, *quod nemo scit* (tanta ejus praestantia, est) *nisi qui accipit*; hujus enim nominis, nisi quis experiundo cognovit, suavitatem percipere nemo potest. Quo loco Christus humilitatis, quam dicimus, caussa, se ipsum lapillum appellat: simul pro temporis consuetudine loquitur, nam qui in ludis vicissent, ii ad testimonium victoriæ calculis, nominibus eorum inscriptis donabantur.

Et

Et Angelo Thyatirae Ecclesiae scribe : haec dicit filius Dei , qui habet oculos tanquam flammam ignis , & pedes ejus similes aurichalco . Novi opera tua , & fidem , & caritatem , & ministerium , & patientiam tuam , & opera tua novissima plura prioribus . Sed habeo adversus te pauca , quod permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten , docere , & seducere servos meos , fornicari , servire nimirum Deorum superstitionibus , *& manducare de idolothytis* . Fuit autem Jezabel , nam est id animadvertendum , Acabi uxor Regis Israelitarum , quae cum summam operam superstitioni daret , Prophetis cultui deorum addictis octingentis & quinquaginta stipendium pendebat , eademque Eliam prophetam vexavit . Itaque , quod deditos inani Deorum religioni plerosque homines in sua ditione Episcopus versari pateretur , propterea reprehenditur : itemque hæc adduntur , *& dedi illi* superstitioso hominum generi *tempus , ut poenitentiam ageret* , sui criminis , *& non vult poenitere a fornicatione*, idest a superstitione, *sua*. *Ecce* (animi oculis inspice) *mittam eam in lectum*, id est occasionem præberi meis probandi sui sinam . Sed tamen qui negligenter , disidioseque egerint , *& qui moechantur cum ea* , nempe qui fuerint superstitionem Deorum secuti (nam quod animus per superstitionem a Deo , qui sponsus illius est , recedit , ut lignea, lapideaque simulacra colat, superstitio ipsa animi fornicatio appellatur) *in tribulatione maxima erunt* , nimirum *nisi poenitentiam ab operibus suis egerint ; & filios ejus* idest gentis superstitiosae *interficiam in mor-*

morte aeterna, & scient omnes Ecclesiae, quia sum scrutans renes, & corda, & dabo unicuique vestrum secundum opera sua. Vobis autem dico, & ceteris, qui Thiatyrae estis: quicunque non habebit doctrinam hanc pravam, quod est de Deorum superstitione intelligendum, & *non cognoverunt * altitudines* nimirum simulacra *Satanae quemadmodum dicunt*, contra vero caste mihi operam dederitis *non mittam super vos aliud pondus* rerum adversarum; *tamen id quod habetis*, doctrinae nimirum, *tenete* constanter *donec veniam* ad vos eripiamque vos ab ista peregrinatione,& ad patriam vestram vos, quae caelum est, ducam. *Et qui vicerit & custodierit usque in finem opera mea*, nempe caritatem, & fidem,*dabo illi potestatem super gentes*; nam sancti homines dominabuntur, & de nationibus constituent, (nimirum judicium confirmantes, quod tulerit Christus) *& reget eos in virga ferrea*, scilicet prodigia patrans, quibus prodigiis impios puniam; *&* si opus fuerit, *tanquam vas figuli confringentur*; qua in re meae ego operae operam ejus vicariam supponam *sicut & ego accepi a patre meo, & dabo illi stellam matutinam*, quae stella ego ipse sum, propter humanitatem. Quum enim imitati me fuerint, aperiam eis diem divinitatis meae. *Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis.*

* Lopesius legit *altaria*.

CA-

CAPUT III.

Episcopis Sardis, Philadelphiae, & Laodiciae scribit.

E*T Angelo Ecclesiae Sardis scribe: haec dicit qui habet septem Spiritus Dei* (idest septem virtutes, quae ab sancto spiritu proficiscuntur) *& septem stellas*, hoc est septem Episcopos: *Scio opera tua*: atque de iis tute ut cognoscas, scito *quia nomen habes quod vivas*, nempe probus existimaris; neque tamen probus es; *&* ideo *mortuus es*; nempe vivae fidei calore destitutus, quae vita est probi hominis. *Esto vigilans*: cogita te inter hostes versari, *& confirma*, nimirum exemplo, atque oratione, *cetera, quae*, propter perniciosum exemplum, quod eis praebuisti, *moritura erant. Non enim invenio opera tua plena* caritatis *coram Deo meo*, qui, quo fine, & caritate res quaeque fiat, animadvertit. *In mente ergo habe qualiter acceperis*, nam cui plurimum tributum est, multorum ab eo officiorum ratio reposcetur; *& audieris* nempe quae promissa sunt ei, qui vicerit: *serva*, ut fidelis, quae tibi praecepi, *&* eorum, quae admissa sunt, *poenitentiam age*, ut veniam consequare. *Si ergo non vigilaveris* pro te, tuoque grege, *veniam ad te tanquam fur*, ubi quempiam imprudentem offendit: *& nescies qua hora veniam ad te*, quoniam non pro certo scis. *Sed habes* (ut enim ne oblivisci ejus me, quam mihi praestitisti operam, putes, hoc te scire volo) *pau-*

ca

ca nomina (electas animas) *in Sardis, qui non inquinaverunt* peccato *vestimenta sua*: nempe sua corpora, propterea quod integritatem, pudicitiamque suam servaverunt, *& ambulabunt mecum* imitatione *in albis*, limpiditatis, *quia* cum officia colant, quae debent, *digni sunt* tanto honore. *Qui vicerit*, nimirum pugnans viriliter, *sic vestictur vestimentis albis*; deinde vero etiam splendentibus, nempe in aeterna beataque vita, *& non delebo nomen ejus*, id est memoriam, quoniam ea erit aeterna, *de libro vitae*, nimirum de meo conspectu, & societate, *& confitebor nomen ejus*, quod mihi operam dederit, *coram patre meo*, qui cito tales homines ornat honore, *& coram Angelis ejus*; id est laudabunt Deum Angeli propter dona, quae suis ipse servis impertivit; in santis enim laudandus est Deus. *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis*.

Et Angelo Philadelphiae Ecclesiae scribe: haec dicit sanctus, & verus, qui habet clavem nempe potestatem veri *David*; significat autem David dilectum, estque dilectus Patris Redemtor hominum Christus, cui dedit sedem David, nimirum Regnum justorum, *qui aperit* mentem, ut sit apta ad intelligendum, & fruendum divina ope, aeternaque felicitate, *& nemo claudit*, ei cui ipse aperuerit: *claudit*, nimirum ei, qui abs se discedit: & quoniam qui ad lucem accedit, illustratur, contra qui recedit, is in tenebris atque in obscuritate versatur; propterea cui ipse clauserit, huic *nemo aperit*. *Scio opera tua* quodque iis factis mihi satisfacis, *ecce dedi coram*

te ostium apertum, nempe intellectum aperui tuum ut veritatem intueare; *quod nemo potest claudere*, depellit enim lux tenebras, quae te oppugnant, nimirum daemones, hominesque tenebrosos; idque ob eam causam, *quia modicam habes virtutem*, *& servasti verbum meum*, quod verbum est fides; *& non negasti nomen meum*, a quo Ethnici, atque Haebrei tantopere abhorrent. Itaque animadvertito: *Ecce dabo de Synagoga Satanae*, idest, *qui dicunt se Judaeos esse & non sunt*, *sed mentiuntur*; nam significat justos, eosve, qui Dei Religionem profitentur, & Judaeorum nomen, hi autem etiamsi genere sint, factis tamen non sunt Judaei. *Et Ecce faciam illos*, *ut veniant ante pedes tuos*, *& sciant quia ego dilexi te*: nimirum, *quoniam servasti verbum patientia meae*, hoc est sollicitudinum quas mei caussa sustines; quamobrem *ego servabo te ab hora tentationis*, & pugnae, atque sollicitudinis, *quae ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra*; (qui locus de commota ab Trajano in christianos tempestate, deque terrae motu, ceterisque calamitatibus intelligendus est.) Porro animadverte: *Ecce venio cito*, ut te ex hac vita evocem, inque aliam inducam: itaque *tene quod habes*, (fidem & facta) diligentiamque ne remittas, *ut nemo accipiat coronam tuam*, id est praemium, quod est tibi, si perseverantiam ad ultimum retinueris, constitutum. Fac autem, de Juda ut veniat in mentem tibi, cujus alter occupavit Episcopatum. *Qui vicerit faciam illum columnam*, id est reddam eum magnum *in Templo*

nem-

nempe in Caelo *Dei mei & foras non egredietur amplius*, *& scribam super eum* notis sempiternis *nomen Dei mei* quod nomen est vitae aeternitas, & veritas, omnisque beatitudo, *& nomen civitatis Dei mei novae*, *Jerusalem* (significat autem Jerusalem tranquillum, pacificum, praefectumque conspectum) *quae descendit de Caelo* in Apostolos, inque homines, qui cum fide vivunt. Nam Dei Regnum in sanctis hominibus tamdiu consistit, donec ipsum palam intueantur; corporis concretione soluti, qua impediuntur modo, quominus intueri possint, quoniam dum per fidem ambulant, videndi facultate carent. Atque hic quidem Jerusalem descensus erit *a Deo meo*; neque enim alius est quisquam, qui eam rem possit efficere. Praeterea inscribam eis *& nomen meum novum*, quod nomen est JESUS, & servatorem significat; magnamque Sancti ex eo capient animo laetitiam; praesertim, quum sua ipsorum me indutum natura intuebuntur, qua ipsis salutem attuli. *Qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

Et Angelo Laodiciae Ecclesiae scribe: haec dicit: Amen, testis fidelis, & verus eorum, quae ab hominibus, atque ab omnibus prorsus rebus fiunt; *qui est principium creaturae Dei*; quoniam eas sua ipse effecit sapientia. *Scio opera tua* aperte: ac video *quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus esses*, ad recte sancteque vivendum; nam verecundia te quidem, ac poenitentia inducerent, ut ex animo ad me redires; *aut calidus*, nempe incensus caritate. *Sed quia tepidus es*, & piger & negligens; *&*

nec frigidus, nec calidus, incipiam, nisi ad sanctitatem reverteris, *te evomere ex ore meo*; nimirum te, quasi mihi stomachum moveas, a me ipso repellam; indulges enim prorsus ingenio tuo; *quia dicis* tanquam luce orbus: *dives sum & locupletatus* virtute *& nullius egeo*, cum te perfectum existimes; *& nescis quia es* tibi *miser, & miserabilis* aliis propter exemplum; *& pauper* quoque es in virtute, *& caecus* destitutusque lumine veritatis, *& nudus* a rectis factis. Itaque cum ita, ut dixi, te habeas, *suadeo* perspicue *tibi emere* obsecrationibus rectisque factis, ex *me* scilicet, qui solus tribuere possum, *aurum* caritatis, quod aurum *ignitum* sit, atque *probatum* igne conflictationum, ut cum conflictabere, illud ab hoste conspiciatur. Haec tibi ob eam caussam suadeo, *ut locuples fias* bonis, quae ex mea gratia, atque ex felicitate aeterna existunt; *& vestimentis albis*, nimirum justitiae, *induaris*; *& non appareat coram* Deo, Angelis, & hominibus *confusio nuditatis tuae*; nam caritas vim obtegit peccatorum, atque animum ornat: simul, & preces mihi adhibens, *collyrio*, nempe animi dolore, *inunge oculos tuos* nimirum *ut videas* considerans quasi oculis: *nam ego quos* veluti pater, *amo*, eos cum internis animi conflictationibus, tum externis, quae corpus afficiunt, *arguo & castigo. Aemulare ergo*, meoque honori servito, *& poenitentiam age*. Atque ut te facile receptum iri a me intelligas, sic habeto: *ecce sto ad ostium* cordis atque assensionis tuae, *& pulso* afflatu meo, *si quis*, quisquis is fuerit, *audierit vocem meam*, quam nimirum

aut per me ipſe, aut alia quapiam re uſus ad eum intrinſecus mitto, *& aperuerit mihi januam* intelligentiae, *intrabo ad illum*, atque ope ipſe mea animo illius adero, & brevi hac exacta peregrinatione *caenabo cum illo*, itemque *& ipſe mecum* caenabit, ex me fructum capiens ſempiternum. *Qui vicerit*, *dabo ei ſedere*, & quieſcere *mecum in throno meo*, id eſt in mea beatitudine, *ſicut & ego vici & ſedi cum parte meo in throno ejus. Qui habet aurem audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis.*

CAPUT IV.

Johannes Chriſtum in throno ſedentem intuetur, a ſenibus viginti quatuor, atque ab Evangeliſtis quatuor circumdatum.

QUum ego Johannes ea, quae mihi Deus juſſerat, in ſcripta retuliſſem, ſubduxit ille ſe e meo conſpectu; tum vero *poſt haec* continuo *vidi*: *& ecce oſtium apertum in Caelo*: loquitur autem Iohannes accommodate ad humanam rationem. *Et vox prima quam audivi, tanquam tubae loquentis mecum*; fuerit autem vox iſta Redemtor Chriſtus, *dicens*: *aſcende huc & oſtendam tibi quae* obſequii erga me hominum, meorumque ſervorum utilitatis cauſſa *oportet fieri* cito *poſt haec*; continuo enim perduci ad exitum incipient; *& ſtatim fui in ſpiritu, & ecce ſedes poſita erat in caelo, & ſupra*

sedem sedens. Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis (Js Redemtor erat noster, qui omnes continet perfectiones, quemadmodum jaspis colores) *& sardinis*, quod est lapidis pretiosi genus, rubri coloris ac veluti flammei, isque color eam, quae in Christo est, caritatem significat: *& iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinae*: quae res summum ostendit Dei studium nostrae felicitatis: quam ob caussam afflictationes Ecclesiae continuo missurus erat; ex his vero plena laetitie spes existit, quae smaragdinus est color, nam viridis color spem indicat. *Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor: & super thronos viginti quatuor seniores sedentes*. His senibus libros viginti quatuor demonstrari veteris testamenti, auctor est S. Hieronymus. Ac fuerint etiam Patriarchae principes viginti quatuor; nam hi sequenti capite, Redemtorem, quod homines redemerit, laudant. Jam vero sedebant hi senes *circumamicti vestimentis albis*, quae beatitudinem sempiternam significant, *& in capitibus eorum coronae aureae*, quod strenue pugnavissent: *& de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitura*, quae res imminentem Ecclesiae tempestatem portendebat: *& septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei*; nempe septem virtutes, quae spiritus sancti dona appellantur; quamquam nihil impedit, quo minus hoc loco septem angeli principes intelligantur. *Et in conspectu sedis tanquam mare* quod est immensitas Divinitatis, eratque id mare veluti *vitreum simile crystallo*, nimirum propter lu-

lucem, quae sustineri oculis non potest, quaeque Deus est, *& in medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia*; nempe Evangelistas quatuor, qui de recondita divinitate, deque humanitate, quae oculis patet, agunt: eaque animalia erant *plena oculis ante & retro*, propterea quod de iis, quae fuerunt, quaeque fient, demonstrant. *Et animal primum simile leoni*; estque is s. Marcus, qui hoc Evangelii initium fecit: „ vox clamantis in deserto „: scilicet instar leonis. *Et secundum animal simile vitulo*, nempe s. Lucas, qui ab Zachariae sacerdotio orsus est, quo sacerdotio id genus animalis immolabatur. *Et tertium animal habens faciem quasi hominis*; nimirum s. Matthaeus, quod ab humana Redemtoris procreatione exordium scriptionis duxerit. *Et quartum animal simile aquilae volanti*; haec ad s. Johannem pertinent, qui hunc librum descripsit; nam is a divina Redemtoris hominum origine exorsus est ad hunc modum: „ In principio erat verbum „. Est autem animadvertendum, Evangelistas hoc ordine fuisse ab Ezechiele descriptos, primùm hominem, tum leonem, deinde vitulum, denique aquilam; nimirum quo ordine iidem scripserunt: primus enim omnium scripsit s. Matthaeus; quem postea secutus est s. Marcus, tum s. Lucas, postremo s. Johannes. Verum hoc loco ascensus quidam fit a minore ad majorem; nam s. Marcus pauciora, quam reliqui, scripsit. S. autem Lucas plura quidem quam s. Marcus, pauciora vero quam s. Matthaeus; ambo enim pleraque eorum, quae s. Matthaeus antea dixerat, sunt

persequuti. S. autem Johannes, quam ceteri omnes, altius ascendit. *Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas*; tria erant singulis alarum paria, nempe propter testimonium quod singuli Evangelistae Trinitati divinae dederunt. *Et in circuitu, & intus, plena sunt oculis*, propter interiorem lucem, qua sunt praediti Evangelistae: *& requiem non habebant*, id est non cessabant *die ac nocte* continenter *dicentia* (in Evangeliis, quae scripserunt, nosque etiam, ut eadem diceremus, invitantia) *sanctus* est Pater, *sanctus* est Filius, *sanctus* est Spiritus sanctus. Qui tres, quod sint omnes unus Deus, propterea addit: *Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est* aeternus, *& qui venturus est* judicium institutum; *& cum darent illa animamalia*, quae Evangelistas esse diximus, *gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum*, nimirum Redemtori nostro qui verus est Deus una cum Patre sanctoque Spiritu, *viventi in secula seculorum, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant* Dominum *viventem in secula seculorum*; & ut ostenderent, a Deo beatitudinem proficisci, qua potiebantur, *mittebant coronas suas*, quas ab eo acceperant, *ante thronum* dicentes, quod verissime intelligebant, *dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem*, nimirum quae tua omnino est; nos vero quod tribuamus tibi, nihil habemus; nisi ut gratulemur tibi, esse eum te, qui es, te ipso, perfectissimaque natura beatissimum: *quia tu creasti omnia & propter voluntatem tuam*, quae omnia potest, *erant, & creata sunt*. CA-

CAPUT V.

Obsignatum septem sigillis librum Redemtor noster aperit, & a Sanctis, atque ab Angelis laudatur.

ET *vidi*, mente, *in dextera*, id est in potestate, & providentia, *sedentis super thronum*, nempe Dei, *librum scriptum intus* (quod ad providentiam Dei, ejusque operum rationem pertinet) *& foris* (quod ad effectum, ejusdemque rationis executionem referendum est; quamquam possunt recte haec eadem de occulto Deo, homineque manifesto explicari) *signatum septem sigillis*, quae septem sunt opera Dei, quae aut facturus, aut certe permissurus est, ut fiant in mundo. *Et vidi Angelum fortem*, qui aliquis ex principibus caelestibus fuit, *praedicantem voce magna: quis*, omnium qui in caelo, atque in terra sunt, *est dignus aperire librum, & solvere signacula ejus?* Id quoniam, nisi Deus demonstrarit, nemo est qui possit, idcirco adjecit: *& nemo poterat neque in caelo* (sancti atque Angeli) *neque in terra* homines, *neque subtus terram* hominum animi, qui in purgatorio sunt, ac daemones, nemo, inquit, horum potuit *aperire librum, neque respicere illum*; nam quod Deus celavit, id a nemine cognosci potest. *Et ego* Johannes cum haec viderem, *flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum. Et*

unus

unus de Senioribus, ut ea sollicitudine, ac dolore liberaret, *dixit mihi*: bono animo esto. *Ne fleveris*: *ecce* qui mundum & daemonem *vicit Leo de tribu Juda* (Jesus Christus Dominus, qui prout homo est, filius est Mariae Virginis, qua tu jam inde ab eo tempore matre usus es, quo eam tibi ipse, quum penderet e cruce, commendavit), ejusque, quoad humanitatem, origo est, *radix David*. Is ergo, quoniam, quoad divinitatem, Dei est sapientia, potens est *aperire librum & solvere septem signacula ejus*, idest mysteria haec enuntiare. *Et vidi*: *& ecce in medio throni*, *& quatuor animalium*, sunt autem animalia Evangelistae; *& in medio Seniorum*, qui sunt Patriachae, *agnum* idest Redemtorem nostrum agnum Dei *stantem tanquam occisum*, quoniam humana solum natura est mortua; *habentem cornua septem*, *& oculos septem*; cornu ad defendendi, oculus vero ad videndi facultatem pertinet; atque alterum fortitudinem, alter sapientiam significat. Itaque de his addit: *qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram*, nempe ea, quae dona Spiritus sancti appellatur, quaeque iis tribuuntur, qui se, ut iisdem augeantur, comparant; quam ob rem ubique gentium celebratur Deus. Atque huc quidem cornua pertinebant, quae gerere videbatur Moyses postquam in colloquium Dei venerat. *Et venit* agnus, *& accepit de dextera sedentis in throno* (thronus autem Dei Majestatem significat, cui Redemtor noster per humanitatem dextrorsus assidebat) *librum*, id est ea mysteria detegendi, enunciandique potestatem.

Et

Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram agno, verum hunc esse Deum profitentes; *habentes singuli citharas*, quae sunt laudes sanctorum, *& phialas aureas*, idest caritatem, *plenas odoramentorum*, quae in Deum ferebantur, *quae sunt orationes sanctorum. Et cantabant canticum novum* de humana Redemtoris natura, quam paullo ante Dei filius assumserat, junxeratque divinitati; *dicentes: dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus*. Cujus rei hanc addunt caussam: *quoniam occisus es* tua ipse voluntate, *& redemisti nos Deo*, idque non pecunia quidem, sed, *in sanguine tuo*; quae redemtio fuit *ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione*; neque id solum; verum *& fecisti nos Deo nostro regnum*; nam sancti sunt regnum Dei, cui amanter obtemperant, *& Sacerdotes*, quoniam ei sacrificium justitiae obtulimus, quod ea in re consistit, ut eum, quam possumus, maxime diligamus; *& regnabimus super terram* in qua captivitatem tempestatesque subivimus; sed eam posthac per te totam in potestate retinebimus. Potest etiam hic locus in eam sententiam explicari, ut nostrorum ipsi corporum, quae ex terra concreta sunt, regnum obtenturi, iisque dominaturi dicamur, propterea quod consilio rationis omnino obsequentur. *Et* ego Johannes *vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & Seniorum, & erat numerus eorum millia millium*, (quae verba sunt pro numero infinito, atque interminabili posita) *dicen-*

dicentium voce magna, ideſt incredibili cum pietate, atque amore: *dignus eſt agnus, qui occiſus eſt*, nempe quantum ad humanitatem pertinet, *accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*; quae inſunt omnia in Chriſto. Sed quoniam nihil eſt horum, quod ſancti Chriſto tribuere poſſint, profitentur hoc quidem ipſi, eique, quod ſit bonis omnibus ornatiſſimus, gratulantur. *Et omnem creaturam, quae in caelo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quae ſunt in mari, & quae in eo: omnes audivi dicentes: ſedenti in throno*, quae divinitas eſt, *& agno*, quae Chriſti eſt humanitas: *benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum. Et quatuor animalia* (ſunt hi Evangeliſtae, quorum opera Dei auctae ſunt laudes, quae iiſdem ex rebus proficiſcuntur, propterea quod ſuis evangeliis illud demonſtrarunt, junxiſſe ſibi humanam naturam Deum; ac per eam nobis ſalutem attuliſſe) itaque contenta voce *dicebant: Amen. Et viginti quatuor Seniores ceciderunt in facies ſuas* grati animi teſtificandi, cultuſque adhibendi cauſſa; *& adoraverunt* Redemtorem noſtrum *viventem in ſecula ſeculorum.*

CAPUT VI.

Agitur de fame, de bellis, de pestilentia, de vexatis christianis, deque terrae motu, quae omnia Trajano Imperatore acciderunt.

PRincipio, ut quae describuntur hoc libro percipi facile possint, hoc est praemittendum, ab decem Imperatoribus Romanorum afflictam Ecclesiam universam, atque exagitatam fuisse; quarum vexationum, cum duae exactae, intermissaeque fuissent; tum hunc fuisse librum ab Johanne perscriptum. Nam omnium primus in Christianos saevierat Nero, isque post, conscita sibi morte, miserrimum vitae exitum nactus fuerat. Post Neronem Domitianus Ecclesiam vexarat, atque a suis familiaribus interfectus fuerat; qui quidem cum quartodecimo Imperii anno, Johannem in Pathmos insulam in exilium pepulisset; anno, qui proxime secutus est, imperii quinto ac decimo, occisus fuit. Itaque Johanni cum ea in insula annum ipsum exul fuisset, facta potestas redeundi est. Mortuo Domitiano, Nerva Imperator est dictus; qui quamdiu Imperium P. R. tenuit, tenuit autem mensibus sexdecim, nihil crudelius est actum in rempublicam christianorum. Adoptarat sibi filium Trajanum Nerva, ut is post se Imperio potiretur; cujus ab tempore initium sumit

sumit Apocalypsis, quo in libro duo sunt animadvertenda: ac primum quidem coepisse ea accidere, quae predicuntur hoc libro, anno post Christum natum centesimo; idque eo tempore, quum Princeps omnium fortissimus Imperium obtineret Trajanus. Neque enim alius fuit quisquam, qui aeque ac Trajanus imperium amplificarit. Is autem cum Coloniae Agrippinae cum exercitu esset, Imperator est appellatus. Jam vero initium possumus interpretandi facere; nam earum rerum, quae superiori Apocalypsis parte continentur, nulla fuit, quae ad certum aliquod tempus pertineret. Ergo habet hoc modo: *Et vidi quod aperuisset Agnus* Christus, *unum de septem sigillis*; idest quemadmodum unum septem mysteriorum explicasset, demonstrassetque, *& audivi unum de quatuor animalibus*, quod est de Evangelista intelligendum, *dicens tanquam vocem tonitrui*. Animadvertendum est, earum rerum, quae singulis septenis significantur, magnitudinem esse pro celebritate, & strepitu, ac fragore, qui in iis edicendis fit. Atque in priore hoc septeno tota celebritas unico tonitru continetur, itaque, quae res significantur, eae non adeo fuerunt calamitosae, ac illae, quae postea secutae fuerunt. Cum convertissem me ad eam vocem: *veni & vide* (nimirum haec primum animal Johanni dicebat) ipse autem Johannes *& vidi* inquit *& ecce equus albus*; equi autem nomine appellatur humanum corpus, ut infra constabit cap. 19, quo loco Johannes visum ab se equum album narrat, quae Christi humanitas esset; eique qui insi-

insidebat, Dei verbum vocari, quod est divinitas filii Dei: tum addit vidisse praeterea se caelestes exercitus equis insidentes, iique sanctorum animos corporibus suis beatitudine donatis conjunctos significant. Nunc, ut ad equum album redeamus, qui Decebalus fuit Daciae Rex (quae jam regio Walachiae, ac Transilvaniae nomine appellatur; & in qua propter maxima frigora corpore sunt homines candido) is princeps belli inferendi fuit, atque ab eo primum initium sumit Apocalypsis. *Et qui sedebat super illum habebat arcum* (consuetudo Dacis fuerit ea aetate, ut pro armis arcubus uterentur) *& data est ei corona, & exivit vincens ut vinceret*. Quoniam quae describuntur hoc capite, omnia Trajano Imperatore acciderunt. Adeunda est hujus vitae historia, quamquam multa ad eam desiderantur, perieruntque vetustate eorum virorum lucubrationes, qui de iis rebus scripserunt. *Et cum aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal dicens; veni & vide. Et exivit alius equus rufus*. Fuit is quidem Trajanus, qui, quod magnam effuderit vim sanguinis christianorum, eo vocabulo appellatur. *Et qui sedebat super illum, datum est ei, ut sumeret pacem de terra*, nimirum multis bellis quae gessit; primum autem bellum Decebalo eidem Daciae Regi intulit, *& ut invicem se interficiant* propter discordias, quae toto orbe concitatae fuerant, *& datus est ei gladius magnus*; ac tantus quidem is gladius fuit, ut eo usus Trajanus orbem ab Dacia, a qua initium belli fecit, usque ad Indiam, quod ma-

jus

jus est spatium sex millibus millium passuum, victoriis peragraverit, atque in potestatem redegerit. *Et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal dicens veni, & vide. Et ecce equus niger*: nimirum hoc de Aethiopibus accipiendum est, nigri enim sunt: *& qui sedebat super illum* (nempe animus) *habebat stateram in manu sua. Et audivi tanquam vocem in medio quatuor animalium* (potest hoc in eam sententiam intelligi, quod Evangelistae de fame, deque annonae caritate, quae in terrarum orbe futura erat, egerint; de his enim rebus sermo est hoc loco) *dicentium: bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum & oleum ne laeseris*, scilicet vini hordeique caritas significatur, qua maxime Aethiopes laboraverunt. *Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis: veni & vide; & ecce equus pallidus*, seu fulvus: indicatur autem pestis, qua pallent, & fulva fiunt hominum corpora. Sed de peste, deque annonae caritate in Aethiopia nihil conscriptae de Trajano historiae commemorant, quod summam, quae tum fuit tantis bellis, rerum perturbationem aut non animadverterunt historici, aut historiae perierunt. *Et qui sedebat super eum*, nempe animus, *nomen illi mors*, ex quo intelligitur, ea pestilentia ethnicos laborasse, quorum sunt animi mortui apud Deum; *& infernus sequebatur eum*; nam ut mors occidebat, infernus deglutiebat, gentem nempe ab vera religione alienam: *& data est illi potestas super quatuor partes terrae, interficere gladio* (intelligun-

liguntur autem bella) *fame & morte* (quod ad pestilentiam pertinet) *& bestiis terrae*. Sunt haec quatuor vulnerum, hoc est suppliciorum, genera, quae minatus est Deus propter peccata hominum. *Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare* (est vero Redemtor Christus altare vivens, in quo gratum Deo sacrificium facimus) *animas interfectorum*, ab ethnicis scilicet, *propter verbum Dei* quod praedicabant; *& propter testimonium quod habebant*: id de fide accipiendum est, quam Christo dederant, quaeque in visceribus eorum inclusa penitus haerebat. Animadvertendum est autem, quamquam sanctorum animi summa, atque incredibili felicitate fruantur, longe tamen hanc esse inferiorem illa, quam Servatoris nostri humanitas obtinet. Atque huc pertinet quod dictum est de visis subtus altare, (quod altare Christus est) animis interfectorum. *Et clamabant*, iidem animi scilicet, *voce magna dicentes*: *usquequo Domine, sanctus, & verus, non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* Non ita sunt haec accipienda, quasi sancti, beatique homines, inimicos ulciscendos putent; verum ita, ut ipsa inimicorum in eos immanitas exclamare apud Deum intelligatur: quemadmodum dictum Caino fuit: sanguis fratris tui Abel clamat. *Et datae sunt illis singulae stolae albae*, significatur autem gloria, hoc est beatitudo sempiterna animorum, quae divinitatis aspectu continetur; quod constat cap. 19; quo loco de uxore agni, nempe de Ecclesia, dicitur, eam candida, & splendida

veste fuisse indutam; tum illud praeterea intelligitur, sanctorum animos, quum excesserint e corporibus, frui Deo: *& dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi*: nam septem adhuc restabant Imperatores, qui Ecclesiam exagitarent; tempestas autem, de qua est hic sermo, tertia fuit initio numerandi sumto a Nerone. Sed animadvertendum est, quod dicitur sanctis, ut requiescant adhuc tempus modicum, non eo pertinere, ut brevi illo tempore expleto, non amplius quieturi sint, verum perinde esse, ac si dixisset; quiescite aeternum; brevi autem numerus fratrum vestrorum explebitur, quibus ferenda sunt, quae vos tulistis. Breve enim tempus est seculorum cum aeternitate comparatum. Praeterquamquod ab ea tempestate ad magnum Constantinum anni bis centum intercesserunt. *Et vidi cum aperuisset sigillum sextum, & ecce terrae motus magnus factus est*, factus est autem Trajano Imperatore, cum esset is Antiochiae, *& sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis*. Tradunt Philosophi caussam esse terrae motuum exhalationes terrae, quae, cum siccitas est, in ipsius terrae hiatus includuntur. Nam, hiante terra, hiatus illi aerem, unaque cum aere calorem excipiunt. Post, ubi pluerit, hiatus clauduntur, sicque manet inclusus aer. Itaque ut exitum inveniat, terram tentat, ac movet, magna vi, quam sentimus; non secus ac de castaneis, ovisque accidit, quae, cum assantur

Ita-

Itaque ubi terra magnis caloribus concitata calidos ejusmodi vapores emittit, fit, ut, quemadmodum est hoc loco, sol turbidus, lunaque sanguinolenta videatur. *Et stellae de caelo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur; & caelum recessit sicut liber involutus.* Haec quidem omnia ita sunt intelligenda, ut pro eo, quod hominibus videri, atque oculis aestimari solet, dicta accipiantur. Etenim cum magnus adeo, atque hic describitur, terrae motus esset factus, cum quateretur terra, videbatur caelum, stellaeque cadere. Itaque si quis a Trajano sciscitatus fuisset tum, cum corruere videbat Antiochiam Urbem, ubi degebat; suaque palatia, (quorum ex uno se per fenestram dejecit, quod ea ipsa ruerent) ecquid sibi de ea re videretur? Respondisset profecto; caelum & stellas cadere. *Et omnis mons, & insulae de suis locis motae sunt.* Atque ut est in Trajani historia, plerique montes in profundum demissi, & complanati sunt; exaruerunt flumina; & amnes, quibus in locis non antea fluxerant, manarunt, multaque oppida corruerunt, & magna vis hominum interiit. Addit praeterea hoc modo; *& reges terrae, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis servus, & liber, absconderunt se in speluncis, & in petris montium.* Quae quidem ita fuerunt. Trajanus enim, quique cum eo erant, ad agros profugerunt, ibique se complures dies, positis tabernaculis, continuerunt. Nam etsi terrae motus cessarant, tamen tantus metus omnium mentes invaserat, ut in

in urbem ingredi non auderent. Quamquam erat jam urbs ipsa labefactata. Quae autem de Trajano dicuntur, eadem sunt de aliis etiam regibus, aliisque gentibus accipienda: *& dicunt montibus & petris, cadite super nos, & abscondite nos a facie sedentis super thronum, & ab ira agni: quoniam venit dies magnus irae ipsorum: & quis poterit stare?* Animadverso est opus, credibile esse, Johannem Evangelistam ut primum e Pathmos insula se Ephesum contulit, de Apocalypsi Episcopis, ceterisque Christianis demonstrasse; perrexisse porro haec eadem demonstrare solatii Christianorum caussa, qui eo tempore religionis caussa supplicia ab ethnicis perferebant. Atque inter alia, quae Christiani praenunciarant, hoc fuerat; terrae motum ejusmodi futurum, qui describitur hoc loco. Itaque cum intelligerent ethnici rem, ita ut fuerat a Christianis praedictum, accidere, hoc sibi persuaserunt, instare orbis terrarum exitum; Jesumque Christum ipsum esse earum rerum auctorem: itaque metu perterriti, montes ad eum modum compellabant: cadite super nos, & abscondite nos a facie Dei, & Jesu Christi, quem nos, cum Christianos vexaremus, insectati sumus. Nam si tanta vis ejus est, ut mundum tremere faciat, quis eum audebit expectare? Denique hoc caput morte Trajani absolvitur; quae res sic fertur; Trajano Phocam martyrem, quem ille supplicio damnaverat, apparuisse, mortemque denuntiasse: itaque triduo post Imperatorem decessisse, idque accidisse an. 119., postquam annos novendecim imperium P. R. obtinuerat.

CA-

CAPUT VII.

Ex singulis tribubus duodecim millia deliguntur; eademque signantur: sancti autem omnium gentium, atque una Angeli Deum laudant.

MOrtuo Trajano, jam inquit: *post haec vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terrae, tenentes quatuor ventos terrae, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem*. Hi Angeli non homines quidem, sed naturae incorporeae, ut postea ex capitibus XIV. & XVI. intelligetur, quibus locis sermo est de Angelis, qui igni, & aquae dominentur. Iidem autem Angeli fuerint moderatores, gubernatoresque ventorum. *Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis*, habita nimirum ratione regionis insulae Pathmos, ubi tum Johannes agebat, *habentem signum Dei vivi*. Fortasse is Michael erat, cujus nominis haec interpretatio est. Quis ut Deus? Signum autem Dei vivi est fides, ex qua nimirum vita animorum existit; etenim justus ex fide vivit. Itaque signum est ipsum hujusmodi Quis ut Deus? *Et clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est* a Deo *nocere terrae*: vi enim ven-ventorum fruges evelluntur, quas terra parit, aedesque corruunt; *& mari*, nam ventis naves deprimuntur, *dicens: nolite nocere terrae, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus*

servos Dei nostri in frontibus eorum: perinde ac si dicat: supplicia, quibus certum est Deo terram, & mare afficere, quibusque multa hominum millia peritura sunt, ne sumatis, donec baptismate initientur centum quadraginta quatuor millia filiorum Israel. Idcirco addit: *& audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni Tribu filiorum Israel*. Animadvertendum est hoc loco, quamquam, decem Israelis tribubus ab Salmanazare Assyriorum Rege abductis, tribus duae Judae & Benjamini, & pars maxima Levitarum in Judaea manserant: tamen ante abductas decem tribus Israeliticas, homines ex his, magno numero, sese ad Judae tribum contulisse, ut templi Hierosolymitani adeundi, (quo in templo cultus vero Deo adhibebatur) facultatem haberent, neve, ... aurea, quae Jeroboam Israelitarum Rex fecerat, colere cogerentur. Itaque, quo tempore Judaeorum erat Rex Roboam Salomonis filius, ex qualibet tribu homines erant tribui Judae admixti; iidemque postea simul cum tribu ipsa Judae Babylonem deducti sunt; ac denique una in patriam reverterunt. Ergo sanctus Paulus ex Benjamini, Anna Prophetis ex *Asseri* tribu fuit. Fuerunt porro in singulis tribubus, qui Apostolis admonitoribus usi, nostra sacra susciperent; iique Ecclesiae initium fuerunt. Petrus enim ipsa die Pentecostes, haebreos ad tria hominum millia, ut Christi fidem sequerentur, adduxit. Ex quo intelligitur, eo tempore, de quo nobis nunc sermo est, cum primum Hadrianus imperium obtinuit P. R. & Trajano successit,

mul-

multa jam Christianorum millia ex omnibus tribubus fuisse. Quorum cum numerus multo esse deberet major, tamen de centum quadraginta quatuor millibus solum, unaquaque tribu in medium adducta, scribit hoc modo: *Ex tribu Juda duodecim millia signati: ex tribu Ruben duodecim millia signati: ex tribu Gad duodecim millia signati: ex tribu Aser duodecim millia signati: ex tribu Nephtali duodecim millia signati: ex tribu Manasse duodecim millia signati: ex tribu Simeon duodecim millia signati: ex tribu Levi duodecim millia signati: ex tribu Issacher duodecim millia signati: ex tribu Zabulon duodecim millia signati: ex tribu Joseph duodecim millia signati: ex tribu Benjamin duodecim millia signati.* Recensentur autem tribus hoc loco, non eo servato ordine, qui ex origine singularum existit; fuit enim Ruben omnium Jacobi filiorum primus: verum, quia ex tribu Judae ortus Servator est generis humani Christus, qui hominum sibi naturam adjunxit, propterea hanc reliquis anteponit. Praeterquamquod tribus Judae ceteris tribubus regia dignitate antecelluit. Rùrsus Dani tribus praetermittitur. Cujus rei caussa fortasse alterutra esse potest, sive quod ex ea tribu nemo ad Judam accesserit, sive, quod, ut est ab Sibilla Tiburtina praedictum, ex eadem nasciturus sit Antichristus. Pergit autem Johannes: *Post haec vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis stantes ante thronum, & in conspectu agni amicti stolis albis,* quae beatitudo est animorum, eaque Dei aspe-

ctu continetur, *& palmae in manibus eorum*; palmae autem victoriam significant. Ferunt enim, si asseri, aut tigno ex palma confecto, pondus aliquod imponatur, tignum, victoris instar, contra pondus assurgere. *Et clamabant* Sancti *voce magna dicentes: salus Deo nostro qui sedet super thronum, & agno*. Res est adnotatu digna, sanctos homines, qui mortalem hanc vitam duxerunt in quadam veluti aegritudine fuisse versatos. Nemo est enim quantavis virtute praestans, quin, quamdiu animus corpore inclusus detinetur, veluti aeger sit, si vita haec nostra cum sempiterna beatitudine comparetur. Itaque Sancti Deo offerunt, quod in hac quasi peregrinatione consequi ipsi non possunt. Nam etsi est Deus salus ipsa, idemque eam sanctis suis tribuit, nihilosecius hi fatentur, nihil habere se, quod Deo tribuant, eique, quod salute ornatissimus sit, gratulantur. Contra Angeli, qui expertes ejus aegritudinis fuerunt, non salutem quidem Deo offerunt, sed ejusmodi eum laudibus efferunt, quae oriuntur ex divinae naturae perfectione. Quamobrem ait: *& omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium*, de quibus supra demonstratum est, *& ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adoraverunt Deum dicentes*: quasi tributas Deo a sanctis laudes confirmare vellent, *Amen*. Itemque *benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro, in secula seculorum. Amen*. Sunt rursus ita accipiendae hae laudes, uti antea explicatum est; nimirum delectari vehe-

vehementer sanctos absolutissima naturae divinae perfectione. *Et respondit unus de senioribus*; nempe unus Patriarcharum Johannem est allocutus. Quod vero respondisse dicitur, eo referendum est, quod maxima innata erat Johanni cupiditas cognoscendi de iis sanctis. *Et dixit mihi: hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt; & unde venerunt?* Scilicet Patriarcha, perinde ac si ignorasset, scireque averet, percunctatus est. *Et dixi illi* ego Johannes: *Domine tu scis. Et dixit mihi: hi sunt, qui venerunt ex tribulatione magna*, hoc est martyres, *& laverunt stolas suas* (stolae autem actiones sunt, ac virtutes, quibus vestitur, & ornatur animus) *& dealbaverunt eas in sanguine agni*: nam hominum actiones parvi sunt ipsae per sese, nisi cruciatibus, morteque Christi augeantur: iique, quoniam Christi caussa calamitates perpessi sunt, *ideo sunt ante thronum Dei*, eumque laudibus prosequuntur: qui enim in domo Dei habitant, ii laudare eum pergunt in infinitas aeternitates. Hoc enim significatur his, quae sequuntur, verbis, *& serviunt ei die ac nocte in templo ejus*: quod templum Ecclesia ejus est. *Et qui sedet in throno*, Deus, *habitabit super illos*. Etsi enim Dei aspectu fruuntur sancti; adhuc tamen excedit vim omnem, facultatemque sanctorum natura Divina. *Non esurient, neque sitient amplius*; id autem non ad corpus modo, sed etiam ad animum pertinet, quemadmodum ait David „ satiabor cum aperuerit gloria tua „. *Neque cadet super illos sol, neque ullus aestus*, qui eos possint molestia affi-

afficere; afficiebant autem, quando obnoxiam his malis vitam egerunt. *Quoniam agnus, qui* propter Divinitatem, *in medio throni est*, nempe in sinu Patris (quamquam nihil impedit, quominus de humana Christi natura intelligatur, quae quasi medio in loco posita, sanctis cingitur, qui thronus Dei sunt) *reget illos, & deducet eos ad vitae fontes aquarum*. Nimirum agnus, hoc est Dei sapientia ducet eos per eandem ipsam sapientiam ad fontes, qui fontes Personae divinae sunt. Nam hoc Christus dixerat.

Atque ut ostendat, eos omnis calamitatis expertes futuros, subdit: *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.*

CAPUT VIII.

Agit de brevi temporis spatio, quo intermissa vexatio Ecclesiae fuit; aliaque mysteria demonstrare aggreditur. Continetur autem hoc caput Hadriani, & Marci Aurelii imperio.

ET *cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in caelo quasi media hora*. Trajano mortuo, successit in ejus locum Imperator P.R. Hadrianus. Is continuo Ecclesiam exagitavit. Verum cum Quadratus, Apostolorum discipulus, & Aristides Atheniensis, qui Philosophus christianus fuit, libros nonnullos pro Religione christiana conscripsissent, factum est adeo horum

horum opera, ut Hadrianus a maleficio temperaret. Itaque reliquo Hadriani tempore, itemque Antonino Pio Imperatore, requievit a tempestate Ecclesia. Hoc autem spatium, quod amplius annorum quinque, & triginta fuit, dicitur hoc loco „ media hora „ perinde ac si diceret: facta est in caelo, idest in Ecclesia, pax ad exiguum tempus: ait porro: *Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei: & datae sunt illis septem tubae*. Atque hi sunt septem Angeli, qui calamitates septem enunciaturi sunt, quae sequuntur. Ut autem demonstret Evangelista, quam rem christiani agerent, quo tempore vexatio intermissa fuit, addit: *& alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei*; tanquam si dicat: quamdiu requievit Ecclesia, christiani sese in precibus, quae incenso significantur, habendis exercebant. Hae vero preces summa cum caritate habitae, thuribuli aurei nomine significantur; oblataeque ab angelo cujusque hominis custode super altare aureum fuerunt, quod altare est Jesus Christus Redemtor humanae salutis. Et super idem altare *ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum*; quasi suavis, & jucundus Deo odor, cum propter altare ipsum, tum etiam quod offerebantur *de manu angeli coram Deo*. Sed dignum est, quod animadvertatur: hunc ipsum Angelum, qui preces sanctorum offert, magna cum celebritate septem conflictationes enunciare, Eccle-

siae

siae superventuras. Nimirum, etsi delectatur precibus sanctorum Deus, delectatur tamen etiam conflictationibus, quas sancti ejus caussa perferunt. Itaque sic ait: *& accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris, & misit in terram.* Significat ignis caritatem; de quo igne Christus hoc dixerat.

Itaque hunc ignem, dum alter septenus numerus enunciatur, ardere volo: ait autem; *& facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terrae motus magnus.* Portenditur autem hoc tanto fragore septenum istum gravissimum fore. Nam ubi de superiori enunciatum est, unumtantum fuit tonitru. Animadvertendum est, tranquillo, pacatoque Ecclesiae tempore exacto, quamdiu Imperator P. R. Hadrianus fuit, fuit autem annos duos, & viginti, atque anno CXL decessit; itemque Antoninus Pius, qui imperium annis viginti tribus obtinuit, mortuusque est anno CLXIII; nunc jam initium esse imperii Marci Aurelii. Itaque ad hunc pertinent, quae explicantur hoc loco; idque terrae motu significatur. *Et septem Angeli, qui habebant septem tubas, praeparaverunt se ut tuba canerent.* Haec ad hominum loquendi rationem accomodate dicuntur. Sensum vero habent hujusmodi: incipere jam Deum demonstrare, manifestareque septem haec opera, quae facturus est. *Et primus Angelus tuba cecinit, & facta est grando, & ignis, mista in sanguine, & missum est in terram; & tertia pars terrae combusta est, & tertia pars arborum concremata est, & omne foenum viride combustum est.* Haec quidem omnia

omnia una cum terrae motu, de quo antea dictum est, Marco Aurelio Imperatore acciderunt. Fuit enim eo tempore non solum maxima annonae caritas, quae terrae, & arborum, & foeni combustione significabatur; sed etiam universalis pestilentia, & fluminum alluviones, magnaquae vis locustarum, quae fruges consumebant. Quod vero dicitur, *mista in sanguine* ad tempestatem referendum est, quam idem Marcus Aurelius in Ecclesiam concitavit; quae fuit post Neronianam quarta. *Et secundus Angelus tuba cecinit, & tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare.* Quae sunt de Marco Aurelio accipienda, qui omnium Imperatorum unus Philosophus est appellatus. Nam Philosophiae scientia qui sunt eruditi, eorum, nisi scientiam cum caritate conjungant, ita tument, & inflantur animi, ut sibi ipsis montes veluti quidam videantur. Neque cuiquam mirum videri debet, nos montis nomen ad Marcum Aurelium tranferre. Nam etiam Nabucodonosor RexBabyloniorum per arboris similitudinem significatus est, quae ad caelum pertineret, cujus rami per totum orbem protederentur. Neque enim Nabucodonosori inferior aut scientiae facultate, aut magnitudine imperii Marcus Aurelius fuit. Ait autem montem fuisse, igne ardentem: propter multas virtutes animi, quibus fuit ille praeditus; fuisse autem missum in mare propter bella, annonae inopiam, pestilentiam, terrae motum, & alluviones, quae eo Imperatore contigerunt, quibusque divina voluntate imperium ejus ad instar maris, exagita-

gitatum procellis fuit, propterea quod Ecclesiam vexaret. Ait porro: *& facta est tertia pars maris*, nempe mundi, qui turbatum quoddam mare est, *sanguis* propter bella quibus provinciae omnes ardebant; *& ob eam caussam mortua est tertia pars creaturae eorum, quae habebant animas* mente & ratione praeditas, *in mari*, hoc est in mundo: ac aeternum fortasse perierunt. Fuerint enim omnes, qui bello interibant Ethnici, hostes Ecclesiae. Jam vero converso sermone ad mare, quod est in numero elementorum, subdit: *& tertia pars navium interiit*, magna ventorum, ac tempestatum vi, quae tum maximae commotae fuerunt. *Et tertius Angelus tuba cecinit, & cecidit de caelo stella magna ardens tanquam facula*: eam stellam aut Marcionem haeresiarcham, aut Apellem fuisse existimandum est, qui extremo Marci Aurelii imperio, aut Commodi filii illius ineunte fuerunt. Atque Apelles quidem, cum antea christianus fuisset, tum denique provecta admodum aetate, doctoris sibi nomen arrogavit, & summa dementia depravatus multa in Moysis legem convicia jactare; Prophetas non vera praedixisse dicere, in sua cuique sententia, & Religione manendum; nullamque doctrinam investigandam esse praedicare coepit; addens praeterea, ut fidem faceret iis, quae dicebat, eos qui spem in affixo cruci homine suam collocassent, salvos perpetuo futuros. Atque ob eam rem is magna stella ardens tanquam facula appellatur, quod antea quam tot, tantisque erroribus implicaretur, magna existimatione, & virtutis

tutis opinione floruerit. Pergit porro: *& cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum*; quod post constabit cap. XVII. *Et*, quod pestiferam illam doctrinam sparserit, *nomen stellae dicitur absinthium*, propter summam ejus doctrinae amaritudinem, qua populos infecit, qui eam susceperunt. Itaque ait: *& facta est tertia pars aquarum in absinthium: & multi hominum mortui sunt de aquis, quia amarae factae sunt*. Quo loco significari videtur plerosque eam doctrinam secutos aeternum periisse. *Et quartus Angelus tuba cecinit: & percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunae, & tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis similiter*. Nimirum magna aliqua caeli obscuritas fuit, & diuturna, qualis Gallieno, postque Justiniano Imperatoribus contigit, eamque ob causam tertia sui parte non splenduisse solem dicit; perinde ac si tertia luminis parte destitutum fuisse diceret; sublato autem lumine solis, qui fons est lucis, qua illustrantur Reliqua corpora, lunam etiam, stellasque, quae lumen a sole accipiunt, deficere necesse fuit. Quodque tenebrae terrorem afferunt, iis Deus supplicii caussa est usus. Sed possunt haec omnia alio modo explicari; nimirum, ut tertia parte solis justitiae, qui Christus est, destituti homines, propter peccata sua, fuerint; quae per fidem apparet; tertia autem fidei pars eos defecerit, in quibus erat; quoniam pro ratione fidei, quae in nobis aut magna, aut exigua fuerit, se nobis aut ostentat, aut subducit Deus. Jam

vero

vero ſubducto e conſpectu eo ſole, lunam etiam, & ſtellas; hoc eſt Eccleſiam, eoſque, qui virtute praeſtant, obſcurari, atque obrui neceſſe eſt. Verum quia quatuor tubarum voces, de quibus demonſtratum eſt, non adeo magnas calamitates enunciarunt, quam enunciaturae ſunt reliquae, quae adhuc reſtant, tres; ait modo: *& vidi*, *& audivi vocem unius aquilae*, nempe ſancti alicujus, *volantis*, rerum divinarum contemplatione, *per medium caeli*, ſcilicet Eccleſiae, *dicentis voce magna: vae, vae, vae, habitantibus in terra*, atque haec dicebat *de ceteris vocibus Angelorum, qui erant tuba canituri*. Nimirum trinis iis vocibus tot, tantaeque calamitates, afflictationeſque enunciatae ſunt, ut Eccleſia ingemiſceret. Quae res poſtea demonſtrabitur. Atque hoc caput extremo Marci Aurelii imperio, Commodi autem qui filius M. Aurelii fuit, imperii initiis concluditur. Obtinuit autem imperium M. Aurelius annos octodecim; mortuuſque eſt anno CLXXXI.

CAPUT IX.

De Montani, ſeu Cataphrygis haereſi, deque magna peſtilentia Commodo Imperatore.

CUM deceſſiſſet M. Aurelius, inque ejus locum Commodus Imperator P.R. ſucceſſiſſet, Montanus, qui etiam Cataphryges appellatur, concitatis turbis, Eccleſiam in ſummas

mas angustias adduxit. Ferunt autem, idque est animadvertendum, demonstratum s. Hildegardi Abbatissae in Brabantia divinitus fuisse, fore ut omnia, quae continentur hoc capite, in Germania exitum haberent; ita ut hoc tempore factum videmus. Quae res ad summam similitudinem, quae inter Cataphryges, Germanosque haereticos intercessit, pertinebat. Nam solemus etiam dicere Johannem Baptistam fuisse Eliam, nimirum quod eadem animi magnitudine, eodem spiritu, eodem zelo, & religionis studio praestiterit, quo Elias floruerat. Rursus in hoc ipso libro Johannes Episcopum Thyatirae reprehendit, quod Jezabelem ferret, quo nomine ethnicam superstitionem significabat; nam a Jezabele ad id tempus anni plusquam nongenti fluxerant. Ita a Montani ad Lutheri aetatem spatium temporis intercessit plusquam mille, atque trecentorum annorum. Jam vero de quinta tubae voce, ait: *& quintus Angelus tuba cecinit, & vidi stellam de caelo cecidisse in terram*; isque Montanus fuit presbyter, Ardabau, quod oppidum est Phrygiae, natus; cujus tanta fuit audacia, ut dicere non dubitaret, Spiritum sanctum sibi tantum, iisque, qui sibi auscultarent, fuisse tributum; Apostolis autem, aliisque hominibus nullo modo: maloque genio exagitatus sanctissimis Ecclesiae traditionibus fidem detrahere conaretur. Qui etsi a nobis, beneque institutis hominibus reprehendebatur, frustra tamen erat eorum opera; quique in partes se Montani conjecerant, magnos sibi spiritus, magnamque audaciam sumebant; fuisque

que ipsi in verbis gloriabantur, quasi imbuti essent Spiritu sancto, cum tamen eorum vita in omni vitiorum turpitudine versaretur. Ac Montanus quidem matrimonium diremit; jejunii disciplinam sustulit; certos sibi reditus comparavit; eos, qui suam sectam propagandam curarent, pecunia conductos habebat; hique Prophetas se ipsos, & martyres nominabant. Quibus ex rebus Ecclesiae perturbatio secuta est, & magna confusio. Verum cum consistere mendacium diu nequeat, qui se Montano dediderant, in factiones, ita ut fit, abierunt, & neque sibi inter se communicandum putabant, neque ejusdem Montani fidem sequebantur, atque ita se ipsos everterunt. Sed ut ad stellam, quae e caelo decidit, quamque Montanum fuisse diximus, redeamus: facile intelligimus, eam, antequam caderet, in pretio, atque existimatione fuisse. Ait porro: *et data est ei clavis putei abyssi*, nimirum permissum est, ut caderet, utque etiam alios, qui essent sceleribus implicati, secum in ruinam pertraheret. Nam hoc certum est, ex elatione atque arrogantia oriri haereses. *Et aperuit puteum abyssi*, nempe januam, quae ad inferos ducit; *& ascendit fumus putei*, fumi autem nomine error indicatur, cujus caligo ita hominum mentibus fuit offusa, *sicut fumus fornacis magnae, & obscuratus est sol, & aer de fumo putei; & de fumo putei exierunt locustae in terram, & data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terrae*. Nimirum ex peste illa erroris plerique eruperunt, qui nomine locustarum significantur, qui etsi sermonis facilitate

tate naturae imbecillitati satisfaciebant; re tamen vera mordebant instar scorpionum, quoniam venenum in hominum animis spargebant. *Et praeceptum est illis*, nempe permissum, *ne laederent foenum terrae*, *neque omne viride*, *neque omnem arborem*, ut intelligamus, non fuisse locustas, quae sunt appellata eo nomine, *nisi tantum homines*, *qui non habent signum Dei*, hoc est vivam, quam dicimus, fidem cum casta, atque integra consuetudine vitae conjunctam, *in frontibus suis*, nempe in mentibus. Est vero considerandum hoc loco, Deum impiorum quorumdam hominum opera usum, in alios impios animadvertisse. Montanus enim, quique ejus partes sequebantur, elati arrogantia, & vitiis implicati cum essent, nemini dubium esse poterat, quin alieni penitus a Deo essent. Jam vero horum opera Deus in illos animadvertit, qui etsi christiani videbantur, non tamen christiani erant. Sunt enim ita comparati nonnulli, ut Dei religionem, quam verbis profitentur, factis negent; hique sunt, qui non habent signum Dei in frontibus suis, sed in lingua duntaxat, quandoquidem non haeret in animis eorum religio, sed inani verborum jactatione continetur. Jam ad locustas, atque ad scorpiones rediens, pergit hoc modo: *& datum* concessumque *est illis ne occiderent eos*, neu in sententiarum perversitate manentes perimerent, *sed ut cruciarent mensibus quinque*. Accidit fortasse, ut plerique christianorum vitiis obligati, in Montani errores inciderint; idque Dei voluntate, nimirum ut in eos supplicium recideret, pro-

pterea quod non sibi ab iis serpentibus caverant. Ait porro: *& cruciatus eorum ut cruciatus scorpii cum percutit hominem.*

Itaque illi, cum abduci se a Montanistis, & corrumpi tulissent, aegritudine animi tanta, tantaque melancholia exagitatos fuisse credibile est, ut se ipsos desperarent. Quamobrem addit: *& in diebus illis quaerent homines mortem, & non invenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis*; ita ut iis solet accidere, qui gravi sollicitudine, aut melancholia laborant, quosque desperatio occuparit. Atque ut demonstret quae sint hae locustae: *& similitudines*, inquit, *locustarum similes equis paratis in praelium.* Nam ut equi in exercitu, ubi praelii signum datur, hinniunt, gestiunt, fervent, ita fere Montaniste, seu Cataphryges, arroganti loquacitate, & inani jactatione efferebantur. *Et super capita earum tanquam coronae similes auro.* Nimirum diademata sibi imponebant eorum similia, quae sanctorum hominum imaginibus imponi solent; quandoquidem se ipsi sanctos existimabant, nomenque sibi martyrum arrogabant. Pergens autem apertius de iis demonstrare; *& facies* inquit *earum tanquam facies hominum.* Etsi enim Cataphryges natura homines erant, tamen institutis & agendi ratione cacodaemones videbantur. Hoc enim Christus docuit: impios homines filios esse diaboli. *Et habebant capillos sicut capillos mulierum*; fortasse longiori coma utebantur Nazareorum instar, ut eo religiosiores haberentur: *& dentes earum sicut dentes leonum erant.* Iis enim dentibus animos hominum lacera-

rabant. Poteſt explicari is locus etiam de eorum maledicendi voluntate, nempe quod dente maledico traditiones Eccleſiae, & colentes virtutem homines carpebant. *Et habebant loricas ſicut loricas ferreas.* Nam quemadmodum lorica militem in acie protegit, ne vulnus accipiat; ita Montaniſtae pervicacia ſe armaverant, ne culter divini verbi eos pertingeret. *Et vox alarum earum ſicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum.* Tantos ſtrepitus & clamores faciebant, uti cum aliquo catholicorum agendum erat. Atque eſt hoc etiam in proverbio poſitum. *Et habebant caudas ſimiles ſcorpionum*: nam ſi cui doctrinae eorum aliquid haeſiſſet, venenum erat, & peſtis animi: *& aculei erant in caudis earum: et poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinque*, nimirum incerto, & non definito ſpatio temporis, ita uti ſupra explicatum eſt: *et habebant ſuper ſe*, iidem Montaniſtae, *regem Angelum abyſſi.* Etenim perſpicua res eſt, tali modo inſtitutis hominibus, praeſertim quorum omnis vitae ratio ſuperbia contineretur, neminem niſi cacodaemonem, Regem eſſe debuiſſe. De quo Angelo ait: *cui nomen hebraicè Abbadon, Graecè autem Apollyon, latinè habens nomen, Exterminans*; nimirum deſtruens. Atque erat hoc ei nomen maxime accommodatum, quandoquidem exitium animis, ruinamque afferebat. Fuit autem illi eadem appellatio hebraice, graece, & latine indita, ob eam cauſſam, quod ea haereſis iiſdem linguis exitium animis inferebat. Ac de hebraica quidem non magnus labor ſuſcipiendus Montano

 fuit,

fuit, quum essent Judaei sua ipsi sponte in odium Christianorum incitati. Montani autem secta Ecclesiae instituta irrideret; praesertim vero, quod obscoenitatem, & turpitudinem sequeretur: stirpes autem & pravae herbae facile & cito succrescunt. Nam de Graeca constat, quum in ea lingua initium haeresis Montani fuerit. Phrygia enim, quam patriam fuisse Montani diximus, Graecorum imperio continebatur. Neque etiam de Latina est obscurum. Florinus enim, qui propter gravissima scelera merito suo e presbyterii gradu dejectus fuerat, eamdem haeresim Romam intulit, fortasse doloris sui ulciscendi caussa, vir scilicet turbatis animi motibus concitatus. Atque ut demonstret, quam haec Ecclesiae gravis vexatio fuerit, addit: *vae unum abiit*, nempe unum ex tribus, de quibus supra demonstravimus: *et ecce veniunt adhuc duo vae post haec*. Itaque de duobus reliquis dicturus, quod maxime sequitur, explicare aggreditur in hunc modum.

Et sextus Angelus tuba cecinit; & audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei. Est autem altare Redemtor salutis humanae Christus; quod quidem altare propter Christi ipsius caritatem dicitur esse aureum. Quatuor vero cornua, quatuor Evangelistas significant, quorum sunt libri omnes de altari. Jam vero cum singuli de pestilentia, deque calamitatibus, ac tempestatibus, quibus laboratura erat Ecclesia, scripserint: hae nunc iis partes dantur, ut pestilentiam enuncient, de qua modo erit sermo, quaeque Commodo Impe-

rato-

ratore fuit, quo tempore Montanus suam spargere heresim coeperat. Eam itaque vocem Johannes audivit: *Dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam: solve quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.* Nempe quatuor reges fortasse, quorùm erant Provinciae Euphrati finitimae; scilicet Mesopotamia, Syria, Chaldaea, atque Armenia. *Et soluti sunt quatuor Angeli*, data nocendi facultate; *qui parati erant in horam, & diem, & mensem, & annum, ut occiderent tertiam partem hominum.* Fortasse hi reges, Prophetae alicujus praedictionibus admoniti, norant, quem ad diem mutuum sibi bellum illaturi essent. Quibus ex bellis propter magnam cadaverum multitudinem infecto aere, tertia pars hominum interiit. Tanta autem ejus pestilentiae, Commodo Imperatore, vis fuit, ut ex ea toto orbe sit laboratum. Verum tanta brevitate earum rerum historiae conscriptae sunt, ut nihil de iis dici distincte possit. Ait porro: *& numerus equestris exercitus vicies millies dena millia*, quorum est summa 20000000. *& audivi numerum eorum*; mirabile est autem tam magnum exercitum cogi ex iis regionibus potuisse. *Et ita vidi equos in visione*, nimirum equis hominum corpora significantur; *& qui sedebant super eos* nempe eorumdem hominum animi, *habebant loricas igneas, hyacinthinas, & sulphureas.* Tanta est enim humani animi, tamque arcta cum corpore colligatio, atque conjunctio; ut si qua perturbatione afficitur corpus, continuo perturbatio & motus existant in animo. Itaque qui gravi me-

melancholia laborant, ii sibi in tenebris versari videntur; ac per somnium res iis atrae obversantur, ejusdem nempe coloris similes, cujus est humor ille. Contra qui ira est incensus, in medio igne se esse somniare solet. Nimirum is humor, quo affectum est corpus, quasi indumentum, seu lorica quaedam animi esse videtur. Haec cum ita sint, cumque tempestas tum maxime calida, aer autem infestus esset, adeo illi cholera tamque ardenti tumuerant, ut ipsi sibi igne circumdati, ac vestiti viderentur. Ignis enim choleram significat, ardentem vero choleram hyacinthus. Cholera enim ubi quis rursus incenditur, . . . humor colore inficitur, qualis est hyacinthi. Denique sulphur ad gravem, pestilentemque humorem refertur. Ejus enim, qui flagrat cholera, respiratio gravis esse solet, quasi cremati adustique corporis foetor, quae respiratio indicio est hominem, a quo emissus est respirando aer, tali humore laborare. Quod si is humor pestilens evadit, veluti sulphureus fiet. Atque ut ostendat omnem hunc morbum ex cholera existere; *et capita* inquit *equorum*, nam demonstratum est supra, equi vocabulo humanum corpus significari, *erant tanquam capita leonum*. Leonis enim tam est cholerae obnoxia natura, ut perpetuo tertiana febri laborare existimetur. Oritur enim hoc febris genus ex nimia cholera. Itaque illi cum . . . . . cholera flagrarent ferocitatem quandam vultu praeseferebant. Nam cholera iram movere solet. Ait porro: *et de ore eorum procedit ignis*, nimirum propter febrim, qua tenebantur, *et fumus*, *et*

sul

ſulphur, quae ſcilicet de ſpiritu, quem ore emittebant, deque halitu foedo, ac peſtilenti, qnem efflabant, intelligenda ſunt. *Et ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum, de igne, et de fumo, et ſulphure, quae procedebant de ore ipſorum*; perinde ac ſi dicat, peſtilenti humorė, quo illi erant affecti, tertiam orbis partem infectam fuiſſe. Quod ſane mirum videri non debet. Nam ſaepe accidit, ut aperta arca, in qua veſtes peſtilentia contaminatae ſint poſitae, peſtis ipſa non homini modo uni haereat, ſed totam civitatem, totumque regnum occupat. *Poteſtas enim*, ait, *equorum in ore eorum eſt*: nam ore, quaſi telum, peſtiferum humorem emittebant, qui humor homines perimebat; *et in caudis eorum. Nam caudae eorum ſimiles ſerpentibus habentes capita, et in his nocent*. Extrema pars equi eſt cauda. Extremum autem erat peſtiferi humoris, qui ex corporibus hominum effundebatur, ut ad quos ille humor perveniſſet, ii veneno inficerentur, non ſecus quam ſi eos ſerpentis caput momordiſſet. *Et ceteri homines, qui non ſunt occiſi in his plagis*, etſi alieno exemplo admonitos intelligere oportebat, tanta mala Dei voluntate accidiſſe, propter idolorum ſuperſtitionem, quam homines ſequebantur; nihilominus ii neque Deo de injuriis ſatisfecerunt, neque a daemonum, atque idolorum cultu abſtinuerunt, quae quidem idola aurea, aut argentea, aut aerea, aut ſaxea, aut lignea cum eſſent, nullam neque videndi, neque audiendi, neque ambulandi vim, aut facultatem habebant. Neque ſolum in ea ſuperſtitione manſerunt, verum

rum *et non egerunt poenitentiam ab homicidiis suis, neque a veneficiis suis, neque a fornicatione sua, neque a furtis suis.* Jam quae persecutus est Johannes hoc capite ad exitum Commodi Imperatoris pertinent. Is qui filius fuit Marci Aurelii, quamquam non in deno eorum numero habeatur, a quibus exagitata vehementer Ecclesia fuit; nihilosecius, non desunt qui fuerint, eo Imperatore, Religionis christianae caussa interfecti. Nihil autem impedit, quominus ea quae de quatuor Angelis supra commemoravimus, ad duces, & principes haereticorum quaternos pertineant, qui ex finitimis Euphrati regionibus prodierint, quique tamquam foedo, ac sulphureo pestiferae doctrinae halitu tertiam orbis terrarum partem infecerint. Verum de hac re non constat; neque eo tempore praeter Montanum, atque Apellem, quemquam fuisse alium scimus, qui turbas in Religionem concitaverit. Contra de peste certum, atque testatum est. Commodo enim Imperatore pestilentia totum orbem pervasit, & terrae motus est factus, cujus vi, ut de malis reliquis omittam dicere, quae ex eo sunt profecta, Urbs Smyrnaeorum corruit, quae scilicet una fuit septem civitatum, ad quas misit Johannes Apocalypsim. Tenuit autem Commodus imperium P. R. annos duodecim & sublatus veneno est, vulneribus confectus a suis anno CXCIV.

CAPUT X.

Praecipit Johanni Angelus, ut Ephesum se Evangelium praedicatum conferat.

ET *vidi alium Angelum fortem*, nempe supremi ordinis, *descendentem de caelo amictum nube*. Quamquam fieri etiam potuit, ut haec de sancto aliquo, beatoque homine diceretur, cujus corpus, propterea quod in caelum translatum esset, & particeps esset factum sempiternae felicitatis, nubes appellaretur. *Et iris in capite ejus*. Iris autem symbolum est pacis, atque amicitiae. Nimirum Angelus ornatus erat insignibus legationis, quam administrabat. Nam Johannem Asiaticis Ecclesiis restitutum veniebat, a quibus ille aberat Domitiani jussu in Pathmos exulans. *Et facies ejus erat ut sol*, ut significaret fore, ut rursus iisdem Ecclesiis sol oriretur; qui jam obscurari a nubibus incipiebat; nimirum quod Cerinthus, & Hebion, duo principes haereticorum turbas concitare coeperant. *Et pedes ejus tamquam columnae ignis*; ut demonstraret, Johannem Ecclesiarum illarum veluti columnam futurum, qui Evangelio adversus haereticos illos conscripto, & oratione, ac prodigiis sustentaret. Ignea vero columna fuisse dicitur, propter Johannis flagrans Religionis studium, summamque caritatem. *Et habebat in manu sua libellum apertum*, in quo erant fortasse descripta, quae Johannes utilitatis Ecclesiarum caussa facturus erat: *& posuit pedem suum dextrum*

trum super mare, sinistrum autem super terram. Nimirum multo plus operae collocandum Johanni erat in haeresi profliganda, quae veluti procellosum mare commota fuerat, quam in eorum gubernatione, qui instar continentis, in Ecclesiae fide, & familiaritate constanter manebant. *Et clamavit voce magna, quemadmodum cum leo rugit*; ut intelligamus quam gravis animo percipiendus sit dolor ex christianorum incommodis, qualia eae tum Ecclesiae perpeti coeperant. *Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas. Et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas; ego scripturus eram: & audivi vocem de caelo dicentem mihi: signa quae locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere.* Has septem voces ad calamitates, ac tempestates septem referri oportere existimo, quae iisdem Ecclesiis impendebant; ita ut Marco Aurelio, & Commodo Imperatoribus contigit; quo tempore vexatae Ecclesiae fuerunt, & Polycarpus Smyrnaeorum episcopus exagitatus; & saepe, christiani crudeliter saevissimeque cruciati. Itaque ne quidquam Johannes de iis vocibus novis Ecclesiis nunciaret, quae quamquam animo essent prompto ad mala ferenda, quae sibi divina voluntate accidissent; naturae tamen vi afflictae, & sorditate erant; igitur ne iis Johannes nunciaret, jussus est, ut ea ne scriberet. Verum credibile est Johannem ipsum episcopis, aliisque pietate insignibus viris omnia coram edixisse; adeoque plerosque discipulorum ejus Apocalypsis rationem tenuisse, exque his alios, atque alios afflictis, atque alienis temporibus solatii chri-

christianorum caussa cognovisse. Nam de Irenaeo & Justino, qui uterque martyr, & Johannis discipulus fuit, constat fuisse eos interpretatos Apocalypsim. *Et Angelus, quem vidi stantem super mare, et super terram, levavit manum suam ad caelum, et juravit per viventem in secula seculorum, qui creavit caelum, et ea, quae in eo sunt; et terram, et ea, quae in ea sunt; et mare, et ea quae in eo sunt*. Tali enim eo tempore jurejurandi ratione utebantur. Quum etiam eadem usus fuerat Abraham „ Levo (inquit) ma-
„ num meam ad Dominum Deum excelsum pos-
„ sessorem caeli, & terrae „. Eamdem ipsam posteri ejus Haebrei retinuerunt. Itaque Angelus orationem suam ejus temporis consuetudini accommodavit. Juravit autem: *quia tempus non erit amplius*, afflictum atque adversum, nimirum ea tempestate. *Sed in diebus septimi Angeli, cum coeperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos Prophetas*. Animadvertendum est Prophetas appellari hoc loco non eos quidem, qui Redemtoris hominum Christi adventum praenunciarunt; sed eos, qui plerumque in coetibus christianorum reperiebantur; quo numero Agatus, & filiae Philippi, aliique fuerunt. Atque hoc sibi facile quisque persuaserit, ejus generis piis hominibus, qui instinctu, afflatuque divino futura cognoscerent, tum maxime abundare Ecclesiam, quo tempore maleficiis inimicorum vexabatur. Cujus rei exemplum in Dionysio episcopo Alexandrinorum habemus, qui docuit de Valeriano fuisse illud ab Johanne di-

dictum „ datum est ei os loquens magna ; & blasphemias „ . Jam vero Prophetae illi praedixerant, fore, cum esset redditus sonitus septimae vocis, ut quiesceret tum a tempestate Ecclesia, quando quidem cessabat illa, quam Severus commoverat, ac si navarchus navigantibus diceret: sic vobis recipio, mare tali hora pacatum iri, neque jam futuram tempestatem, nimirum ea die; non enim hoc pollicetur, nunquam postea futuram. *Et audisti vocem de caelo iterum loquentem mecum; et dicentem: vade et accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare, et super terram. Et abii ad Angelum, dicens ei, ut daret mihi librum. Et dixit mihi accipe librum, et devora illum: et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tamquam mel.* In eo enim fortasse libro descripta vexatio erat, quam Ephesi passurus erat Johannes, Cerinthi, aliorumque opera. Quamobrem cum tranquillitate, qua tum utebatur, brevi cariturus esset, natura scilicet ejus commovebatur; tum etiam quod molestum ei erat se ad Ephesios loqui debere. Nihilominus, quod eorum, qui Deo dant operam, prompta esse debet ad obediendum voluntas; *et accepi* inquit *librum de manu Angeli, et devoravi illum: et erat in ore meo*, nimirum propter obediendi voluntatem, meumque in Deum amorem, *tamquam mel dulce: et cum devorassem eum*, nempe cum cogitarem, consideraremque, quae eram passurus, *amaricatus est venter meus*. Nomine autem ventris naturae hominum imbecillitas significatur, quae calamitatibus movetur. Explicat

plicat porro quae ea esset calamitas addens: *et dixit mihi: oportet*, Dei caussa, atque ut ne frustra sit opera, quam in Ecclesiis consumpsisti, *te iterum prophetare gentibus, et populis, et linguis, et regibus multis*. Est autem dignissima, quae animadvertatur consilii divini ratio. Nam cum posset Deus subito Johannem in Asiam transferre, hominum tamen opera est usus. Itaque Domitianum primum mortem obire oportuit; tum Senatus decreto Johannem reduci, cum annum jam in exilio fuisset. Agebat autem tum Johannes annum quintum ac nonagesimum.

CAPUT XI.

De vexatis a Severo Christianis agit.

Commodo successit Pertinax, qui imperium diebus omnino octoginta obtinuit. Tum fuit Imperator Julianus mensibus septem. Huic Severus successit, qui quintus post Neronem Ecclesiam vexavit. Atque hinc jam principium hujus capitis dicitur. Ait vero: *& datus est mihi calamus similis virgae, & dictum est mihi: surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo*. Templi appellatione animi proborum hominum significantur, ex quorum omnium conjunctione existit Ecclesia. Ergo illud est hujusmodi, ac si diceret: omnem Christianorum numerum recense. Altare vero Redemtorem salutis nostrae Christum significat; ac ii denique, qui in eo adorantes dicuntur, illos indicat qui in fide manebant; ejusque caussa cruciatus perferebant. Quae quidem ex eo quod proxime sequi-

ſequitur manifeſtius intelliguntur: *atrium autem,* inquit, *quod eſt foris templum*, nempe corpus, quod eſt in homine externum, *ejice foras, & ne metiaris illud*. Addit porro ejus rei cauſſam, *quoniam datum eſt gentibus*: hoc eſt ethnicis facta eſt facultas, haec atria, id eſt corpora deſtruendi. Itaque pergit: *& Civitatem ſanctam*, hoc eſt Eccleſiam, *calcabunt menſibus quadraginta duobus*, quod ſpatium eſt annorum trium cum dimidio, quamdiu tempeſtas Chriſtianos exagitavit: quamquam fieri potuit, ut ea eſſet etiam diuturnior. Namque Alexander, & Severus, ceterique, qui nominantur hoc capite, ſumma ſaevitia uſi ſunt. Quamquam enim Imperatores, qui tempeſtates in Eccleſiam moverunt, decem omnino fuerunt; plerique tamen inventi ſunt, qui ab alio ante Imperatore commotas perſequerentur. *Et dabo duobus teſtibus meis*, hoc eſt martyribus: μάρτυς enim teſtem ſignificat; cujus nominis ea ratio eſt, quod ii Chriſti divinitati dant teſtimonium, & ſancti viri ii duo, *prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis*; nempe menſibus, quos ſupra dixit quadraginta duobus. Alexandro quidem Imperatore, ſuppliciis Caecilia cruciata fuit, quae cilicium, quod vocant, occulte gerebat. Verum, quod de praedicatione dicitur, in eam ſexus convenire non poteſt. Vir quoque ejus Valerianus, & Tiburtius, qui & ipſi occultis aliquando ciliciis utebantur, eodem Imperatore capite mulctati ſunt. Atque in hos omnia aptiſſime quadrare videntur. Namque de his ipſis illud etiam accipi poteſt quod proxime ſequi-

sequitur : *hi sunt duae olivae* propter misericordiam, qua Christianos, egentesque sunt prosecuti, suas cum iis facultates, quae erant amplissimae, communicando, & martyrum corpora sepeliendo; *& duo candelabra in conspectu Domini stantes*; nimirum cum propter splendorem virtutis, tum propter prodigia, quae petrabant. Nihil enim erat, quod non, si a Deo peterent, impetrarent. *Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum: & si quis voluerit eos laedere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi caelum ne pluat diebus prophetiae ipsorum: & potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga, quotiescumque voluerint.* Atque haec quidem omnia eo tempore, iisque etiam mirabiliora pii, sanctique homines efficiebant. Sed talia duos illos fecisse, de quibus dictum est antea, non certum habemus. Namque hoc de iis unum constat, a Deo quidquid vellent impetravisse. Cruciata fuit etiam ea tempestate Martina, quae dum suppliciis torquebatur, bis tremuit Roma terrae motu; ignisque de caelo descendit, quo sacerdotes Deorum cremati fuerunt: ipsa autem caelesti voce evocata in patriam Beatorum fuit; quam vocem plerique cum audissent, prodigio commoti Christo se dediderunt. *Et*, iidem sancti, beatique homines, *cum finierint testimonium suum, bestia, quae ascendit de abysso,* nempe Deorum superstitio, qua erant Romani implicati, quaeque de abysso ascendisse dicetur infra cap. XVII. *faciet adversum eos bellum, &*

vincet illos, *et occidet eos*; ſcilicet corpora illorum perimet. Nam animi quidem victores fuerunt; eamque ob cauſſam palmas tulerunt, propterea quod vitam amittere, quam a fide discedere, maluerunt. *Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnae*, Romae, *quae vocatur ſpiritualiter Sodoma*, non quod Roma ea fuerit Sodoma, quae caeleſti igne cremata eſt; verum quod P.R. in ſuſpicionem ejus turpitudinis venerat, *et*, appellatur quoque Roma *Aegyptus*, quae vox quum anguſtias conflictationesque ſignificet, hac ſane ratione fuit Roma martyribus Aegyptus. Quamquam eadem appellatio apte in eam cadit propter Deorum ſuperſtitionem. Pergit porro de Roma dicere: *ubi et Dominus eorum crucifixus eſt*, nempe in ſibi fidelibus, ac devotis. Ita cum Petrus Romam contenderet, ei ſe Chriſtus videndum praebuit; atque a Petro, quorſum pergeret, interrogatus: Romam, inquit, ut cruci iterum affigar, in Petro ſcilicet. Poſſumus autem hanc ipſam rem ita interpretari, ut Chriſtus Romae fuiſſe cruci affixus dicatur, propterea quod Pilati Romanorum procuratoris judicio damnatus fuit. De Jeroſolyma certe ea Johannis verba accipi nullo modo poſſunt. Nam poſtquam a Tito expugnata fuit, atque everſa, nunquam in numero eſt habita magnarum civitatum, neque vero unquam habebitur; ita ut divinitus Daniel praedixit. *Et videbunt de tribubus, de populis, et linguis, et gentibus corpora eorum per tres dies, et dimidium, et corpora eorum non ſinent poni in monumentis*. De iis, quos ſupra laudavimus, nihil tale

tale litteris traditum constat. Sed Abdon, & Sennen, qui, Decio Imperatore, martyrium obierunt, in Perside cum essent principum loco nati, tum Romam abducti fuisse dicuntur, ibique, quod ethnicorum numina colere noluissent, capite fuisse mulctati; corpora vero eorum triduum insepulta jacuisse. *Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, et jucundabuntur, et munera mittent invicem, quoniam hi duo prophetae, cruciaverunt eos, qui habitabant super terram.* Atque ita saepius accidisse existimo, quo tempore Christiani necabantur. Saepe enim martyres, patratis prodigiis, ethnicos puniebant: qui cum, sublatis martyribus, omni se eorum molestia liberatos putarent, ad eum modum laetitiae significationes dabant; non secus quam capto Samsone Philistaei fecerant. *Et post tres dies, et dimidium spiritus vitae a Deo intravit in eos; et steterunt super pedes suos.* Quod quidem ad patrata a martyribus prodigia referendum est; quibus coacti sunt ethnici sibi ipsis de immortali eorum in caelo, beataque vita persuadere. Nam similiter de Capharnau dixerat Redemtor hominum Christus.

Et, prodigiis animadversis, *timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos*; cum intelligerent, qui tot ab se, tantisque fuissent injuriis affecti, eos ipsos jam vivere, poenamque sumere injuriarum posse. *Et audierunt vocem magnam de caelo dicentem eis: ascendite huc; et ascenderunt in caelum in nube: et viderunt illos inimici eorum.* De sanctis viris duobus, Emiterio, & Celidonio similia feruntur. Nimi-

rum postquam fuerant capite diminuti, nubi instantes visos fuisse, cum in caelum conscenderent. Verum non hi Romae martyrio sunt perfuncti. Rursus de sancta quadam femina traditum memoriae est, quum ea cruciaretur, columbam de caelo esse delapsam, quae contextam gemmis coronam sustinens, ejus capiti imposuerit; tum vocem e caelo fuisse exauditam, quae martyrem vocaret: eoque prodigio commotos plerosque Christianam religionem suscepisse. Ac Valeriani etiam, & Tiburtii, quos supra commemoravimus, animi fuisse visi dicuntur, cum pulchritudine ornatissimi in caelum pergerent. Quorum similia permulta eo tempore contigerunt. *Et in illa hora factus est terrae motus magnus, et decima pars civitatis cecidit: et occisa sunt in terrae motu nomina hominum septem millia, et reliqui in timorem sunt missi, et dederunt gloriam Deo caeli.* Quum Martina, quae Alexandro Imperatore, supplicio affecta est (nam hoc quidem caput ad Alexandrum, atque ad Severum Imperatores pertinet) quum, inquam, Martina cruciatibus torqueretur, plurima mirabiliter accidisse tradunt. Itaque cum inducta in aedem Appollinis fuisset, ut sacrificium facere cogeretur; ipsa autem vero Deo preces fundere coepisset, terrae motum Romae factum; statuamque Apollinis fractam fuisse; & quartam aedis partem corruisse, hisque ruinis ethnicos, sacerdotesque Deorum multos interiisse: tum ea capite mulctata, iterum terrae motum fuisse factum; ob eamque rem permultos Christi fidem esse secutos. Atque

que huc pertinet, quod ait Johannes „ & dederunt gloriam Deo caeli „. Quod si duo illi testes non fuerunt in eorum numero, quos laudavimus, hoc saltem intelligitur, ea tempestate frequenter similia accidere consuevisse eorum, quae duobus illis contigisse dicuntur; ipsorum autem ignota esse nomina, propterea quod historiae de eorum rebus perierint. Sed est tamen certum, eadem Severo, aut Alexandro Imperatore accidisse. Nam ita prorsus temporum ratio, seriesque ipsa afflictarum Ecclesiae rerum postulat. Jam vero altero, vae vobis, transacto, in hunc modum pergit: *vae secundum abiit: et ecce vae tertium venit cito.*

Et septimus Angelus tuba cecinit: et factae sunt voces magnae in caelo dicentes: factum est Regnum hujus mundi Domini nostri, et Christi ejus. Nimirum requiescet jam annos aliquot a calamitatibus terrarum orbis; quo tempore devoti Deo Christiani a metu liberi, quo superioribus calamitatibus fuerunt occupati, operam Deo eidem dabunt. *Et regnabit*, Dominus ejusque Christus, *in secula seculorum: Amen: et viginti quatuor Seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes: gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, et qui venturus es: quia accepisti virtutem tuam magnam, et regnasti*: pacifice scilicet hoc quidem tempore in tua Ecclesia, donec rursus virtutem ejus Maximini, & Decii, & Valeriani, reliquorumque maleficio exerceas. *Et iratae sunt gentes* adversus te, populumque Christianum

 tuum,

tuum, et idcirco *advenit ira tua*; *et tempus mortuorum judicari*, nempe ethnicorum, quorum sunt mortui animi, quemadmodum Redemtor hominum Christus dixerat „ sinite mortuos, hoc est implicatos homines, sepelire mortuos suos„. *Et reddere mercedem servis tuis Prophetis, et sanctis, et timentibus nomen tuum pusillis, et magnis*; perinde ac si dicat: his tu Ecclesiae calamitatibus commotus, in ethnicos, qui intulerunt, animadvertis; eos remuneraris vero, qui tui caussa cruciatus pertulerunt: *et exterminandi eos, qui corruperunt terram*, ethnicos scilicet, qui inanium Deorum superstitione hominum mores corrumpunt. *Et apertum est templum Dei in caelo*: hoc est Divinitas martyribus ostensa est. Divinitas enim templum appellatur, uti dicetur infra cap. 21. *Et visa est arca testamenti ejus in templo ejus*; nimirum Servatoris hominum Christi humanitas, quae arca est foederis, atque amicitiae; *et facta sunt fulgura, et voces, et terrae motus, et grando magna*. Animadvertendum, magnam celebritatem, magnosque strepitus in postremae hujus vocis tubae emissione factos, eo pertinuisse, ut gravissimas afflictationes portenderent; teterrimam enim tempestatem ea vox praenunciabat, quam tum subiit Ecclesia, Maximino, Decio, & Valeriano Imperatoribus, qui crudeles imprimis, saevique fuerunt. Quamobrem de his rebus tota erunt capitula tria XII. XIII. XIV. Hoc autem caput, Imperatores inter Commodum & Maximinum septem complectitur: Pertinacem, qui Commodo successit, Julianum, Severum, hostem Eccle-

Ecclesiae infensissimum, Pacianum, Macrinum, Elogabalum, atque Alexandrum Severum. De quo Alexandro traditum est memoriae; eum, Christi, atque Abrahami imagines inter penates suos collocavisse; eumque ipsum, matremque illius ab Origene christianae religionis decretis fuisse institutos; quamquam non constet, an fuerint nec ne baptismo initiati. Decessit autem Alexander anno 237.

CAPUT XII.

Mulierem sole amictam describit, quae Ecclesia est Christianorum; & Maximini in eam, Deciique maleficia persequitur.

MOrtuo Alexandro Severo, Maximinus appellatus est Imperator, isque septimus eorum, qui Ecclesiam vexarunt, fuit, ab Nerone initio numerandi facto. Tale autem initium hujus est capitis, ut imago quaedam exprimi, & forma Ecclesiae videatur. Habet enim hoc modo: *Et signum magnum apparuit in caelo: mulier* (nimirum Ecclesia) *amicta sole*, qui sol est Jesus Christus justitiae sol, quam scilicet, ut induamus hortatur nos Paulus: *et luna*, res nempe, quae conversionibus, & vicissitudinibus sunt obnoxiae, atque ad terram pertinent, *sub pedibus ejus*: boni enim probique homines, ex quibus existit Ecclesia, quae sunt ejus generis, omnia contemnunt, neque iis quidquam moventur:

tur : *et in capite ejus* , hoc est initio, cum primum ea extitit, *corona stellarum duodecim* : id est chorus duodecim Apostolorum , ejusdem Ecclesiae secundum Redemtorem hominum Christum fundamentum . *Et in utero habens* , gravidata studio , quo fuerat a Deo incensa , amplificandae religionis ; *clamabat parturiens* , preces Deo adhibens ; *et cruciabatur , ut pariat* filios Christianos . *Et visum est aliud signum in caelo* ; caelum hoc loco pro Ecclesia accipitur , *et ecce draco magnus rufus* ; Roma scilicet , imperiumque P.R. ; diciturque rufus propter effusam vim maximam sanguinis Christianorum : *habens capita septem* , hoc est septem colles , quibus est urbs imposita, *et cornua decem*, id est decem Imperatores Christianis infensos , quorum infra cap. XVII. nomina describit , *et in capitibus ejus diademata septem* : quae fortasse insignia urbis erant , nimirum ut septem diadematis ornata pingeretur ; quibus fundata esset : *et cauda ejus*, hoc est Diocletianus , adversariorum Ecclesiae Imperatorum postremus , omniumque crudelissimus , *trahebat tertiam partem stellarum caeli , et misit eas in terram* , tertiam nimirum partem Christianorum , quae cruciatuum metu perterrita a Christi fide descivit , quae caelestis est vita . *Et draco* , idest Roma , *stetit ante mulierem*, hoc est Ecclesiam , *quae erat paritura* , *ut cum peperisset* , *filium ejus devoraret* . Nimirum ut quisquis in Christi se fidem recipisset , eum continuo perimeret . Quod etsi jam inde ab Nerone Imperatore contigerat , hic tamen locus omnino ad Maximinum referri debet, qui per id tempus Chri-
stia-

ſtianos inſectabatur. Is imperium obtinuit annos tres; ac denique a ſuis ipſe militibus eſt interfectus anno 240. Poſt hunc, imperatores Pupienus & Balbinus biennium fuerunt, quibus Gordianus ſucceſſit, tenuitque imperium annis quatuor. Gordiano mortuo, factus eſt imperator Philippus; iſque imperatorum primus, qui chriſtianorum Religionem ſuſciperet, & Baptiſmi myſterio initiaretur, fuit. Itaque pergit in hunc modum: *& peperit filium maſculum*, ideſt Eccleſia Philippum Imperatorem genuit, *qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea.* Nam apud ſe conſtituerat omnibus promulgandi Evangelii facultatem facere, inque eos animadvertere, qui intercedere auderent. Verum, quum nondum numerus eſſet exactus martyrum, quem Deus jam inde ab aeternis temporibus conſtituerat, idcirco, *& raptus eſt novus filius ejus, ad Deum, & ad thronum ejus*. Quamobrem credibile eſt, eum in caelum fuiſſe ſublatum, nam chriſtianorum religionem ſecutus, propterea ejuſdem religionis cauſſa eſt occiſus. Atque digniſſima haec res eſt, quae ſciatur; nam Philippus Decium Tribunum in Galliam miſerat, ut eam regionem depopularetur; cui poſt rem bene ac feliciter geſtam, parta victoria, revertenti, quum ob eam cauſſam obviam Philippus prodiiſſet; tantae imperatoris humanitati talem Decius gratiam retulit, ut eundem occideret. Cujus facti etſi hanc interpoſuit cauſſam, inimicum Diis eſſe Philippum; multo eſt tamen veroſimilius, eum regnandi cupiditate inductum fuiſſe. Sed Philippi filius veritus, ne ſibi etiam vis infe-

ferre-

ferretur, opera usus s. Sixti Pont. Max. opes suas omnes sancto Laurentio in egentes distribuendas commisit. Gubernavit autem imperium Philippus annos quinque, (quamquam imperasse eum septem annis Eusebius tradit) atque anno 252. decessit. Quo mortuo cum audissent christiani, imperium in Decii potestate esse, quem palam sibi esse infensum norant, certissime sibi persuaserant, maximam Ecclesiae tempestatem imminere. Sed propterea quod non satis animi ad sustinendum haberent, addit: *& mulier*, Ecclesia, *fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta*; id est christiani suppliciorum metu perterriti in deserta loca profugerunt. Etsi vero fuerat Ecclesia saepe, ac multum superiori tempore exagitata; non tamen constat, ante id tempus, christianos unquam se in fugam conjecisse. Cujus rei eam fuisse caussam crediderim, quod Philippo imperatore, christianorum Religioni dedito, plerique pacatas jam res, & tranquillas in reliquum tempus futuras arbitrati, facile eam religionem susceperant. Sed illo repente sublato, cum hostem Religionis infensissimum Decium imperatorem factum viderent, sibi autem, & virtutis, constantiaeque suae non satis confiderent, fugam arripiendam existimarunt. Contra ante, quam esset imperator Philippus, cum hoc christiani certum scirent, sibi, quod Christi fidem sequerentur, supplicia perpetuo prompta, atque parata esse: qui fortitudine animi, constantiaque praestabant, ii suam fidem palam profitebantur.

Itaque

Itaque non constat, eos de fuga cogitasse. Hoc eodem quoque tempore, cum in christianos Decius saeviret, Eremitarum vitae ratio primum instituta est. Profugerunt enim tum in desertas solitudines Paulus Eremitarum primus, & septem dormientes, quos vocant, aliique quamplures. Horum in numero Dionysius quoque Alexandrinus fuit, Decii aequalis, qui cum aliis plerisque se in fugam dedit. Narrat autem, summa rerum inopia, & siti, ac latronum injuriis magnisque caloribus, aliisque incommodis multis & maximis in solitudine nostros fuisse conflictatos, ac permultos, qui ex Aegypto profecti in Armeniae montibus errabant, a barbaris captos in servitutem ivisse, inque iis Episcopum quemdam cum domesticis suis, de quibus nihil cognosci certo potuerit. Quae cum in Aegypto acciderint, quid in reliquis imperii Provinciis fuisse de christianis factum putabimus? Denique animadvertendum est, quod hoc loco dicitur, mansisse in solitudine Ecclesiam diebus mille ducentis & sexaginta. Quod ita accipi debet: cum Decius duobus omnino annis imperator fuisset, tum Gallus, qui ei successit, vexare nostros pervexisse, ita ut ille dierum numerus expleretur. Et cum essent christiani forti animo, neque se fugae darent; in hos, inquit, *factum est praelium magnum in caelo* (in Ecclesia): *Michael* id est fides, *& Angeli ejus* hoc est qui fidem sequebantur, *praeliabantur* fidei & patientiae armis, *cum Dracone*. Draco autem Romam, & imperium P.R. ethnicosque significat: *& Draco*, id est Roma, imprimisque imperator *pugnabat* suppliciis,

ciis, quibus in nostros utebatur, *& Angeli quoque ejus*; homines nimirum deorum superstitioni servientes. Namque Angeli vocabulum nuncium significat; is autem imperator nuncios, ac judices in christianos dimiserat. Atque ii quidem vicerunt, qui cruciatus magno, fortique animo pertulerunt; eorumque uno sublato, multi rursus inveniebantur, qui se Christo dederunt. *Et* idcirco, inquit, Ethnici *non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in caelo*; eo scilicet tempore ita ut explicatum est supra cap. x. *& projectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Satanas, qui seducit universum orbem: & projectus est in terram, & Angeli ejus cum illo missi sunt*; perinde ac si diceret: devicta est Roma, superatique sunt Ethnici, qui diabolo serviunt, atque ut terreni, & miserabiles relicti, ac destituti sunt. *Et audivi vocem magnam in caelo*, hoc est in Ecclesia, *dicentem: nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus: quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die, ac nocte. Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni, & propter verbum testimonii sui, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem*. Tamquam si christiani dicerent: magnas Deo gratias habemus, quod prostratus est daemon, qui optimos viros fratres nostros accusabat; hunc ipsi ope, auxilioque divino, quod filii Dei Christi sanguinem impetrarunt, superaverunt; utque ne datam Deo fidem fallerent, vitam libenter amiserunt. *Propterea laetamini caeli*,

Caelorum autem nomine ſancti beatique homines ſignificantur, *& qui habitatis in eis*, ideſt qui in recta ſantaque vitae ratione manetis. Poſſunt explicari haec eadem paulo aliter, in hunc modum; laetandum eſt vobis Pater, & Fili, ſancteque Spiritus; quoniam ex martyrum iſta pugna laus in vos redundavit. Atque iiſdem quoque ipſis ſanctis hominibus laetandum eſt, qui in caelis, hoc eſt, in Deo degunt. Sed ratio eſt quaedam dicendi iſta, ad hominum ſcilicet cogitandi rationem accomodata, cum laetari Deus dicitur. Ea autem uſus eſt etiam David „ exultationes Dei, inquit in gutture ſanctorum „, quae ſcilicet ad laudes referuntur, quibus Deum beati homines proſequuntur. Deliciae enim ejus, eſſe cum filiis hominum. Jamvero in hunc locum exitus Deciani temporis incidit. Decius enim cum biennium Reipublicae praefuiſſet, ab Gothis, ut dici quidem videtur poſſe, in praelio eſt occiſus. Namque cum in ſummum ſe periculum adductum vidiſſet, ſeſe in lacum conjecit, aquiſque ſubmerſus interiit; quae res anno 254. contigit. Ei Gallus ſucceſſit; iſque etiam Eccleſiae infenſus fuit. Cujus de crudelitate pronuncians Johannes, in hunc modum pergit: *vae terrae, & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet*. Forte magus aliquis Gallo praedixerat, exiguo eum tempore regnaturum. Quare breve illud tempus, homo ſcilicet Deorum ſtudioſiſſimus, in exagitandis chriſtianis totum eſſe conſumendum putavit. *Et poſtquam vidit Draco, quod projectus eſſet in terram*; nimirum

cum

cum Decio prostratus, atque iterum cum Gallo surgens, *persecutus est mulierem, quae peperit masculum*; nempe Ecclesiam, praesertim quod ea Philippum ad se convertisset. Eidem autem Ecclesiae datus fuit locus, quo se reciperet; ita ut de superiori tempore demonstratum est. Cumque permulti eorum, qui tum profugerant, solitudinis amore ducerentur, magnosque sibi spiritus sumsissent; infensa jam Galli voluntate, perspecta, consilium de repetenda solitudine ceperunt. Idcirco, *& datae sunt*, inquit, *mulieri alae duae, aquilae magnae*; nempe incensi christiani sunt, resque divinas contemplandi singulari studio; sunt enim preces, rerumque divinarum contemplatio tanquam alae duae, quibus sublatus animus ad Deum volat. Explicat porro quam ob caussam datae ei sint alae, nempe *ut volaret in desertum, in locum suum*, (suum inquit, propterea quod christiani, invidia inimicorum exagitati, illuc Dei amore incitati ferebantur) *ubi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis*. Quatuor sunt anni tempora; singula autem tribus mensibus continentur. Itaque hic locus de septem mensibus cum dimidio intelligendus est, quamdiu fugere perrexit Ecclesia, *a facie serpentis*, id est Galli Imperatoris, *& misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine*. Hoc est, infestum hominem Gallus in christianos misit; eique in mandatis dedit, ut eos in carceres contruderet. Verum quia, Deo invito, nihil homini ex sententia potest accidere, addit: *Et adjuvit terra mulierem*,

idque

idque quemadmodum id sit factum docet: *& aperuit*, inquit *terra os suum*, *& absorbuit flumen*, *quod misit Draco de ore suo*. Nimirum cum Galli ille legatus christianos ad necem quaereret, vapores terra pestilentes emisit, ex quibus, Gallo imperatore, gravissima extitit pestilentia; qua & legatus, & qui una cum eo missi fuerant, perierunt; atque ita eos terra absorbuit, inque se sepultos conclusit. *Et iratus est Draco in mulierem: & abiit facere praelium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Jesu Christi*. Quasi haec diceret, cum legati de morte, eorumque, qui fuerant cum eo profecti Gallus audisset; atque ejus rei culpam in christianos conjiceret, quasi praestigiis usi eos interfecissent; (nam appellabantur ab Ethnicis christiani praestigiatores) ita, inquam, animatus Gallus, cum esset, odium suum omne in christianos reliquos convertit, qui Romae remanserant, quique alijs in urbibus versabantur; deque iis supplicium sumere instituit. Quos cum porro insectari pergeret, ad mare, pervenit: *& stetit super arenam maris*, ac progressus quidem ultro fuisset si ejus rei facultatem habuisset. Quum esset is imperator, gravissima fuit pestilentia, quae totum fere orbem occupavit, eaque ipsa exercitum ab Gallo in christianos missum delevit. Tenuit vero imperium Gallus annis duobus, & quatuor mensibus, donec anno 256. a suis ipse interfectus est.

CAPUT XIII.

De afflicto Valerianeo tempore, deque insigni, qui tum vixit, praestigiatore.

SUblato Gallo, appellatoque Imperatore Emiliano, postquam is tribus omnino mensibus regnasset, in ejus locum Valerianus successit; de hoc ergo sic Johannes loquitur: *Et vidi de mari bestiam ascendentem habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua ejus decem diademata*. Demonstratum est antea, bestiae nomine Urbem Romam, capitum autem appellatione colles, ac cornuum denique vocabulo infensos christianis Imperatores, qui decem fuerunt, significari. At superiorem inter, atque hunc locum hoc interest, quod hoc quidem loco diademata cornibus bestiae sunt imposita, superiori vero imposita fuerant capitibus. Sed utrumque eo referri potest, quod non montibus solum, sed cornibus etiam, quibus imperaratores indicantur, Romani diademata pingendo tribuerent. Ait porro: *& super capita ejus nomina blasphemiae*. Haec propterea dicuntur, quod Romani, qui septem Urbis colles habitabant, Deum blasphemabant, & Christum, eique devotos homines ludibrio habebant: aut fortasse, quia Roma nomen sibi arrogabat, quod nemini, praeter Deum, convenit. *Et bestia, quam vidi, similis erat pardo, & pedes ejus sicut*

pedes

pedes ursi, & os ejus sicut os leonis. Daniel etiam propheta de hac eadem bestia agit, quae decem habeat cornua, & ex mari prodeat, qualis hoc loco describitur. Mare autem mundum significat, cum sit mundus veluti mare quoddam commotum, atque agitatum. Quae vero de ore leonino, ceterisque ejusmodi proprietatibus dicuntur, ea ad Valerianum referuntur, qui non solum pios, sanctosque homines trucidari voluit, sed in Deum etiam ipsum blasphemiis petulanter invehi ausus est. *Et dedit illi Draco*, idest diabolus, *virtutem suam, & potestatem magnam*. Heic vero memoria repetendum est, draconem unum Romanos olim in specu quodam inclusum habuisse, cui cultum, precesque adhibebant, quemque Satanas occupaverat. Atque is fortasse Draco jam inde ab eo tempore, quam eo Petrus venerat, Romae prodierat, nempe ut Evangelii veritati contradiceret, utque Romanos in Evangelium ipsum, inque christianos incitaret. Neque est incredibile, eumdem hunc ipsum draconem illud praeterea Dei voluntate fuisse consecutum, ut humanae vocis facultate uteretur, quaeque vellet, commode explicare posset; idemque fortasse Valerianum, ut christianos insectaretur, pollicitationibus induxit, cum diceret, magnam illi sese ejus rei potestatem facturum. Quo autem dolore commotus in eam rem incumberet, constat ex his, quae sequuntur: *& vidi*, inquit, *unum de capitibus suis quasi occisum in mortem*. Animadvertendum est, Valerianum, quum primum imperium adeptus fuerat, tanta in christianos facilitate con-

ſueſſe, ut domicilium ejus eccleſia potius, ac templum, quam palatium eſſe videretur. At poſtea ab Aegyptio malefico quodam, ac principe praeſtigiatorum circumventus, mutata voluntate, ſaeviſſime eoſdem eſt inſectatus. Ac ſuperiori quidem tempore, quod propter perſpectam Valeriani in chriſtianos, egregiamque voluntatem palam de Chriſti fide praedicabatur, hanc totus fere mons Palatinus, ubi palatium erat Imperatorum, ſuſceperat. Verum quod poſt iidem ipſi ſe in Chriſtianos converterant, idcirco addit: *& plaga mortis ejus curata eſt*: perinde ac ſi diceret; cruciatuum metu perterritos a fide defeciſſe. Chriſti vero fidem ideo mortem appellat, quia, Evangelio ſuſcepto, ſuperſtitio Deorum ablata moritur. *Et admirata eſt univerſa terra poſt beſtiam*, cum Romanorum, quibus beſtiae appellatio tribuitur, vires, & ſummam, atque incredibilem rerum poteſtatem conſpiceret. *Et adoraverunt Draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ*: id eſt diabolo, qui in dracone erat, cultum adhibuerunt: qui eorum opinione poteſtatem Romanis terrarum orbis ſubigendi tribuerat. Atqui Dei omnino voluntate ea res accidebat; quum vellet Deus, boni probique homines ut in virtute ſe, atque in patientia exercerent. *Et adoraverunt beſtiam*, id eſt potentiam Romanorum, *dicentes: quis ſimilis beſtiæ? & quis poterit pugnare cum ea?* Perinde ac ſi diceret: quis jam audebit cum Romanis contendere, quorum tantae ſunt vires, tantaque rerum poteſtas, ut ſibi terrarum orbem ſubegerint? Tum converſa ad Valerianum

ipſum

ipſum oratione, qui princeps erat, ac veluti caput ejus imperii; *& datum eſt ei*, inquit, *os loquens magna, & blaſphemias: & data eſt ei poteſtas, facere menſes quadraginta duos*. Hoc eſt malefici, ac praeſtigiatoris illius hortatu Valerianus Chriſtum eſt inſectatus, cum re ipſa ſanctos ac probos homines vexando, tum vero etiam verbis, magna in Chriſtum convicia petulanter jactando; idque menſibus duobus, & quadraginta, quod ſpatium eſt annorum trium cum dimidio. Quo quidem ſpatio Severus etiam, ac Decius, & Gallus Eccleſiam exagitarunt. *Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus* (Eccleſiam), *& eos, qui in cælo habitant*: id eſt martyres, quos Ethnici fortaſſe impiorum apud inferos ſupplicia laturos dicebant, propterea quod cruci affixi hominis fidem ſequebantur. *Et eſt datum illi bellum facere cum ſanctis*, eos inſectando, *& vincere eos*, corpora eorum trucidando. *Et data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem*; fere enim omnes Romani dominabantur. *Et adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram*; ideſt Romam, quae nimirum beſtia eſt, coluerunt, eique ſupplicii terrore commoti paruerunt; ii ſcilicet, *quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitae agni*, quoſque non ſibi agnus ille ipſe Chriſtus delegit, agnus inquam, *qui occiſus eſt ab origine mundi*. Quumprimum enim lapſus fuiſſet Adamus, decretum fuerat, ut Dei filius noſtram ſibi humanitatem adjungeret, eaque veluti veſtitus, cruciatus, ſuppliciumque per-

perferret. Itaque ob eam rem praedictum serpenti fuit „ inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, (id est homines impios) & semen illius „ (hoc est Christum) qui non ab viro quidem, sed ex muliere tantummodo est genitus. Quam rem ita Paulus narrat „ misit Deus filium suum factum ex muliere „. Jam vero quum gravissima essent ea, quae dixerat, atque diligenter admodum consideranda, idcirco addidit: *Si quis habet aurem, audiat. Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet; qui in gladio occiderit, opportet eum gladio occidi*. Id est, qui bona est mente, ad ea, quae praedico, animum diligenter advertat. Ethnici, qui insectati christianos fuerint, si eos in servitutem adduxerint, ipsi quoque in servitutem venient, ac si eos gladio interfecerint, gladio & ipsi occidentur. Saepe enim plerique Ethnicorum, qui christianos servitutem servire coegerant, eosque interfecerant; post, prodigiis sanctorum hominum commoti, Christi fidem susciperent, tum vero divina ope confirmati, easdem illas calamitates tolerabant, ac denique martyrio perfungebantur. Quamobrem ita pergit: *Hic est patientia, & fides sanctorum*, patientia nempe adversi temporis, & fides, hoc est fiducia; fore nimirum, ut, qui nostris poenam inflixisset, eamdem ipse sustineret. Sed jam de saevissima tempestate dicere instituit, quam praestigiator ille, quem supra diximus, in Ecclesiam concitavit. Principio autem animadvertendum est, menses, qui supra commemorati sunt, non ipsos quidem quadraginta duos

duos in exagitanda Ecclesia Valerianum consumpsisse. Antequam enim spatium illud exactum fuisset, in Persas profectus est, iisque bellum intulit; quo in bello captus ipse, ac in carcerem contrusus fuit, ibique detentus, denique obiit. Quae res divino plane consilio accidisse videtur, ut qui primum humanissime christianos tractasset, deinde malefico homini circumvenienti auscultasset, exitum denique ejusmodi nancisceretur. Neque ea re contentus Sapor Persarum rex, quod captivum Valerianum teneret, hoc praeterea faciebat, ut quum equum vellet conscendere, in eum pedes imponeret; ac postremo eidem oculos exculpi jussit. Quibus ex rebus magno dolore animo suscepto interiit. Itaque mensium quadraginta duorum spatium Gallienus explevit, Valeriani filius. Cui rursus praestigiator ille adfuit in perniciem christianorum. Atque ita rem Johannes persequitur: *& vidi*, inquit, *aliam bestiam ascendentem de terra*: illum nempe praestigiatorem, qui, cum terrenus esset, atque caelesti christianorum integritati infensus, quae ab ejus generis hominibus omnino abest, novis excogitatis rationibus christianos vexavit. Praestigiis enim nescio quibus, quae prodigiorum similia viderentur, fallere eos conabatur, inducereque, ut Christo diffiderent. Quamobrem de ea bestia narrare ita pergit; *& habebat cornua duo similia agni*. Inter reliqua praestigiatoris scelera, quae admisit, hoc etiam fuit, quod filias duas in lupanari meretriciam artem exercere coegit: quae res in caussa est, cur huic bestiae Johannes duo cornua adpingit.

git. Praeterea pueros occidere, atque eviscerare consuerat, quibus visceribus ad praestigia uteretur. Atque haec ille omnia ulciscendorum christianorum, & gratiae ab Romanis ineundae caussa faciebat. *Et loquebatur sicut Draco*. Explicatum est, Draconis nomine daemonem significari, quem Romani colebant. Jam vero quemadmodum Draco, Deos coli, exagitari autem christianos oportere praedicabat; ita praestigiator eadem suadebat. *Et potestatem prioris bestiae* (Romae) *omnem faciebat in conspectu ejus*; perinde ac si diceret, conantibus Romanis christianos perdere, opem is, atque operam conferebat, ut rem Imperatoribus gratam faceret. *Et*, qua maxima est usus improbitate, & artibus, ac praestigiis, *fecit terram*, *&* *habitantes in ea*, (id est homines terrenos, qui re ipsa in terra degunt) *adorare bestiam primam*, *cujus curata est plaga mortis*: hoc est induxit illos, ut sequerentur superstitionem Romanorum, idque cum summa indignatione, propterea quod qui unum Romae montium incolebant, christianam Religionem omnes suscepissent. *Et fecit signa magna*, praestigiis nempe, *ut etiam ignem faceret de caelo descendere in terram*; non ita quidem, ut sancti homines solent, verum *in conspectu hominum*, nempe gloriam, & plausus captans; *& seduxit habitantes in terra*; idque *propter signa quae data* ac permissa *sunt illi facere in conspectu bestiae*, hoc est coram Imperatoribus, populoque Romano, ut his satisfaceret: *dicens habitantibus in terra*, *ut faciant imaginem bestiae*, id est ut superstitioni se dederent, qua erant Romani

mani implicati; *quae* bestia *habet plagam gladii, & vixit*: nimirum etsi uno monte ad Christi fidem converso, atque ab ethnicorum institutis gladio veluti divini verbi abscisso, bestia vulnus accepisset; nihilominus mons ille rursus ad inanem Deorum religionem revertit. *Et datum est* praestigiatori *illi, ut daret spiritum imagini bestiae*. Imago haec statua fortasse fuerit Jovis, quem praecipue colebant. *Et* effecit maleficus praestigiis, *ut loquatur imago bestiae*, eam ob rem, ut qui timore occupati, neque satis firmi animis essent, a fide descirscerent. Sed cum his artibus nihil adversus fortes proficeret, idcirco ita pergit: *& faciat, ut quicumque non adoraverint imaginem bestiae, occidantur*. Usus praeterea est aliis artibus, quas nunc Johannes persequitur: *& faciet*, inquit, *omnes pusillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & servos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis*. Perinde ac si diceret: omnes cujuscunque fortunae, ac generis homines in superstitionem inducet; eosque sibi, ut fidem adjungant, movebit, quae res ad frontem pertinet: itemque ut hostias Diis immolent, idque ad manum refertur. Atque ut haec facilius perficeret, rursus alias artes excogitavit, & adhibuit, *ne quis* scilicet *possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiae, aut numerum nominis ejus*; idest ut nemini quidquam cum aliis agendi facultas sit, quin aut Deorum superstitioni deditus, aut Romanis pareat, aut bestiae dicto, edicto audiens fuerit; praestigiatori nimirum, qui

 prae-

praestigiis, & maleficiis magnam sibi apud Gallienum Imperatorem, indoctum eum quidem rerumque imperitum, auctoritatem atque existimationem comparaverat. Quo tempore hominibus singulari prudentia, atque animi fortitudine opus erat, ut ne ejusmodi fraudibus circumventi a fide discederent. Itaque ait: *hic sapientia est*. Hoc autem significare voluisse videtur, perspicacia opus esse, ne quis fidem haberet ethnicorum verbis, nisi apud eos in honore christianos esse vidisset. Tum vero nostros admonet ne animos despondeant: nam quod neque vendere sibi, neque emere liceret, etiamsi perpetuum id malum in brevi hac peregrinatione esset, tamen contemni debere: quanto ergo magis, quum omnis tempestas haec ab Valeriano ad intentum praestigiatoris, mensibus omnino quadraginta duobus diuturnior futura non esset? Itaque ait: *qui habet intellectum computet numerum bestiae. Numerus enim hominis est; & numerus ejus sexcenti sexaginta sex.* Animadvertendum hoc loco est; Valerianum Persico bello, quo in bello captus interiit, occupatum, menses quadraginta duos, quo spatio vexati christiani fuerunt, explere ipsum non potuisse; itaque negotium de ea re Gallieno filio, & praestigiatori illi dedisse: tum vero cum hi diebus sexcentis sexaginta sex christianos exagitassent, expletum denique numerum fuisse. Atque inveniebantur quidem christianorum plerique, qui aut instinctu divino, aut traditione admoniti, de Apocalypsi ejusque interpretatione cognoverant, sciebantque, quamdiu duratura tempestas

esset.

esset. Quo in numero Dionysius Alexandrinorum Episcopus fuit, qui eam rem explicavit; Valerianum nimirum illum esse, de quo fuerat divinitus Johanni demonstratum: datum fuisse illi os loquens magna, & blasphemias, & datam fuisse ei potestatem facere menses quadraginta duos. Haec cum ita essent, admonens nostros Johannes, ea in memoriam hominum revocat, ut qui habet intellectum, computet numerum bestiae; jamque hoc intelligat, dies omnino restare sexcentos sexaginia sex. Itaque bono sit animo, quoniam non erit perpetuum malum. Desierunt autem eo tempore exagitari christiani anno 260.

CAPUT XIV.

Johannes innocentes pueros una cum Redemtore hominum Christo intuetur, idemque Christus magnum proborum hominum numerum mundo eripit; christianosque exagitari a Gallieno sinit.

SUperius caput de bestia cornibus armata, itemque caput hoc ipsum, & proxima duo, quae sequuntur, ad id tempus pertinent, quo Gallienus Valeriani filius imperium obtinuit P. R. Ait porro nunc Johannes: *& vidi, & ecce agnus stabat supra montem Sion*: Sion autem sacrum montem significat, atque ad Ecclesiam refertur, in qua Redemtorem hominum Christum Johannes suspexerat, *& cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, & no-*

& nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis. Hi, quorum erat in frontibus nomen agni, & nomen Patris ſui inſcriptum, Innocentes ſcilicet pueri fuerunt; nam eſt agnus manſuetus natura, in pueris autem ſumma eſt manſuetudo. Ideo vero Patris in illis nomen inſcriptum erat, quod caritatem ſignificat, nimirum propter eorum in Deum, inque agnum amorem. Atque eſt etiam credibile, eos ſumma cum caritate Chriſti cauſſa mortem obiiſſe, ita ut conſilium, & ratio aetatem praeverteret. *Et audivi vocem de caelo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni: & vocem quam audivi ſicut citharaedorum citharizantium in citharis ſuis: & cantabant quaſi canticum novum ante ſedem, & ante quatuor animalia, & ſeniores, & nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati; virgines enim,* & ſancti *ſunt. Hi ſequuntur agnum quocumque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiae Deo & agno*; primi enim omnium Chriſti cauſſa pertulerunt ſupplicium. *Et in ore eorum non eſt inventum mendacium, ſine macula enim ſunt ante thronum Dei. Et vidi* inquit *alterum Angelum*; haec ad praeſtantem aliquem de divinis rebus concionatorem referuntur, *volantem per medium caeli*, nempe in Eccleſia; *habentem Evangelium aeternum*; promittit enim hominibus Evangelium, felicitatem ſempiternam: *ut evangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam,*

guam, *& populum*. Fortasse haec ad Stephanum Pont.Max. aut ad Dionisium pertinent, qui Gallieno aequales fuerunt; nam auctoritate ejus Angeli, populum ait universum, gentemque omnem contineri. *Dicens magna voce*, magnoque animo, *timete Deum*, *& date illi honorem*, *quia hora judicii ejus*: *& adorate eum*, *qui fecit caelum*, *& terram*, *mare*, & omnia quae in eis sunt, *& fontes aquarum*. Haec concio ad christianos habebatur, atque de calamitatibus admonebat, quae paullo post, Gallieno Imperatore, acciderunt, gravissimae eae quidem omnium, quas antea, aliis Imperatoribus, passi fuerant. *Et alius angelus sequutus est dicens*: *cecidit*, *cecidit Babylon illa magna*, *quae a vino irae fornicationis suae potavit omnes gentes*. Jam ruina isthaec utroque modo accipi videtur posse; nimirum, ut vel ad ipsam urbem Romam referatur, quam Paulus Babylonem appellat, quaeque paulo post maximo terraemotu conquassata pene in eo fuit, ut currueret: vel ut de Deorum superstitione intelligatur, quae haud ita post, Constantino Imperatore, Sylvestro autem Pontifice Maximo, eversa, & labefactata fuit. Additque praeterea, inducta fuisse ejus opera, impulsaque ad turpitudinem reliqua Regna, quae imperio P. R. parebant. *Et tertius Angelus*, is jam alter est concionator, *secutus est illos dicens voce magna*: *si quis adoraverit bestiam*, Romanorum superstitionem, *& imaginem ejus*, consuerant enim aliquando imagines Urbis Romae adhibere, quae septem haberet capita, singula diademate ornata, ita ut dictum est supra; *& accepe-*

reperit characterem in fronte sua : inanem Deorum cultum probans ; *aut in manu sua* , Idolis immolans , *& hic bibet de vino irae Dei* , *quod mistum est mero in calice irae ipsius* ; qui enim ligneis, aereisve statuis divinos honores adhibeat, eum ebrium esse omnino necesse est. *Et cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum & ante conspectum agni* : videbunt enim Angeli , atque agnus , quum damnati illi suppliciis torquebuntur. *Et fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum* , *nec habent requiem die ac nocte* , *quia adoraverunt bestiam, & imaginem ejus* , *& si quis acceperit characterem nominis ejus*. Quoniam vero animi fortitudine est opus , quo tanta haec incommoda vitari possint : *hic patientia* , inquit, *sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei* , *& fidem Jesu* ; quod , toleratis Dei caussa calamitatibus , animos suos possidebunt , qui patientia possidentur. *Et audivi vocem de caelo dicentem mihi* , *scribe : beati mortui* , *qui in Domino moriuntur* : hoc est qui Dei caussa mortem oppetunt ; aut si mavis , qui sibi suaeque voluntati moriuntur , dedentes se Deo ; hi enim , *amodo jam dicit spiritus* , *ut requiescant à laboribus suis*. Ubi enim Deo voluntatem suam quis devovit , is nullo unquam incommodo afficitur, multoque Deo plus ; quam sibi ipsi vivit : *opera enim illorum sequuntur illos*. Quamquam totus hic locus proprie , atque ut ajunt secundum literam ad martyres pertinet. *Et vidi & ecce nubem candidam* , hoc est Christi humanitatem , *& super nubem sedentem similem filio hominis* , id est Christi animum.
Quod

Quod non hominem quidem, ſed ſimilem filio hominis appellat, eo nimirum ſpectat, quod Chriſtus filius erat virginis feminae, neque tamen hominem ullum habuerat Patrem, contra ac homines naſcuntur. *Habentem in capite ſuo coronam auream*, quoniam ipſe eſt rex regum; *& in manu ſua falcem acutam*, hoc eſt ſuam ipſius voluntatem, qua probos, juſtoſque homines, qui ſunt veluti ſpiritale quoddam frumentum, demetit, eoſque in Eccleſiae horreo reponit. *Et alius Angelus exivit de templo clamans voce magna ad ſedentem ſuper nubem* nempe ad Chriſtum dicens: *mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora, ut metatur, quoniam aruit meſſis terrae*. Quae ita ſunt accipienda, non ut imperaret quidem Angelus Chriſto; verum ut ab eo flagitaret, ut juſtorum bonorumque hominum nonnullos ex mortali hac vita eripere ne gravaretur. Falcis autem vocabulo aegritudinem corporis levem aliquam ſignificat; cujus generis permulta, Gallieno Imperatore, fuerunt toto orbe. *Et*, ut Angelo flagitanti ſatisfaceret, *miſit qui ſedebat ſuper nubem, falcem ſuam in terram, & demeſſa eſt terra*; hocque frumentum in ſuum horreum intulit, id eſt in caelum. *Et alius Angelus exivit de templo quod eſt in caelo habens & ipſe falcem acutam. Et alius Angelus exivit de altari*, id eſt prodiit Chriſti juſſu, qui ipſe eſt vivum altare, *qui habebat poteſtatem ſupra ignem*. Ex quo intelligitur, Angelos eſſe, qui ventis, qui igni, qui aquae praeſint, ita ut dicetur cap. 16. *Et clamavit voce magna ad eum, qui habebat falcem*

acutam, *dicens*: *mitte falcem tuam acutam*, *& vindemia botros vineae terrae*, *quoniam maturae sunt uvae ejus*. Botri quidem ad Ecclesiam referri possunt, atque ad coetus proborum hominum, qui nimirum tum jam maturuissent. *Et misit Angelus falcem suam acutam in terram*, *& vindemiavit vineam terrae*; vinea Ecclesiam significat, botri coetus, uvae autem pios ac bonos homines, *& misit in lacum irae Dei magnum*. Significatur autem haec Gallieniana Ecclesiae vexatio. Nam Gallienus quidem tempestatem a parente suo in Ecclesiam commotam persecutus est; sed postea tamen finem vexandi fecit. *Et calcatus est lacus extra civitatem*: nam Gallieniana calamitas extra Urbem Romam Ecclesiae accidit. *Et exivit sanguis de lacu usque ad fraenos equorum per stadia mille sexcenta*. Octo stadia unum milliare conficiunt; milliaria autem tria unam leucam. Itaque ea tempestas intra spatium modo leucarum sex & sexaginta versata est; quo in spatio sanguis martyrum eo usque salire potuit, ut ad fraenos equorum pertingeret. Appellatur autem tempestas ista: lacus irae Dei: ob eam causam, quod si pro humana cogitandi ratione consideretur: ex ira Dei profecta videatur. At vero Deus O. M. iis ipsis calamitatibus misericordiam hominibus impertivit; ita ut chirurgi solent, qui ut vulnus sanent cauterium aegroto adhibent, aut parentes, cum filium verberant, ut ei prosint.

CAPUT XV.

Septem Angelis septem irae phialae tribuuntur, id est plagae, in quibus Dei ira expletur.

ET *vidi aliud signum in caelo*, hoc est in Ecclesia, *magnum & mirabile*, id est, *Angelos septem, habentes plagas septem novissimas: quoniam in illis consummata est ira Dei*. Omnes autem, Gallieno Imperatore, palam sunt demonstratae. Ac sex quidem priores tunc expletae, atque absolutae sunt: septima vero prenunciata fuit quidem eo tempore: sed effectus tamen ejus usque in hanc diem perduravit, durabitque porro ad exitum usque, finemque mundi. *Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne*. Mari divinitas; vitro autem lux, ad quam accedi non potest; ac igne denique Dei caritas significatur: *& eos qui vicerunt bestiam, & imaginem ejus, & numerum nominis ejus*; sanctos nimirum, qui idololatriae restiterunt, donec sua ipsi tandem corpora dimiserunt, *stantes super mare vitreum*, nempe divinitate fruentes, *habentes cytharas Dei*, id est Deum laudibus celebrantes, *& cantantes canticum Moysi servi Dei, & canticum agni, dicentes: magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: justae & verae sunt viae tuae, Rex seculorum*. Ac si dicerent: quod nos ad te, plena vexationum, atque calamitatum via duxisti; id ita scilicet

licet honoris tui, nostraeque utilitatis caussa fieri oportuit; itemque ut Ethnici ad sanitatem converterentur. Itaque pergunt, *quis non timebit te, Domine*, ut filius parentem; *& magnificabit nomen tuum? quia solus pius es*. Nempe hinc rursus liquet: lacum magnae irae Dei pietate dirigi. *Quoniam omnes gentes venient* ad exitum seculorum, *& adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt*. Haec ad caelestem Jerosolymam referri videntur, quae nempe hominibus heic in terra demonstrabitur. *Et post haec vidi, & ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in caelo*: quae verba de Redemtore salutis humanae Christo accipienda, qui postremis his demonstratis plagis, se ipse ostendit, ita ut antea sigillis, & tubae vocibus ostenderat. *Et exierunt septem Angeli habentes septem plagas*, id est septem plagarum potestatem, *de templo vestiti lino mundo, & candido, & praecincti circa pectora Zonis aureis*, quae Zonae aureae castum, purumque Dei in homines amorem significant; ex quo calamitates hujusmodi proficiscuntur. *Et unum de quatuor animalibus dedit septem Angelis septem phialas aureas plenas iracundiae Dei viventis in secula seculorum*. Animalium appellatione Evangelistas indicari, supra demonstratum est. Hoc autem loco indicatur s. Matthaeus, qui de pestilentia, de fame, de Antichristo, deque aliis incommodis, quae usque ad universale judicium futura erant, distincte scripsit. Phialae vero aureae caritatem significant, ex qua hae plagae, ut paulo ante diximus, proficiscuntur.

tur. *Et impletum est templum fumo a majestate Dei, et de virtute ejus*. Templi nomine omnis Ecclesia significatur, quae plena fuisse fumo dicitur aut propter haereticos, qui in ea jam inde ab Gallieni tempore extiterunt, aut ob eam caussam, quod nondum clare, aperteque videre Deum possumus, ita ut eum videbimus, cum ad patriam venerimus. *Et nemo poterat introire in templum donec consummarentur septem plagae septem Angelorum*. Templum de humano etiam corpore potest accipi, in quem sensum ab Apostolo templi vocabulum est usurpatum. Ex omni igitur animorum numero, qui rursus in communi corporum restitutione suis singuli corporibus conjungentur, nullus in id templum, id est in corpus, ingredi poterit, antequam septem hae plagae exactae, absolutaeque fuerint. Effusae sunt autem Gallieni tempore; praeter postremam, quae usque ad universale judicium pertinebit. Ac Gallienus quidem earum terrore perterritus, Ethnicos ab injuriis christianorum temperare jussit; tumque in templum ingrediebantur, hoc est christianos se palam profitebantur.

CAPUT XVI.

Agit de pestilentia, de bellis, de tenebris, de tyrannis, deque terraemotu; quae omnia, Gallieno Imperatore, futura erant.

ET *audivi vocem magnam de templo*, id est ab Jesu Christo, *dicentem septem Angelis: ite, & effundite septem phialas irae Dei in terram, & abiit primus, & effudit phialam suam in terram; & factum est vulnus saevum, & pessimum in homines, qui habebant characterem bestiae, & in eos, qui adoraverunt imaginem ejus*. Ac si diceret; magna fuit inter Ethnicos pestilentia. Ea autem pestilentia (est enim haec res animadvertenda) quae, Gallo Imperatore, extitit, qui Gallus decem annos imperium tenuit, Gallieni tempore nondum cessarat, quinimmo admodum crevit, ac ferme tota inter Ethnicos versata est. *Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare*, id est in mundum, qui perturbatum quoddam mare est. *Et factus est sanguis tanquam mortui: & omnis anima vivens mortua est in mari*. Continuo bella toto P. R. imperio commota sunt; ipsumque imperium instar maris perturbari, agitarique coepit. Quumque ea res ad omnes nationes pertineret; idcirco *& tertius*, inquit, *effudit phialam suam super flumina, & super fontes aquarum, & factus est sanguis*. Flumina exercitus P. R. significant,

ficant, qui in omnibus imperii partibus versabantur; fontes vero eorumdem exercituum, Duces, ac Principes. Namque & exercitus, & duces in sanguinem sunt conversi; quum gentes, defectione facta, eos concidissent; atque ita in orbe terrarum sanguis est Romanorum effusus. *Et audivi Angelum aquarum dicentem: Justus es Domine, qui es, & qui eras sanctus, qui haec judicasti: quia sanguinem sanctorum, & prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere; digni enim sunt.* Ac si diceret: Quum Romani ubique locorum sanguinem servorum tuorum effuderint; nunc merito scilicet eorum accidit, ut ipsorum sanguis ubique effundatur. *Et audivi alterum ab altari dicentem: etiam, Domine Deus omnipotens, vera & justa judicia tua*; aequissimum nempe Dei de Romanis judicium approbabat. *Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem; & datum est illi aestu affligere homines, & igni; & aestuaverunt homines aestu magno.* Haec ad pestilentiam pertinere videntur, quae aut aucta fuerit, aut iterum extiterit, eaque jam multo saevior superiore. Ac Romae quidem ex pestilentia homines ad quinque millia intra unius diei spatium decessisse perhibentur. Ex quo facile est de reliquis imperii partibus judicare. Quamquam vero ea calamitate affligi, atque opprimi divino judicio se intelligerent, propterea quod Ecclesiam exagitassent; tamen, ut erant superstitioni inanium Deorum dediti, non resipuerunt; immo vero, *& blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas*, *neque egerunt*

runt poenitentiam, ut darent illi gloriam; Deo enim per poenitentiam datur gloria, id est satisfit. *Et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiae*; hoc est in imperium P. R. *& factum est Regnum ejus tenebrosum*; idque in dies complures, quibus tantae sunt soli effusae tenebrae, ut homines magnus terror invaserit: *Et commanducaverunt linguas suas prae dolore*, id est sibi ipsis linguam mordebant, ita ut solent ii, qui sunt ira incitati. Etenim quum pestilentiae multorum dierum tenebrae successissent, quae inferorum umbram quandam, atque imaginem referebant; Ethnici, quorum non erant mores ad patientiam comparati, concidebant animis, seque ipsos desperabant. *Et* ob eam caussam, inquit, *blasphemaverunt Deum Caeli prae doloribus, & vulneribus suis; & non egerunt poenitentiam ex operibus suis*; quae maxima omnium miseriarum fuit, quum tot calamitatibus urgerentur, ac denique aeternum se irent perditum. *Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphraten, & siccavit aquam ejus*, fortasse maximo illo & incredibili calore, de quo dictum est paullo ante, adeo ut absque ullo periculo vado transmitti posset, Idque ob eam caussam ait factum, *ut praepararetur via regibus ab ortu solis*; id enim scire oportet hoc loco: ad ceteras miserias, Gallieno Imperatore, illud quoque accessisse, quod in omnibus Romanorum Provinciis tyranni numero ad triginta usurpata singuli Imperatoris appellatione se extulerant. Quae rerum perturbationes in Perside potissimum, inque reliquis Regnis,

quae

quae Euphrati fluminî ad orientem solem adjacent, acciderant, atque idcirco inquit: ut praepararetur via regibus ab ortu solis: *Et vidi de ore draconis*, nempe diaboli, *& de ore bestiae*, hoc est imperii Romanorum, *& de ore pseudoprophetae*, de quo diximus antea, quum de rebus, Valeriano, ac deinde Gallieno Imperatore, gestis scriberemus, *tres spiritus immundos in modum ranarum*. Fuerunt autem tres spiritus, elatio animi, & ambitio, atque avaritia; quibus tyranni illi incitati, ac rapti; totum terrarum orbem perturbaverunt, quarum perturbationum auctor fuit diabolus, itemque duces Romanorum, qui, quum Gallienum agere negligentius viderent, neque de patre, qui captivus adductus esset], admodum laborare, imperium restituere conari se praedicabant; ac denique Pseudopropheta, qui consilium suum interponebat, suis ipse rationibus studens. Atque hi quidem spiritus immundi fuerunt, qui de ore draconis, & de ore bestiae, & de ore Pseudoprophetae eruperunt. Itaque in hunc modum pergit: *Sunt enim spiritus daemoniorum facientes signa, & procedunt ad Reges totius terrae, congregare illos in praelium ad diem magnum omnipotentis Dei*. Perinde ac si dicat: elatio animi, atque ambitio, & auri cupiditas, qui animi motus, vel diabolici quidam spiritus impellent eos, qui Imperatores vocantur, eosque ad unum commune bellum incitabunt memorabili divinae indignationis die; nam ipsi se denique intersperiment. Verum, quod tanta haec rerum perturbatio nullum probis, sanctisque hominibus

incommodum allatura erat; *Ecce*, inquit, *venio sicut fur*, itaque vigilatote, & preces divino numini adhibetote, etenim *beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua*, id est castimoniam, imprimisque caritatem, qua omnes vitae maculae sordesque eluuntur; atque iis praesidiis hoc certe consequetur, ut, *ne nudus ambulet, & videant turpitudinem*, (id est ejus peccata), *ejus*. Jam vero ad tyrannos rediens, de quibus antea demonstraverat, *& congregabit illos*, inquit, *in locum qui vocatur Armagedon* (Mons „ Evangelii, seu evangelizationis, aut mons „ pomorum, vel fructuum electorum). *Et septimus Angelus effudit phialam suam in aerem*. Animadvertendum est, superiores phialas in terram, in mare, in flumina, in solem, in imperium, inque Euphratem flumen effusas fuisse. Contra septima haec phiala in aerem effusa est; cumque aere terra ipsa, & mare, ac flumina, quaeque in his sunt, omnia contineantur; significat adeo haec phiala in aerem effusa communem atque universalem calamitatem; quodque majus est, una haec sigillis omnibus, & tubarum vocibus, ac phialis superioribus fuit multo diuturnior. Nam ea quidem omnia abs Trajano ad Gallienum, quod spatium annorum centum, & sexaginta fuit, perduraverunt; haec autem una usque in hodiernum tempus, qui annus est M. DC. XVI. protenditur, atque adhuc ad exitum hujus universitatis rerum duratura est. Quamobrem magna phiala appellari videtur posse. Atque ut calamitatum, quae hujus phialae tempore acciderunt, summam dicamus; Mani-

nichaei eo quidem tempore turbás in Ecclesiam concitaverunt; vexatique Christiani fuerunt primum ab Aureliano, deinde ab Diocletiano, quae vexatio fuit omnium teterrima; paulloque post, Constantino Magno Imperatore, etsi concidit superstitio Deorum; Ariani tamen suae haereseos initium fecerunt, a quibus trecentos annos Ecclesia exagitata est; iisque nondum exactis, Muhamedes extitit, quo quidem Antichristum infensiorem Ecclesia habuit neminem: tum surrexit Gog & Magog, id est gens Othomannorum, a quibus sunt vexati Christiani: atque haec omnia magnae hujus phialae intervallo acciderunt, praeter ea, quae deinceps usque ad mundi interitum futura sunt. Jam vero de celebritate dicamus, quae, cum de hac phiala palam enuntiaretur, est facta; ex ea enim celebritate facilius, quid phiala significet, intelligetur. Itaque effusa in aerem phiala, *&* *exivit*, inquit, *vox magna de templo a throno dicens: factum est*: hujus finis seculorum exitu terminabitur; quae enim reliquis deinceps seculis fient, hujus phialae intervallo, ac potestate omnia continebuntur. *Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terrae motus factus est magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram, talis terrae motus sic magnus. Et facta est civitas magna* (Roma) *in tres partes*; quod autem non ea penitus ruerit, sanctorum virorum scilicet, qui in ea degebant, precibus acceptum referri debet: *& civitates gentium ceciderunt*; magnamque hominum multitudinem oppresserunt: & mare redunda-

dundavit, atque effusum est, pluresque urbes in profundum demissas deglutivit; terraeque faucibus multis locis patefactis, magna copia aquae salsae redundavit, & fremitus ac mugitus terrae sunt exauditi, quo terrore plerique percussi interierunt. Quibus ex rebus intelligitur, quae quantaeque calamitates ejus phialae tempore futurae erant, cujus enunciatio tantam habuit celebritatem. Jam vero rursus de Urbe Roma loquens: *Et Babylon magna*, inquit, *venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis irae ejus*; ac si dicat: eorum, qui Ecclesiam exagitabant, peccatum cum Deus vellet ulcisci, vinum indignationis, quo de nunc dicimus, eis potandum dedit. *Et omnis insula fugit, & montes non sunt inventi*; nimirum pars pro toto ponitur; atque hoc significatur, exiguas complures insulas mari absorptas fuisse, ita uti supra demonstratum est; multosque montes in profundum fuisse dejectos. *Et grando magna sicut talentum descendit de Caelo in homines, & blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer*. Ad cetera enim mala, de quibus ante diximus, hoc etiam incommodum Dei optimi maximi voluntate accesserat, ex quo miserandum in modum affligi homines necesse fuit; tantae enim grandinis tanta erat vis, ut homines, itemque cetera animalia occidere, arboribusque exitium afferre facile posset. Atque hic jam concluditur Gallieni vita, quae propter multas magnasque res, quas comprehendit, adeo scriptu fuit longa. Interfectus est autem ab suis

Gal-

Gallienus anno C C. L X X I. cum annos quindecim partim una cum Patre, partim solus imperium Populi Romani obtinuisset.

CAPUT XVII.

Demonstrat de bestia septem capitibus, cornibusque decem instructa: deque infenso christianis Aureliano proponit.

E*T venit unus de septem Angelis, qui habebant septem phialas, & locutus est mecum dicens: veni ostendam tibi damnationem meretricis magnae, quae sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt Reges terrae, & inebriati sunt, qui inhabitant terram, de vino prostitutionis ejus*. Perinde ac si dicat: quae adhuc obscure, & figuris involuta proposui, ea jam dilucide, aperteque explicabo. *Et abstulit me in spiritu in desertum. Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam*: est autem mulier Urbs Roma; bestia vero coccinea imperium P. R. quod propter effusum christianorum sanguinem coccineo colore est infectum: *plenam nominibus blasphemiae*, nimirum quod in Deum, inque Ecclesiam maledicta jactaret: *habentem capita septem & cornua decem, & mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis*; nempe haec ad ingentes divitias referuntur, quibus Romani affluebant, *habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia*

for-

fornicationis ejus, propter incredibilem auri, atque argenti vim, quam inanibus Diis Romani dediderant; pretiosis enim statuis urbs Roma plurimum praestabat. *Et in fronte*, id est in voluntate, *ejus*, *nomen scriptum* : *mysterium* : *Babylon magna*; *mater fornicationum*, *& abominationum terrae*. Ac si dicat: insita penitus est eorum animis superstitio Deorum, atque ex superstitione confusio existit, nam Babylonis vocabulo confusio significatur, hujus autem confusionis mater est Roma; ab ea enim in externas gentes invehitur, quibus ipsa dominatur. *Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum*, *& de sanguine martyrum Jesu*. Haec jam ad eam, quam in christianos Aurelianus commovit, tempestatem pertinent, quae post Neronianam fuit nona; neque enim magis idoneus alius locus est ullus, in quem conjici posse videatur. Quamquam haec urbis Romae ebrietas, hicque in sanctos homines concitatus furor universe de omnibus christianorum vexationibus intelligi, atque explicari potest. *Et*, ego Johannes, *miratus sum*, *cum vidissem illam admiratione magna*, propter spectaculum tam acerbum & miserum. *Et dixit mihi Angelus*, ut aliquam mihi tanti terroris levationem afferret: *quare miraris? Ego dicam tibi sacramentum mulieris*, *& bestiae*, *quae portat eam*, *quae habet capita septem*, *& cornua decem*. Atque haec jam edisserere instituit in hunc modum: *bestia*, *quam vidisti*, *fuit*, *& non est*: ac si dicat: ea si quidquam est, aut si natura aliqua est praedita, tota scilicet quanta est, in errore consistit, atque in opinione hominum stultissimo-

ſimorum, re autem vera nihil omnino eſt, ſtatuas inanimas putare eſſe Deos. *Et*, haec beſtia, *aſcenſura* eſt de abyſſo; natus enim eſt ex inferis error hic pernicioſus, ut pro parente, atque creatore rerum omnium Deo, res ipſae quae ab eo ſunt conditae, divinis honoribus colerentur. At enim, praedicato inter homines Evangelio, ea concidet, *& in interitum ibit*; idque jam pro certo habeto; *& mirabuntur inhabitantes terram*, cum tantam, atque incredilem ejus vanitatis vim, poteſtatemque perſpicient; neque eo ſecius, eos duntaxat admiratio iſta capiet, *quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitae a conſtitutione mundi; videntes beſtiam, quae erat, & non eſt*. Nempe ii mirabuntur, quorum erunt animi terrenis, pravisque affectibus impediti, ſecus vero, qui a Deo ſunt electi: hi enim ita ſibi perſuadebunt, omnia Dei O. M. voluntate accidere, atque ad ſuam ipſorum utilitatem, & commodum pertinere. *Et hic eſt ſenſus, qui habet ſapientiam*. Jam vero eadem nunc clarius ſic explicat: *ſeptem capita, ſeptem ſunt montes, ſuper quos mulier ſedet*: nimirum ſeptem capita, quae ſupra ſaepe, & ſaepius commemorata ſunt, ſeptem ſunt montes, in quibus urbs Roma aedificata eſt: id eſt Capitolinus, Palatinus, Aventinus, Coelius, Eſquilinus, Viminalis, & Quirinalis. *Et reges ſeptem ſunt. Quinque ceciderunt*. Non ſunt autem in his numerandi Julius Caeſar, atque Octavianus, a quibus nimirum nihil fuit inimice in chriſtianos factum. Atque eo quidem tempore, quum Octavianus deceſſit, Redemptor ſalutis hu-

humanae Christus annum modo quintum ac decimum aetatis agebat. Itaque abs Tiberio numerandi initium faciendum est, quo Imperatore Christus supplicio est affectus, Pilati, qui minister Tiberii erat, judicio condemnatus. Alter vero post Tiberium Cajus fuit Caligula. Hi autem etsi nullam generalem tempestatem in Ecclesiam commoverunt; dubitari tamen non potest, quin peculiarem aliquam concitaverint; propterea quod ab christianorum religione, tanquam re nova, Deorumque superstitioni adversa abhorrerent. Tertius fuit Claudius, qui Judaeos ex urbe Roma ejecit, idque, ut facile est creditu, ob eam causam, quod Deum unum colerent, eademque fortasse de caussa christianos quoque idem exagitandos putaverit. Quartus fuit Nero; de quo nihil necesse est dicere. Constat enim hunc omnium primum Ecclesiae bellum teterrimum intulisse. Quintus fuit Vespasianus. Inter Neronem autem, & Vespasianum, tres alii fuerunt; quos tamen auctor in tyrannorum, non in Imperatorum numero habuit, adeoque praetermittendos judicavit. Praeterquam quod totum trium illorum regnum viginti dumtaxat mensium spatio conclusum fuit. Ac ne Titus quidem numerandus est, quem infensum cristianis animum gessisse, non constat. Contra ab suis propter nobilitatem, comitatemque, deliciae mundi est appellatus. Exactis autem quinque Imperatoribus, pergit porro, atque, *unus est*, inquit, nempe Domitianus, qui Johannem Evangelistam in Pathmos insulam exulatum misit, qua in insula hunc ille librum conscripsit;

& alius

& alius nondum venit ; & cum venerit , oportet illum breve tempus manere . Is fuit Nerva , qui cum Domitiano succeſſiſſet , annum modo , & menses quatuor imperium tenuit . Ideo autem breve tempus manere illum oportere dicit , quod ei Trajanus succeſſit , a quo exagitata eſt Eccleſia ; eaque vexatio utilis imprimis chriſtianis futura erat . *Et beſtia, quae erat, & non eſt* , quoniam nulli fundamento nititur , *& ipſa octava eſt ; & de ſeptem eſt , & in interitum vadit* : id eſt inanium Deorum cultus , qui etſi aliquid eſſe videatur , tamen cum nulli ſit fundamento innixus , nihil revera eſt ; octavo jam loco numerari , atque in ſeptem illorum, quos tibi paullo ante dicebam , numero collocari poteſt ; quoniam ſinguli eadem illa ſuperſtitione implicati fuerunt , ita ut cum ſuperſtitione ipſa veluti communi quodam vinculo conjungerentur, quam tamen aliquando Chriſti Evangelium labefactabit . *Et decem cornua , quae vidiſti , decem Reges ſunt* , nimirum Nero , Domitianus , Trajanus , Marcus Aurelius , Severus , Maximinus , Decius , Valerianus , Aurelianus , ac Diocletianus ; *qui Regnum nondum acceperunt , ſed poteſtatem tanquam Reges una hora accipient poſt beſtiam* ; ac ſi dicat : quamquam ii Reges eſſe videbantur , re tamen vera carnifices fuerunt , quorum opera Deus eſt uſus , ut ſuorum patientiam exerceret ; iidemque perinde ac ſi oculis capti eſſent , beſtiam , id eſt Deorum ſuperſtitionem ſecuti ſunt . *Hi unum conſilium habent , & virtutem , & poteſtatem ſuam beſtiae tradent* ; id eſt communi conſpiratione , & conſenſu , Chriſti ſer-

sti servos, inque his Christum ipsum affligere conantur; quodque exteras gentes in sua potestate habent, id scilicet inanibus Diis, quos colunt, acceptum referunt. *Hi cum agno*, id est cum Christo, *pugnabunt, & agnus vincet illos: quoniam Dominus Dominorum est, & Rex Regum, & qui cum illo sunt vocati electi, & fideles*. Nempe infensi illi decem christiani nominis hostes Christum quidem in servis ejus oppugnabunt, sed ipsi tamen ab eo expugnabuntur: ejus enim Religio tandem triumphatura est, itemque sancti homines eorum vim, atque impetum superabunt; consequentur enim etiam vexati id, quod sibi proposuerunt. *Et dixit mihi, aquae, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguae*, quae iisdem hostibus christianorum parent. *Et decem cornua, quae vidisti in bestia*, id est conatus quibus pii, & sancti homines bestiae restiterunt: *hi odient fornicariam*; nam fornicatione superstitionem significari Deorum, supra demonstratum est: *& desolatam facient illam, & nudam*; sua nempe sapientia turpitudinem, vilitatemque illius patefaciendo; *& carnes ejus manducabunt*, significantur autem carnis vocabulo ii, qui Deorum erant dediti superstitionibus; quos nempe christiani martyres, patratis prodigiis, ad sanitatem convertebant, & ab ea caecitate, atque errore revocabant: *& ipsam igni concremabunt*; ita uti, Constantino Imperatore, accidit, qui magno animi ardore Christi religionem suscepit; neque vero is solum, sed ipsum etiam imperium, cui praeerat, Atque marty-

rum

rum tempore idem fortasse, quamquam non ita repente, contigit. Rursus autem de martyribus loquens: *Deus enim*, inquit, *dedit in corda eorum* fortitudinem, *ut faciant, quod placitum est illi: ut dent Regnum suum Bestiae*; videbantur enim ethnici victores esse, cum martyres interficiebant: re tamen vera ipsi victi superatique erant. Tamdiu autem iis, inquit, haec Regni victoriaeque umbra concedetur; *donec consummentur verba Dei*; id est dum Constantinus imperium P. R. acciperet, quo Imperatore deorum cultus sublatus est. Pergit porro apertius de muliere dicere: *Et Mulier*, inquit, *quam vidisti est civitas magna, quae habet regnum super Reges terrae*: Roma nimirum; alia enim neque tum erat, neque adhuc fuit ulla, quae exteras gentes suo in imperio, ac potestate haberet. Atque hoc quidem capite partim declarata, partim proposita summatim sunt omnia, quae superioribus capitibus continentur.

CAPUT XVIII.

Babylonis, hoc est Romanae superstitionis ruina praenuntiatur.

ET *post haec vidi alium Angelum descendentem de Caelo, habentem potestatem magnam; & terra illuminata est a gloria ejus*. Is Angelus, Pontifex Maximus quispiam eorum temporum fuerit vitae sanctitate illustris; quod enim ejus gloria illustratam fuisse terram dicitur, ad Evangelii praedicationem, atque ad prodigia, quae ille patravit, referri oportere videtur.

Et ex-

Et exclamavit in fortitudine dicens; cecidit, cecidit Babylon magna; nempe cito cadet, Constantino scilicet Imperatore, idque praenuntiavit, ut propheta. *Et* Babylon ipsa *facta est habitatio daemoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundae & odibilis; quia de vino irae fornicationis ejus biberunt omnes gentes*. Ac si diceret: Babylone (quo vocabulo confusio significatur) ecquis, praeter daemones resque immundas consistere, atque habitare potest? Ac superstitiones ejus pleraeque gentes participaverunt: *& reges terrae cum illa fornicati sunt*, superstitionem nempe ejus secuti: *& mercatores terrae, de virtute deliciarum ejus divites facti sunt*, Romae mercaturam facientes. *Et audivi aliam vocem de Caelo dicentem: Exite de illa populus meus, ut ne participes sitis delictorum*. (superstitionum) *ejus, & de plagis ejus non accipiatis*: nam si participes peccati fueritis, participes etiam supplicii eritis: *Quoniam pervenerunt paccata ejus usque ad Caelum, & recordatus est Dominus iniquitatum ejus*, propterea quod nimis graves essent. *Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis: & duplicate duplicia secundum opera ejus*. Tanquam si dicat: quoniam superstitio deorum vexavit vos; nunc vos iidem ipsam exagitate; idque jam poena dupli: & quando ipsa exitium afferre religioni fideique vestrae non potuit; id nunc satagite, ut ei ruinam exitiumque inferatis, idque rursus poena dupli. *In poculo quo miscuit, miscite illi duplum*. Illud ethnici partim blanditiis, partim minis laborarunt, ut supersti-

tionem eorum biberetis, vestraque corpora ob eam caussam crudeliter laceraverunt; nunc vestrae sunt partes, eos ad Christi fidem omni humanitate, atque officio, & sempiternae, beataeque vitae spe, ac pollicitatione perducere: recusantes, terrore damnationis, minisque perterrite. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum, & luctum.* Quemadmodum Babylonis jactatio & insolentia, id est corrupta ac perdita vivendi ratio, infinitum quoddam est malum in eorum animis, qui hanc sequuntur; ita illorum, quos ad eum modum viventes mors occuparit, hoc est, qui flagitiis implicati, animoque in peccatis obfirmato decesserint, supplicium infinitum erit. Nam ita pergit: *Quia in corde suo dicit: sedeo Regina, & vidua non sum, & luctum non videbo: ideo in una die venient plagae ejus, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis est Deus, qui judicabit illam.* Haec ad urbem Romam referuntur, quae de potentia sua se insolenter jactabat, in eaque sese perpetuo versaturam putabat. At enim, Constantino Imperatore, sanctoque Sylvestro Pontifice maximo, subito superstitio ejus concidit, ignique amoris cremata est. Quoniam vero morum, vitaeque mutatio morti est similis, idcirco addit: *& flebunt, & plangent se super illam reges terrae*; nempe ii, *qui cum illa fornicati sunt*, id est inanibus Diis cultum adhibuerunt, *& in deliciis vixerunt.* Credibile est, urbe Roma ad Christum conversa, magnam toto orbe hominum admirationem fuisse commotam, quum intelligerent,

quod de principe omnium urbe esset factum, id de reliquis quoque esse futurum. Quamobrem idololatrae, inquit, vitiosique homines magno dolore exardebunt, *cum viderint fumum incendii ejus*. Fumo autem fama, rumoresque significantur, qui de conversa ad Christum Roma ad exteras gentes sunt allati; quae gentes, cum animo essent ab christianorum religione alienissimo, Romae vicem doluerunt: *Longe stantes propter timorem tormentorum ejus; dicentes: vae, vae, civitas illa magna Babylon*, civitas illa fortis: quoniam una hora venit judicium tuum. Erant enim ita institutae, ut Romae urbi, propterea quod cruci affixi hominis religionem suscepisset, dedecus, infamiam haesisse putarent. Nihil enim gravius superbis, elatique animi hominibus molestius accidit, quam in rebus versari, quas esse abjectas, atque humiles arbitrantur. Atque cum in eam spem essent ingressae, fore, ut quemadmodum magnis opibus Roma creverat, ita tempore suae quoque ipsarum opes augerentur: propterea sibi eas metuisse, & flevisse dicit. Quoniam vero Roma Christi Religione suscepta, jam a sumptuosis apparatibus, quibus antea magnificis fuerat usa, temperabat; mercatores impedito quaestu lamentabantur. Quamobrem pergit: *Et negotiatores terrae flebunt, & lugebunt super illam, quoniam merces eorum nemo emet amplius: merces auri, & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritae, & byssi, & purpurae, & serici & cocci, et omne lignum thyinum, & omnia vasa eburis, & omnia vasa de*

lapi-

lapide pretioſo, & aeramento, & ferro, & marmore, & cinnamomum, & amomum, et odoramentorum, & unguenti, & thuris, & vini, & olei, & ſimilae, & tritici, & jumentorum, & ovium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, et animarum hominum. Et poma deſiderii animae tuae diſceſſerunt a te, & omnia pinguia, & praeclara perierunt a te, & amplius illa jam non invenient. Mercatores horum, qui divites facti ſunt, ab ea longe ſtabunt propter timorem tormentorum ejus, flentes, ac lugentes, & dicentes: vae, vae, civitas illa magna: quae amicta erat byſſo, & purpura, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioſo, & margaritis: quoniam una hora deſtitutae ſunt tantae divitiae. Et omnis gubernator, & omnis, qui in lacum navigant, & nautae, & qui in mari operantur, longe ſteterunt. Et clamaverunt videntes locum incendii ejus, dicentes: Quae ſimilis civitati huic magnae? Et miſerunt pulverem ſuper capita ſua, & clamaverunt flentes, & lugentes, & dicentes; vae, vae civitas illa magna, in qua divites facti ſunt omnes, qui habebant naves in mari, de pretiis ejus: quoniam una hora deſolata eſt. Hoc ſibi facile quiſque perſuaſerit, poſtea quam Conſtantinus Imperator urbem Romam s. Sylveſtro Pontifici Maximo conceſſit, magnam adhuc in ea hominum multitudinem remanſiſſe. Nihilominus partim quod Imperator aulam ſecum Conſtantinopolim tranſtuliſſet; partim etiam, quod Romani jam ad Chriſtum converſi ſuperioris luxum temporis modeſtia, & frugalitate mutaviſſent; merca-

tores in ea Urbe ne dimidium quidem quaestum ejus, quem antea fecerant, facere jam potuisse. Cumque omnes mercatorum, imprimisque ethnicorum cogitationes, & omne studium in quaestu versetur; imminutis rationibus suis, vehementer dolebant. Contra probi, sanctique homines, quod eas res ad Dei laudem pertinere viderent, magnam animo laetitiae voluptatem capiebant. Igitur *exulta* inquit *super eam caelum, & sancti Apostoli, & prophetae: quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa*, in ea ipsa idololatriam interficiens. *Et sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, et ultra jam non invenietur*. Nimirum ita labefactata superstitio deorum corruet, ut postea nunquam appareat. *Et vox cytharedorum, et musicorum, et tibia canentium, et tuba non audietur in te amplius: et omnis artifex omnis artis non invenietur in te amplius: et vox molae non audietur in te amplius: et lux lucernae non lucebit in te amplius: et vox sponsi, et sponsae non audietur adhuc in te*. Nempe ita hic locus accipiendus est, iis omnibus rebus deinceps carituros fuisse idololatras, qui Babylonis nomine significantur; iis vero ipsis usuros christianos. *Quia mercatores tui erant principes terrae, quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes. Et in ea sanguis prophetarum, et sanctorum inventus est; et omnium, qui interfecti sunt in terra*. Animadvertendum est, Babylonis vocabulo duplicem subesse significationem. Nam aliquando urbem

Ro-

Romam significat, quae eo ipso nomine a Paulo Apostolo est appellata. Atque haec quidem Babylon sanctos homines interfecit, primum quidem Redemtorem ipsum generis humani Christum (Pilatus enim Judaeae pro populo Romano vicaria potestate praeerat), deinde martyres reliquos. Fere enim omnes illius judicio damnati sunt, quum esset ejus imperium longe lateque propagatum. Rursus Babylon pro confusione accipitur, cujus in Adamo, cum primum lapsus peccato est, initia fuerunt. Itaque Cain, qui hujus erat Babylonis filius, initium occidendi fecit. Perdurabit autem haec Babylon usque ad finem Mundi, quamdiu erit qui peccet.

CAPUT XIX.

Canunt sancti Alleluja. *De novissima tempestate agitur in Ecclesiam ab Diocletiano commota.*

Post haec audivi quasi vocem turbarum multarum in caelo dicentium, alleluja: salus, & gloria, & virtus Deo nostro est: quia vera & justa judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna, quae corrupit terram in prostitutione sua, & vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus, & iterum dixerunt, alleluja. Ac si dicat: summa tibi laus, Deus, debetur, quod de Urbe Roma, quae totum orbem suae superstitionis implevit, tuosque martyres exagitavit, poenas sumsisti. Haec autem laudatio inter duas Ecclesiae tempestates sita est, quarum alteram Aurelianus commovit; alteram

Diocletianus, quo Imperatore, auctae sunt res Ecclesiae: *& fumus ejus*, idest laudatio, *ascendit in secula seculorum, & ceciderunt seniores viginti quatuor, & quatuor animalia* (id est Patriarchae, ac Evangelistae,) *& adoraverunt Deum sedentem super thronum dicentes: amen, alleluja. Et vox de throno exivit dicens: laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus: & qui timetis eum pusilli & magni. Et audivi vocem turbae magnae, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium: alleluja* (id est magnificate laudibus Deum): *quoniam regnavit Dominus Deus omnipotens. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiae agni* (Christi) *& uxor ejus* (Ecclesia) *praeparavit se*, nempe martyrum suppliciis, quae pertulit, quibusque hoc consequitur, ut sponso fruatur. *Et datum est illi* (Ecclesiae) *ut cooperiat se byssino splendenti, & candido.* Continuo autem explicat, quid byssino significetur: *Byssinum enim*, inquit, *justificationes sunt sanctorum*. Ac si dicat: Ecclesiae ornatus, & quasi vestis in virtutibus, inque rectis, sanctisque factis consistit. *Et dixit mihi, scribe: Beati, qui ad coenam nuptiarum agni vocati sunt*. Est autem coena figura quaedam, atque imago sempiternae beatorum felicitatis. Nam quemadmodum diurnis laboribus nocturna quies, & cessatio succedit, ita mortalem hanc, plenamque laborum vitam aeterna quies consequitur in patria beatorum. Ut confirmaret Angelus ea, quae narraverat, *dicit mihi: haec verba Dei vera sunt*. Tantam autem animo laetitiam

titiam Johannes cepit, ubi de agni nuptiis audivit, ut cum se sustinere non posset gestiens in terram ceciderit. Sic igitur pergit: *Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum*. Non est autem ita accipiendus hic locus, quasi divinum honorem Angelo adhibere Johannes voluerit; verum hoc sensu: quemadmodum qui nuntia nobis bona, & optata afferunt, prae gaudio complecti solemus: ita Johannes officium illud nuntio praestare voluerit. Sed Angelus tamen, ut qui conditoris, atque parentis Dei fide maneret, eum sibi honorem deferri passus non est. *Et dicit mihi: vide, ne feceris: conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu*. Ac si diceret, cavesis, ne mihi quidquam horum assignes, ego enim servus Dei sum, ut ipse es, ceterique christiani sunt. *Deum adora*, a quo omnia, quae bona sunt, proficiscuntur: *testimonium enim Jesu* (quod est fides) *est spiritus prophetiae*. Namque certum, exploratumque est, ad prophetiam pertinere eas res, quas fecit Deus, itemque, quas facturus est, credere. *Et vidi caelum apertum, & ecce equus albus* (qui Christi humanitas est), *& qui sedebat super eum* (id est divinitas) *vocabatur fidelis, & verax, & cum justitia judicat & pugnat*; nam quae de reis supplicia sumit, ea justa sunt. *Oculi autem ejus sicut flamma ignis*; propter egregiam aciem, qua clare omnia, perspicueque cernit. *Et in capite ejus diademata multa*. Si caritati, si patientiae, si profuso pro religione sanguini, si Apostolicis laboribus, denique si reliquis virtutibus coronae dantur; Christus profecto has

omnes habuit, atque adeo multa diademata habebat. *Habens nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse.* Ecquis enim aeternum Dei Verbum nosse, aut intelligere possit, praeter ipsum Verbum? *Et vestitus erat veste aspersa sanguine*, nimirum humanitate, qua cruciatus, mortemque pertulit. Atque id hoc loco intelligi videtur posse, Redemtorem hominum Christum honoris sui, sanctorumque hominum caussa, vulnerum cicatrices in suo corpore retinuisse. *Et vocatur nomen ejus verbum Dei*. Heic illud quidem suo nomine appellat; sed ipsum etiam perfecte cognoscere ejusdem ipsius proprium, ac singulare est. *Et exercitus, qui sunt in caelo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo, & mundo*. Significatur hoc loco, complures in caelis beatos animis cum corporibus conjunctis esse. Quare credibile est etiam, eos, qui una cum Christo revivixerunt, sua quosque corpora, quin ea rursus deponerent, retinuisse. Jam vero ad Christum rediens: *Et de ore*, inquit, *ejus procedit gladius ex utraque parte acutus*; nempe verbum ejus, quod usque in animo penetrat; *ut in ipso percutiat gentes*, nimirum quum homines internis, externisque admonitionibus reprehendit. *Et ipse reget eas in virga ferrea*: animadvertens in eos, qui in officio non manserint. Praecipue vero de Ethnicis heic sermo est, qui Ecclesiam vexarunt, quosque propterea ille, itaut ex vita Gallieni Imperatoris constat, calamitatibus gravissimis castigavit. *Et ipse calcat torcular vini furoris irae Dei omnipotentis*, in quo nimirum ex uvis,

id est

id est corporibus, succum exquisitissimum, id est sanctorum hominum animos, morbis, aliisque conflictationibus exprimit; ab impiis vero, tamquam ab uvis acerbis, atque immaturis, acetum exprimit, quod potari non potest. *Et habet in vestimento* (id est in corpore); utque de veritate humanae naturae, quam sibi ille conjunxit, ne dubitemus, addit: *& in femore suo*; femore autem sobolis propagatio significatur, ita ut de Abrahamo, & Jacobo constat, quibus jusjurandum de femore datum est; deque ipso Jacobo dicitur, ejus posteros ex ipsius femore prodiisse. Verumtamen habet, inquit, in vestimento, & in femore suo, *scriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium*. Ac si dicat homo Christus universalis Dominus est omnium; atque ut Dominus de omnibus judicium instituet. Jam vero saevissimam omnium, quam Diocletianus concitavit, Ecclesiae tempestatem denuntiare aggreditur. Igitur, *& vidi*, inquit, *unum Angelum stantem in sole* justitiae: *& clamavit voce magna dicens omnibus avibus, quae volabant per medium caeli*, nempe, (ut accipi quidem potest) omnibus, qui jam caelesti, beataque vita fruuntur; *venite, & congregamini ad coenam magnam Dei, ut manducetis carnes Regum, et carnes tribunorum, et carnes fortium, et carnes equorum*; (id est corporum humanorum) *et sedentium in ipsis*, (nempe animorum), *et carnes omnium liberorum, et servorum, et pusillorum, et magnorum*. Ac si diceret: convenite jam in unum, christiani; paratur enim vobis teterrimum bellum, quo nullum

lum adhuc vobis durius illatum est. Sed tamen scitote, id bellum ejusmodi exitum habiturum, ut qui illud contra vos moverint, victi, superatique jaceant. Nam aut sanctorum hominum prodigiis permoti ad vos se ipsi conversi recipient; aut certe poenas sceleris, & pertinaciae dabunt. Justis enim, sanctisque hominibus de adversariis, atque exagitatoribus eorum omnino satisfieri debet. Nempe hoc ipsum est, quod mansum iri carnes, hoc loco dicitur. Est autem animadvertendum, christianos, quum post Aurelianum Imperatorem pacatis, tranquillisque temporibus jamdiu uterentur, totoque P. R. imperio, atque etiam extra imperii fines longe lateque diffusi, & propagati essent, diuturno otio, & libertate languescere, ipsos etiam sacrorum antistites invide inter se agere coepisse; jamque ita vivere, ut iis (quemadmodum auctor est Eusebius in capite octavi Ecclesiasticae historiae libri secundo, qui auctor testis earum rerum oculatus fuit) Diocletianea vexatio, justissima Dei animadversione, nostris acciderit. Pergit porro; *et vidi bestiam* (hoc est Romam, atque Imperatorem) *et reges terrae*, *et exercitus eorum congregatos*, *ad faciendum praelium cum illo*, *qui sedebat in equo* (nempe cum Salvatore salutis nostrae Christo) *et cum exercitu ejus*, (id est cum christianis). Heic rursus animadvertendum est, Diocletianum, hujusque collegam Maximianum, ita ut ex vita s. Mauritii liquet, ejusmodi decretum in omnem Ecclesiam fecisse, ut christiani ethnicorum idolis honorem, cultumque adhiberent; ni dicto audien-

dientes fuissent, suppliciis exquisitissimis cruciarentur. Itaque repugnantibus vehementer nostris, Imperatores nationes omnes, quae P.R. imperio continerentur, Romam delendae perdendaeque funditus Ecclesiae caussa convenire jusserunt; haecque initia tempestatis fuerunt, qua nostri decennium sunt exagitati. Ac Diocletianus quidem templa dejici, sacraeque scripturae libros undique conquisitos comburi jussit; multaque, supra quam credi potest, saevissime, crudelissimeque fecit. Postea vero, sedata tempestate: *et apprehensa est*, inquit, *bestia*. Non est hoc loco praetermittendum, quum Imperares nihil se tormentis proficere intellexissent, Diocletianum christianis eis, ut templa palam habere, Christumque colere liceret, concessisse. Nempe huc referendum est, quod apprehensa fuisse dicitur bestia. *Et cum ea Pseudopropheta*. Fere enim praestigiatorem, aut Pseudoprophetam insignem aliquem Romani in Urbe habere consuerant; ita ut Valeriano, itemque Gallieno Imperatoribus, fuisse factum constat. Itaque sic pergit: *qui fecit signa coram ipso*, (Imperatore) *quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiae, et qui adoraverunt imaginem ejus*, nempe idololatras. Ac praestigiator quidem, & Romanorum superstitio *vivi missi sunt*, inquit, *hi duo in stagnum ignis ardentis in sulphure*, id est ad inferos. Vivi autem missi fuisse dicuntur, fortasse ob eam caussam, quod Christi fidem sequi, id est Idololatriae mori, noluerunt. De Diocletiano sic fertur: quum eum jam curarum, & sollicitudinum,

quae

quae sunt cum summa rerum potestate conjunctae, taederet; imperio se abdicavisse; ac denique ipsum sibi mortem veneno conscivisse. Quamquam non desunt, qui incidisse eum in insaniam, tumque e vita migrasse putent. Maximianus autem pugione perculsus interiit. Atque is quidem exitus horum Ecclesiae hostium fuit. Jam vero de gentibus dicere pergens, quae in imperio P. R. versabantur; *Et ceteri*, inquit, *occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius*. Ac si dicat: praedicata Christi Religione, Idololatriae a superstitione liberati, ac veluti interfecti sunt; brevi enim, Constantino Magno Imperatore, ad Christum se converterunt. *Et omnes aves saturatae sunt carnibus eorum*. Sancti homines, quum eos ipsos, a quibus Dei caussa exagitati fuerant, Deo jam dare operam viderent, magna laetitiae voluptate fruebantur. Diocletianus cum annos viginti regnasset, ejusque collega, anno CCCVII. regnare desierunt. Etsi vero non fuit ab his postea vexata Ecclesia; ea tamen vexatio adhuc aliquandiu per temporum intervalla perduravit, usque dum Constantinus Christianus esset factus; hoc est annos ferme octo. Nam quo tempore Diocletianus se imperio abdicavit, Constantius Constantini Magni Pater, & collega ejus Gallienus (Galerius) Imperatores sunt facti, qui, regnante etiam Diocletiano, Caesares fuerant. Tenuit autem Constantius imperium duobus annis; tum moriens Constantino filio eam imperii partem, quam tenuerat, reliquit. Ipse vero Constantinus ante susceptam Christi Religionem,

quam-

quamquam Ethnicorum superstitione implicatus erat, Christianos tamen in honore habebat. Quumque praelium cum Maxentio tyranno commissurus, de exitu magnopere esset sollicitus, repente crucem in caelo fulgentem vidit cum ejusmodi Epigraphe: In hoc Signo vinces: Quod ita accidit. Itaque ea parta victoria, rerum potitus est anno, ex eo anno quo regnare coeperat, septimo, hoc est anno CCCXVI. quum antea pater ejus mortem obiisset.

CAPUT XX.

Sanctus Sylvester Pontifex Maximus draconem idest Satanam; atque idololatriam in mille annos ligat; iisque elapsis; draco evadit e vinculis per Othomannum primum Turcarum Imperatorem, qui est Gog, & Magog; cui caelestis ignis, quo conficiendus est, exitium afferet. Denique liber Apocalypsis, novissimo, & universali judicio concluditur.

ET *vidi Angelum* (sanctum Sylvestrum Papam, qui aspectu, & moribus fuisse angelicis dicitur) *descendentem de caelo*: quae verba de caelesti, atque divino, quo ille ciebatur spiritu, sunt accipienda; *habentem clavem Christi*, nempe potestatem tollendae idololatriae, qua potestate abyssum claudebat; *& catenam magnam*

gnam in manu sua, propter multas virtutes invicem nexas, colligatasque, quibus ornatus erat, & ex quibus vitam agebat; *& his praesidiis, apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus, & Satanas, et ligavit eum per annos mille: et misit eum in abyssum, et clausit, et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummarentur mille anni*. Romani, ita ut ex vita sancti Sylvestri constat, in profunda quadam cavea draconem alebant, quem Babylonios imitati colebant, Flaminibus etiam constitutis, qui ejus religionem procurarent. Ut autem Constantinus Christo se dedidit, atque ab sancto Sylvestro baptismo fuit initiatus; Satanas, qui in eo dracone agebat, tantae ejus rei dolore propter imperatoriam Constantini dignitatem exarsit, ut pestilenti suo halitu tercentos homines occideret. Qua re per eosdem Flamines ad Constantinum, atque per hunc ad sanctum Sylvestrum delata, is ita respondit: se, ne cui posthac quidquam draco noceret, curaturum. Quo audito Flamines daturos se Christo nomen dixerunt, si Sylvester id, quod promiserat, perfecisset. Cumque sanctissimus Pontifex preces Deo fundere coepisset, adivit eum sanctus Petrus praecipiens, ut in draconis caveam una cum Flaminibus descenderet, haecque omnino verba in draconem proferret: ,, Jesus ,, Christus Dominus noster, qui natus est ex ,, matre virgine, & crucifixus, & sepultus est, ,, & resurrexit, & sedet ad dexteram Dei Pa- ,, tris, & venturus est judicare vivos & mor- ,, tuos, imperat tibi, Satana, ut hic ipsum expe-

,, ctes,

„ ctes, donec veniat judicare : „ itemque jussit, ut filo os illius ligaret, & crucis signo obsignaret. Itaque Sylvester cum duobus Flaminibus per gradus centum quinquaginta in caveam descendit, ibique draconem sibilantem, & in eum frementem ligavit. Aderant ibi praestigiatores duo, qui ut Sylvestrum audirent, ad caveam accesserant. Hi ubi factum viderunt, subito exanimes ceciderunt. At sanctus Sylvester ascendens e cavea eos ad vitam revocavit. Quibus rebus Flamines draconis commoti, Christi fidem secuti sunt, neque ipsi solum, sed omnis etiam Populus Romanus; atque ita continuo christianorum religio toto orbe amplificata est. Quamobrem sanctus Sylvester non draconem modo, sed ipsam quoque idololatriam, cujus draco quaedam erat imago, ligasse dicendus est. Atque haec quidem anno fere CCCXVI. aut non multo secus acciderunt. Deus O.M., qui servorum suorum commodo, atque utilitati consulit, per calamitates, quas illi Dei ipsius caussa pertulissent, tantam hanc invehi voluit in Ecclesiam partem commodorum. Jam ad draconem, id est ad Satanam, ut revertamur: *Et post haec*, inquit, nempe post annos mille, *oportet* Dei cultus, bonorumque utilitatis caussa, *illum solvi modico tempore*. Hujusmodi dicendi ratio, cum in scripturis tempus modicum nominatur, aliquando pro brevi tempore, nonnunquam vero pro longiori usurpatur. Ac ejus quidem, quod hoc loco modicum appellatur, anni jam biscentum ac septuaginta sunt elapsi, ita ut postea demonstrabimus: quando autem finis ejus futurus

sit, so-

ſit, ſolus Deus novit. Iam ratione ad ſempiternam felicitatem converſa, qua beati fruuntur: *et vidi*, inquit, *ſedes*, nempe quietem, tranquillitatemque, *et ſederunt ſuper eas*, ſancti *et judicium datum eſt illis*, ideſt judicandi poteſtas; ſancti enim homines de nationibus judicabunt, probantes nimirum judicium, quod judex Chriſtus tulerit. Ac de martyribus diſtincte proponens, ſic pergit: *Et animas decollatorum propter teſtimonium Jeſu, et propter verbum Dei*. Saepe enim, (quae res imprimis digna animadverſione eſt) martyres, quibus neque ignis, neque reliqua exquiſita tormenta quidquam vulneris inferre potuiſſent, capite diminuti deceſſerunt. Atque ob hanc cauſſam auctor martyres hoc loco decollatos nominat. Quamquam dici etiam poteſt, martyres propter egregiam virtutem caput orbis fuiſſe; itaque Deum eos a corpore mundi abſcidiſſe, ut ipſos in patriam introduceret beatorum. Capite autem fuiſſe diminutos dicit propter praeclarum teſtimonium, quod Chriſti divinitati dederant, itemque propter verbum Dei, legiſque divinae praedicationem: &, quod ii eſſent, *qui non adoraverunt beſtiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus ſuis*: id eſt neque animo idololatris conſenſerunt, neque extrinſecus ſacrificium idolis fecerunt; *& vixerunt, et regnaverunt cum Chriſto mille annis*. Hi autem mille anni nullo certo tempore continentur, neque ullis finibus terminantur; ſecus ac draconis anni, quem in annos mille in vincula fuiſſe conjectum, ſupra demonſtratum

eſt;

est; quo ex numero anni jam biscentum, ac septuaginta sunt elapsi. Contra enim sanctorum, itemque perditorum anni sunt aeterni, nullisque finibus continentur; propterea quod sancti potientur sempiterna vita, perditi autem infinita poena plectentur. *Ceteri mortuorum*, nempe qui peccatis implicati, quin resipiscerent, decesserunt, *non vixerunt, donec consummentur mille anni*. Quum beatorum mille anni aeterni complebuntur, tum mille perditorum anni ad exitum, finemque pervenient. De mille annis locos haeresiarcha Cerinthus, qui fuit Johannis Evangelistae aequalis, quum non recte intellexisset, ita statuit: post communem humanorum corporum restitutionem, Christi etiam regnum in hoc mundo restitutum iri; tumque homines rursus in bellis, & intemperantiis, inque eo ipso prorsus vitae genere versaturos, quo nunc utuntur. Quae sentientes alii quoque, eum sequuti auctorem, profecto hallucinati sunt. Johannes enim de sempiterna beatorum vita agens, sic scribit: *haec est resurrectio prima*; quae in vita consistit, quam animus Deo vivit, primum quidem gratia, deinde vero gloria. Ac de hac quidem vita, quae ex gloria existit, sic ait: *Beatus, & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima*; id est qui particeps fuerit sempiternae felicitatis, quam gloriam essentialem appellamus, quaeque Dei visione continetur. Non enim dubium est, quin is alteram quoque resurrectionem consequuturus sit, nempe quum in communi corporum restitutione suo & ipse corpori animus conjungetur. Ac

praeterea *in his secunda mors non habet potestatem*: secundae autem mortis nomine aeternum apud inferos supplicium significatur. Nam prima quidem mors est animi ab Deo alienatio, quae ex peccato oritur. *Sed erunt* sancti iidem *sacerdotes Dei*, *& Christi*, cui multam & ore, & animo laudem impertient, propterea quod sibi humanitatem conjunxerit, ex qua nimirum singularem animis laetitiae voluptatem capient, quum suo ipsorum insigni indutum parentem, & conditorem Deum cernent. *Et regnabunt cum illo mille annis*. At enim scrupulus animo injicitur iis verbis, quae paulo ante recitata sunt, ,, donec consummentur mille anni ,, propterea quod vocula illa, donec, terminum, finemque extremum significare videatur. Sed ea est voculae illius ratio, eaque frequenti jam consuetudine Scripturarum trita, ut in res etiam aeternas conveniat. Ac David quidem sic habet; ,, Di-,, xit Dominus Domino meo (ac si dicat: dixit ,, aeternus Pater Filio suo) sede a dextris meis; ,, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum ,, tuorum ,,. Sunt autem inimici, quos memorat, Idololatrae, Judaei, implicatique peccatis homines, qui Christo repugnant. Quid vero? An quum hi sub Christi pedes subjecti fuerint, non ille ad Patris dexteram sedere perget? Immo vero. Quae enim sibi per humanitatem comparavit, ea quidem certe omnia aeternum retinebit. Rursus in hoc ipso Apocalypsis libro est ad hunc modum cap. VI. ,, Datae sunt illis ,, (sanctis) singulae stolae albae, & dictum est ,, illis, ut requiescerent adhuc tempus modi-

,, cum,

„ cum , donec compleantur conservi eorum , & „ fratres eorum„ . Ergone , exacto eo numero, requiescere desinent ? minime vero . Itaque, paullo post , regnaturos eos dicit ,, in secula se- ,, culorum „ . Ex quo jam constat , donec illud, quod de sanctis eo loco dicitur ad aeternitatem pertinere . Jam ut ad certos , definitosque annos mille revertamur; in quod tempus Satanas ab sancto Sylvestro ligatus fuit , sic pergit : *& cum consummati fuerint mille anni* . Ut facilius intelligi hic locus, explicarique possit , animadvertendum est ; anno fere CCCXVI. aut non multo secus Satanam ab sancto Sylvestro fuisse ligatum , idest idololatriam prostratam , cohibitosque idololatrarum in Christianos impetus . Jam si ad annum CCCXVI. annos mille addas,in annum incides MCCCXVI. Exquiramus nunc,an vincula eo anno Satanas ruperit . Sane quidem eodem illo ipso anno primus Turcarum Imperator Othomannus Satanam se Ecclesiae praebere,atque ostentare coepit . Etsi enim anno MCCCXVIII. jactare se coeperat in Cappadocia , quae respublica Turcarum erat , (ibi enim parentibus Scythis , quos nunc Turcas appellamus , est natus) : tamen dum viribus auctus, confirmatusque est , antequam gravius aliquid in Christianos moliri posset , elapsi sunt octo anni . Res igitur ad mille annos redit . Verumtamen is Scytha,seu Turca , quodam , cui erat Orthogeli nomen, patre est natus , qui Orthogeles cum castellum quoddam in Cappadocia aedificasset , eique nomen Othomacia indidisset ; ex suo ipsius , atque ex castelli nomine Othomanni nomen conflavit ,

hocque nomine filium appellari voluit. Fuit autem Othomannus seditiosus homo, ac turbulentus, rerumque magnarum imprimis cupidus; denique instrumentum Satanae, quo usurus erat Deus O. M. ad Ecclesiae suae, ita ut sub Imperatoribus Pop. Rom. fecerat, patientiam exercendam. Ac dici verissime sane potest, Othomannorum gentem, qua ex gente post Othomannorum Imperatores duodeviginti fuerunt, sanguinis Christianorum multo, quam decem bestiae Romanae cornua, majorem vim, copiamque effudisse; iisdemque multo fuisse diuturniorem. Namque ab Nerone, qui primus, usque ad Diocletianum, qui novissimus Ecclesiam vexavit, anni omnino biscentum trigintaseptem fuerunt; at hujus Satanae elapsi sunt anni jam biscentum septuaginta, praeter posteri, & consequentis temporis spatium, quamdiu Dei voluntate deinceps perduraturus est. Cujus Satanae res sic porro auctor persequitur: *& solvetur Satanas de carcere suo*, potestate nempe illi vexandae Ecclesiae facta; *et exibit, et seducet gentes, quae sunt super quatuor angulos terrae, Gog, et Magog*; idest tectus, seu occultus. Revera autem Othomannus, ejusque gens, tectus quidam, atque occultus Satanas fuerunt. Tum Magog vinculis fuit solutus, de quo aliqua mox dicemus, postquam de Gog demonstraverimus. Atque ut planius, quae hoc loco sunt dicenda, intelligantur, illud principio ponendum est, Deum, cui nimirum praesentia sunt spatia omnium seculorum, hunc Gog per Ezechielem his verbis fuisse allocutum: Ecce ego ad te, Gog,

Gog, principem capitis Mosoch: fuit autem Mosoch Noemi nepos, Japheti filius; stirpemque in Cappadociam propagavit; suntque adeo Cappadoces Mosochitae. Itaque Othomannus, qui, cum esset ortu Cappadox, tum occupata tyrannide ejus gentis principatu potitus est, ob eam caussam Princeps Mosoch appellatur. Addit autem Ezechiel, Gog alloquens, hoc modo:,, & ponam fraenum in maxillis tuis,,. Nemini vero dubium esse potest, Persarum Regem, quem Sofi appellant, impetus Gog fraenum esse, quo sane fraeno, nisi Deus furorem ejus cohibuisset, metuendum erat, ne, quod animum induxerat, Romanam Ecclesiam perdere, funditusque delere conaretur. Sed rebus Persicis occupatus, quasi fraeno in eam partem retractus, impeditur adeo, quo se minus huc possit convertere. Nunc, quum de Gog dictum sit, restat, ut de Magog dicendum esse videatur. Fuit is Noemi nepos, Scythiamque incoluit; ex eoque Scytharum est orta natio, ac propagata. Cujus sunt homines nationis natura imprimis robusti. Atque ex Scythia quidem Asiatica (nam pars ejus Regionis altera ad Europam pertinet) anno fere DCCLX. aut non multo secus Scytharum, quos nunc Turcas nominamus, maximi exercitus exierunt, quorum adventu, & bellica virtute commoti Muhamedani, metuque perterriti pacem cum iis fecerunt. Scythae, qui nulli certe essent Religioni addicti, Muhamedi se dediderunt, interque Muhamedanos sedes sibi, ac domicilium collocarunt, eamque regionem longe lateque occupaverunt, nullo certo capite,

ac Principe, antequam Othomannus principatum sibi imperii sumsisset. Cui tamen, utpote ejusdem nationis homini, facile, libenterque paruerunt. His de Gog, & Magog explicatis rebus, expositaque ratione, quemadmodum suorum sibi ille voluntatem adjunxerit, hique sua ad eum studia detulerint; pergit jam auctor praenunciare in hunc modum: *& congregabit eos in praelium* (gens enim Othomannorum quarum rerum est potita, armis scilicet potita est) *quorum numerus est sicut arena maris*. Usitata in Scripturís, ac trita haec ratio dicendì est, atque ad hominum dicendi rationem accommodata. Ita gentium, quae in Josue se armaverant, itemque Philistinorum, qui Davidi bellum intulerant, numerus fuisse dicitur: sicut arena quae est in littore maris. Atqui, quos iste Gog exercitus coegit, fuerunt illis multitudine hominum longe majores. Ac Bajazethes etiam, qui unus ex Imperatoribus Turcarum fuit, contra Magnum Tamerlanum mille millia hominum coegisse fertur. *Et ascenderunt super latitudinem terrae*. Mirabile dictum est, hujus Satanae imperium quam sit longe lateque propagatum. Obtinent enim Turcae in Europa omnem Graeciam, sede, & domicilio imperii Constantinopoli (quae urbs totius est Graeciae caput) constituto: nonnullam etiam Hungariae partem; pertinent etiam trans Danubium; Walachiam praeterea, aliasque complures regiones tenent: in Asia vero omnem Palaestinam, quam terram promissionis dicimus, (qua in regione nimirum tot, tantaeque res immortali Dei O. M. benefi-

neficio ſunt geſtae jam inde ab eo tempore, quum conditus parens humani generis Adamus fuit, uſque dum noſtram ſibi demum Deus ipſe naturam conjunxit, & homines caeleſti doctrina imbuit, eorumque cauſſa ſupplicium pertulit, ac denique revivixit); omnem item Aſiam minorem, qua ſeptem Eccleſiae, ad quas hunc ipſum Apocalypſis librum Redemtor noſtrae ſalutis miſit, continebantur: Arabiam praeterea, atque Albaniam: poſtremo in Africa Aegyptum, multaſque regiones alias; neque ita pridem Tunetum occupavit, ac denique Algerium pervenit. Tali ratione compleri pergit, ad exitumque perduci, quod mox adſcribitur: *& circuierunt caſtra ſanctorum, & civitatem ſanctam*. Antequam reliqua perſequamur, ratio ipſa poſtulare videtur, ut exponamus, quamobrem in hoc libro mille annorum ſpatium, quo intervallo graviſſimae res acciderunt, ſilentio ſit praetermiſſum, eritque adeo hoc caput ceteris longius; quod tamen minime mirum videri debet. Hoc enim uno multo majus, quam ceteris ſimul omnibus, ſpatium temporis continetur. Nam cetera quidem capita ab Trajano uſque ad ſanctum Sylveſtrum pertinent, quod ſpatium fuit annorum omnino biſcentum, ac ſexdecim; hoc autem caput ab s. Sylveſtro ad noſtram aetatem perducitur, intervallo annorum mille biſcentum ac ſeptuaginta, praeter poſterum tempus, quod deinceps uſque ad exitum hujus univerſitatis rerum conſequetur. Omne autem iſtud tempus magna Phiala comprehenditur, quae, Gallieno Imperatore, eſt effuſa. Ac

conjicere quidem posse videmur, ejus phialae terminum jam prope abesse; quandoquidem auctor Gog, & Magog ruinam proxime cum universali judicio conjungit. Jam ut id, quod erat nobis ad explanandum propositum, persequamur, illud est animadvertendum; sacrae Scripturae libros, ceu fratres uno, eodemque patre prognatos, opem sibi inter se, atque subsidium ferre. Itaque, quae unus aliquis Evangelistarum tacitus praeteriit, ea alius Evangelista complexus est. Cujus generis exemplum videre licet apud s. Matthaeum, qui sermonem ab Christo in monte habitum in Evangelium retulit, & de tributa Petro Ecclesiae regendae potestate, deque sanctis Patribus a mortuis excitatis scripsit, quae nimirum Evangelistae reliqui praetermiserunt. Contra hi, imprimisque Johannes permulta scribendo complexi sunt, quorum non est a Matthaeo facta mentio. Scilicet, quod paullo ante dicebam, sese vicissim adjuvant. Idipsum vero inter Danielem, & Johannem in Apocalypsi contingit. Ac eorum, quae inter istos mille annos acciderunt, praecipua haec sunt: Imperii P. R. excidium; & Muhamedis in mundum adventus; utrumque autem, cum Daniel, tum in Apocalypsi Johannes tractat. De excidio quidem Romani Imperii tum agit Daniel, cum statuam descripsit, cujus statuae aureum esset caput, quod ad Babyloniorum imperium referebatur; pectus autem, & brachia argentea, quae ad Persarum imperium pertinebant; venter vero, & femora ex aere, quibus Graecorum imperium significa-

cabatur ; tibiae autem ferreae , eaeque jam Romanorum imperium portendebant ; ac denique pedes digitis partim ferreis, partim fictilibus, quibus regna significata sunt , in quae imperium P. R. tributum est , quorum alia quidem valida, alia contra infirma fuerunt . Quae Imperii P. R. divisio , regnorum divortio , Imperatoribus Arcadio primum , tum Theodosio secundo , ac denique Valentiniano item secundo , est facta; quorum aetate , Gothi , Alani , Burgundiones, Vandali , aliarumque nationum populi ex septentrione profecti Romanorum imperium in plura regna partiti sunt . De Muhamede vero eo loco agit Daniel, quo loco cum , ita ut Johannes in Apocalypsi , de bestia egisset , quae decem haberet cornua , nempe de imperio P.R., aliud cornu post ea cornua fuisse ortum scribit , quod superioribus validius esset , & oculos haberet . Nimirum Muhamedes Imperatores , a quibus Ecclesia vexata fuerat , est consecutus ; appellaturque cornu , propterea quod ipse quoque Ecclesiam , neque vero leviter , vulneravit ; & oculos habere dicitur ob eam caussam , quod unum modo Deum coluit , secus quam ceteri Ecclesiae hostes , qui cum plures ponerent Deos , oculis caruisse videntur . Addit autem Daniel de eo cornu fore , ut maledicta in Deum O. D. jactare audeat , sanctosque Dei ab eo molestius conflictatum iri : ipsum vero tamdiu perduraturum , donec Deus universale judicium instituat . Namque inter hujus aetatem , & universale Judicium nihil medium interponit. Jam vero reliqua,quae eo annorum spatio continen-

nentur, nihil necesse fuit in Apocalypsi describi. De haeresi enim Arriana, quae s. Sylvestri, ejus nempe Angeli, qui Satanam in vincula conjecit, tempore exorta est, s. Antonius Abbas eorum temporum aequalis, divinitus admonitus cognovit, & cum suis monachis lacrymas communicavit. Nam quod Arabes e suis finibus egressi Africam, Hispaniamque occupaverunt, s. Methodius martyr haec aliaque permulta, quae ad mundi usque exitum pertinerent, antea scripta reliquerat. De calamitatibus vero, quas nostra memoria Alemanni acceperunt, sanctae Childegurdi Abbatissae in Brabantia divinitus scilicet demonstratum fuerat. Denique Joachimus Abbas, aliique complures afflati spiritu, instinctuque divino, alia permulta praenunciarunt. Tali ratione omnis, quae erat de praetermissis in Apocalypsi mille annis, dubitatio tollitur. Sed jam ad Gog, & Magog revertendum est, quem Johannes castra, & domicilium sanctorum, dilectamque civitatem, idest Ecclesiam, circuisse docet. Ac graeca quidem Ecclesia universa ab eo capta, atque occupata est. Itaque restant Italia, Hispania, & Gallia, in quibus sanctorum sedes, & dilecta civitas constant. An vero hanc ipsam circumsideat, nunc porro videndum est. Sane in oriente Graeciam tenet, quae jam illius est facta, itemque Hungariam, & Walachiam, quae spectant ad orientem solem, a meridie autem Aegyptum, atque e regione Galliae Algerium. Accedit, quod ad fretum usque Gaditanum saepe triremes mittit. Ita nulla circum reliqua pars

est,

est, quam occupare possit. Ab occidente enim est oceanus, eaque regio, quae ad septemtrionem spectat, ab haereticis tenetur. Atque hic quidem rerum status est, in quo nunc versamur. Quid porro de Gog, & Magog futurum sit, proponit hoc modo: *Et descendit ignis de Caelo & devoravit eos*. Quod tum fiet, quum constitutum a Deo tempus praesens aderit. Neque vero longe abesse id tempus videtur. Satis enim est ad breve spatium intervallum annorum biscentum, septuaginta, atque eo etiam amplius, quot nimirum post ejus ortum lapsi sunt. *Et diabolus qui seducebat eos*, ut christianos exagitarent, *missus est in stagnum ignis, et sulphuris*, hoc est ad inferos, *ubi et bestia*, decem habens cornua, idest Romanorum idololatria, *et Pseudopropheta* (quod de Muhamede, cui Gog, & Magog nomen fuit, accipi potest) *cruciabuntur die, ac nocte in secula seculorum*. Nempe hic plane, aperteque docet, mille annos perditorum aeternos fore, quum ii aeterno igne punientur, isque ignis erit veluti scopa, qua Deus verret, purgabitque mundum. *Et vidi thronum*, significatur autem Regnum, *magnum*, propter maximam sanctorum multitudinem, *candidum*, propter nitorem atque munditiam, *et sedentem super eum, a cujus conspectu fugit terra, et caelum*; prae eo enim nihili sunt adeo, ut ne in conspectu quidem relinquerentur. Quemadmodum enim si quis de domo aliqua repente, & subito in altissimi montis jugum transferretur, vix jam eam domum cernere posset, nimirum quod ea prae late patenti regione, quae ante ejus hominis oculos

ver-

versaretur, propter exiguitatem vix appareret: ita tota haec mundi sphaera, quam Deus domicilii hominum caussa, quamdiu mortalem hanc vitam degunt, est fabricatus, si cum ipso Deo conferatur, nihil omnino esse videtur. *Et locus non est inventus eis*, nempe caelo, & terra; Deus enim, quum omnis sit expers corporis, in omnes mundi partes multo facilius penetrat, quam sol in purum, tenuemque aerem soleat. Itaque ubi advenerit, idest cum eum cernemus, nullo eum loco contineri videbimus, omnia enim intime penetrat. Ex quo intelligitur, fieri non posse, ut homines, de quibus ipse judicaturus est, quidquam eum celent eorum, quae aut gesserint, aut dixerint, aut denique cogitarint. Ait enim: *et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni*. Neque vero sic ait: in conspectu sedentis in throno, idest Dei, quia nempe Deo omnia perspicue patent; verum sic: in conspectu throni; idque ad Angelos, sanctosque homines refertur, bonorum quidem honoris, perditorum autem ignominiae caussa. Mortuorum autem magnorum, & pusillorum nomine homines significantur, qui maximis fuerint peccatis implicati, & qui non adeo magna scelera patrarint, & item qui aut magnis honoribus functi fuerint, aut nulla dignitate floruerint. Nam cujuscunque certe gradus, & generis homines & in caelum, & ad inferos abeunt. *Et libri aperti sunt*, idest hominum conscientiae palam fuerunt: *et alius liber apertus est, qui est vitae*; nam cum facta cujusque aperta, & manifesta futura sunt, tum multo clarius a mente

te divina, penitusque cognoscuntur. *Et judicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris*, idest in hominum conscientiis, inque divina mente, fietque de iis judicium plane *secundum opera ipsorum*. Atque ut demonstret, qui judicium effugiat, futurum neminem: *et dedit*, inquit, *mare mortuos, qui in eo erant*. Mari autem mundus significatur: *et mors*, ii nempe, qui quum sceleribus obligati decesserint, aeterno supplicio sunt damnati, *et infernus*, id est daemones, quorum imprimis caussa conditus fuit ille carcer, *dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum. Et infernus*, id est daemones, *et mors*, idest mortales pravi, *missi sunt in stagnum ignis. Haec est mors secunda.* Prima mors est carere Deo; secunda vero, sempiternum cruciatum perpeti. *Et qui non inventus est in libro vitae*, quem praedestinationem nominamus, *scriptus, missus est in stagnum ignis*; idest ad inferos. Heic jam desinit postrema phiala, quae tam fuit & diuturna, & calamitosa.

CAPUT XXI.

De excellenti praestantia agit caelestis Jerosolymae, quae vera est hominum patria.

POst diuturnam noctem, quae ex Adami peccato orta est, postque maris tempestatem, & plenam tristitiae peregrinationem, laetissimus nunc jam dies illucescit, & tranquillus, ac tutus portus, patriaque jucundissima apparet. *Et vidi*, inquit, *caelum novum, et terram* no-

novam. Quae verba non de caelo, aut de terra, quam oculis cernimus, sunt accipienda; ea enim renovari nihil necesse est: quae nimirum Deus, quum ea primum condidit, vidit, quod essent bona. Caelo igitur animus, terra vero conjunctum animo corpus significatur. Qua ratione Christus simile est, inquit, regnum caelorum? Regni nomine Ecclesiam significans; caelorum autem vocabulo animos bonorum. Ac corpus appellari terram, ex Apostolo constat, qui corpus terrestrem domum nostram appellat. Itaque eum locum interpretari in hunc modum debemus: vidi animos novos illustratos intelligentiis, virtutibus cumulatos; itemque corpora humana nulli dolori obnoxia, pulcherrima, & calamitatum immunia, quas usque ad id tempus pertulerant. Utque demonstret, de superioribus conflictationibus nihil jam fore reliquum: *primum enim caelum*, inquit, idest, priores animi, ignari rerum, atque ad malum proclives; *et prima terra*, hoc est priora corpora tot aerumnis obnoxia, *abiit*, neque eorum quidquam relictum est; *et mare jam non est*; nempe nulla restat tempestas, aut perturbatio. Nunc contra, quamdiu heic vivimus, mundus turbatum quoddam mare est, propterea quod scelesti homines maris sunt similes, quod ventis agitatum continenter jactatur, nec unquam conquiescit. *Et ego Johannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de caelo a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo*. Quibus verbis summus amor, summaque consuetudo, atque usus significatur, quem

quem inter homines, utpote inter unius ejusdemque parentis filios, intercedere oportet. Idque ut planius nobis persuadeat, *et audivi*, inquit, *vocem magnam de throno*, Dei scilicet, fuitque ea vox magna cum voluntatis contentione emissa, ita ut iis duobus verbis,, vocem magnam,, significatur; *dicentem: ecce tabernaculum Dei*, nempe Sanctorum animi, in quibus nimirum fit, ut degat Deus *cum hominibus*: id, quod perceptu est sane facile. Ne vero cuiquam in mentem cadat, haec de brevi aliquo spatio esse accipienda, addit: *et habitabit* semper *cum eis*, *et ipsi* homines *populus ejus erunt*, ita ut Angeli, & sancti sunt; nam haec quidem de nobis ipsis quam fieri maxime potest, magnifice praedicat: *et ipse Deus cum eis erit eorum Deus*, eumque ipsi palam aperteque videbunt. Nam quod per fidem in nobis Deus, & nobiscum moratur, hunc scilicet fructum etiam in vita hac mortali capimus, eumdem Ethnicorum quoque nonnulli sunt consequuti. Quare de clara perspicuaque Dei visione is locus omnino explicari debet. Quoniam vero cum visione hujusmodi nihil doloris manere potest, sic pergit: *& absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum*: idest omni eos dolore liberabit. Neque vero de hac re dubitare quisquam inducet animum, qui eam se visionem consequuturum confiderit: *& mors ultra non erit*, quoniam erunt cum vita ipsa conjuncti; *neque luctus*; laetitia enim erunt perfusi, *neque clamor*; fruentur enim bonis omnibus, quae optari omnino possunt: *neque dolor erit ultra*; propterea quod sanitate integra fruen-

fruentur. Atque haec quidem plena tranquillitatis vita aeternum duratura est, *quia prima abierunt*, eorumque adeo nihil praeter memoriam remanebit; nimirum ut superioris adversi temporis recordatio voluptatem sanctis & delectationem afferat. Satis autem nobis sit intelligere, Deum ex nihilo fecisse caelum, illudque novum condidisse; Deum, inquam, qui novos quotidie animos creat, quique in communi hominum restitutione tot humanorum corporum millia, quae dissoluta in terram, inque cinerem abierunt, aut etiam a piscibus, ab avibus, ab aliisque animalibus mansa, & vorata, in eorum sunt conversa naturam, ad vitam tamen revocabit. Hunc autem ipsum Deum novas has res, quas pollicitus est, sanctorum laetitiae caussa esse facturum. Neque vero quidquam est aequius, quam ut colant homines, & diligant conditorem, atque parentem Deum. Jam quae hoc loco promissa sunt, eadem multo ante Deus pollicitus fuerat per Isaiam in haec verba: „ Qui reminiscemini Domini ne taceatis, & ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Jerusalem laudem in terra „. Rursus autem, en, inquit, novos ego caelos condo, novamque terram; rerum autem praeteritarum ne memoria quidem relinquetur. Ac per Jeremiam: „ Dabo, inquit, legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam .... Et non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens, cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum „. *Et dixit qui sedebat in throno, ecce nova*

fa-

facio omnia: ac si diceret: mundum ego ex nihilo feci. *Et dixit mihi* Dominus: *scribe*, *quia haec verba fidelissima sunt*, *& vera*. Pergit porro Iohannes narrare in hunc modum: *& dixit mihi*, *factum est*; id est; quod ego optaram, ut universi homines me cognoscerent, id denique confectum est. *Ego sum alpha, et omega*: *initium et finis*. *Ego sitienti dabo de fonte aquae vivae gratis*. *Qui vicerit*, nempe qui constantia hostium furorem, vimque calamitatum superaverit, *possidebit haec*, quae illi pollicitus sum, *et ero illi Deus*, *et ille erit mihi filius*. Utque ostendat, malos hujus tam praeclari regni expertes esse futuros; *timidis autem*, inquit, abjectisque, qui hostium metu veritatem deseruerunt, *et incredulis* adeo, *et execratis*, quorum nempe facta execrationibus devincta sunt, *et homicidis*, *et fornicatoribus*, *et veneficis*, *et idololatris*, *et omnibus mendacibus*, *pars illorum erit in stagno ardenti igne*, *et sulphure*, *quod erit mors secunda*. Quae verba satis superque sunt ad rationem Cerinthi refutandam. *Et venit unus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis*, *et locutus est mecum*, *dicens*: *veni*, *et ostendam tibi sponsam uxorem agni*, quae nimirum triumphans Ecclesia est. *Et sustulit me in spiritu in montem magnum*, *et altum*. Mons autem contemplatio aliqua fuerit rerum altissimarum, *et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de caelo a Deo habentem claritatem Dei*, nimirum quod ab ipso illustrata collucebat, *et lumen ejus simile lapidi pretioso*, *tanquam lapidi jaspidis*. Nam quemadmodum is

lapis multis, variisque coloribus fulget; ita sancti multifariam lumine divino illustrantur, in domo enim Dei mansiones multae sunt; *sicut crystallum*, propter summam in videnda veritate perspicuitatem. *Et habebat ea civitas murum magnum, et altum, habentem portas duodecim:* murus autem ad securitatem referri potest, in qua vita beata posita est; portae autem ad duodecim Apostolos, de quibus sic porro scribit: *et in portis angelos duodecim*: Angelus enim nuncius latine redditur: fuerunt autem Apostoli nuncii; *et nomina inscripta, quae sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel*: idque secundum mysticam, quam dicimus, rationem explicare licet: Juda enim, idem est, ac Deum confitens, quod de confessoribus, deque martyribus accipi potest. Levi autem congregatus latine convertitur; quod jam ad eos pertinet, qui Dei caussa simul conveniunt,& congregantur; atque ita porro reliqua. Erant autem in ea civitate, *ab oriente portae tres; et ab aquilone portae tres, et ab austro portae tres, & ab occasu portae tres*. Nimirum hoc ita explicari potest, gentes omnes, quae singulas mundi plagas incolunt, sanctissimae Trinitatis mysterium cognituras, atque usuras esse. *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni*. Ipsi enim fundamenta Ecclesiae fuerunt. *Et qui loquebatur mecum habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur civitatem, et portas ejus, et murum*. Nempe aut mensura arundinea ea aetate uti consuerant; aut ita est explicandus is locus, ut levitas quaedam

sit,

ſit, tamquam arundinea, id quod immenſum ſit, percipere velle, & intelligentia comprehendere. In quam ſane ſententiam ante videtur cadere, quod proxime ſequitur: *et civitas in quadro poſita erat; et longitudo ejus tanta, quanta et latitudo: et menſus eſt civitatem de arundine aurea per ſtadia duodecim millia*; quae mille, & quingenta paſſuum millia conficiunt; *et longitudo, et altitudo, et latitudo ejus aequalia ſint.* Ecqua vero civitas unquam eſt viſa, tantundem in altitudinem ſublata, quantum pateret in longitudinem? Hoc tamen heic dici videtur poſſe: ut in altitudinem, & in longitudinem, atque in latitudinem immenſus, atque interminatus eſt Deus, ita ſanctorum congregationem, qui animis in Deo dilatati fere immenſi fiunt, ſub nullam menſuram cadere. Quod ſi qui ſunt, qui de corporum ſanctorum congregatione illud eſſe dictum exiſtiment, ii ſic habeant: totius hujus mundanae ſphaerae anguſtius ſpatium eſſe, quam ut in eo corpus divina gloria auctum ſatis commode verſari, atque ſpatiari poſſit, nempe quod levitatem, ut nominant, ſit conſecutum. Quid? quod aurum, lapideſque pretioſi, quos auctor commemorat, omnino neque ſunt in patria beatorum, & pro nihilo aeſtimantur. Sed tamen nobiſcum loquens Deus orationem ad eas nugas, quibus ipſi movemur, accommodat; idque ob eam cauſam, quo animum noſtrum ab his, quae intercidunt, rebus abducat; quae ſane res ne verbo quidem tenus cum eo conferri poſſunt, quod paulo poſt ſequitur: videbunt faciem ejus. *Et menſus eſt murum ejus centum quadraginta*

quatuor cubitorum, mensura hominis, quae est Angeli. Tali tatione ad animum hominis, non autem ad corpus, mensuram hanc pertinere demonstrat, quandoquidem hominem cum Angelo conjungit. *Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide* propter multas eorum virtutes, qui Ecclesiam defenderunt: *ipsa vero civitas aurum mundum* ob caritatem, *simile vitro mundo*. Quod autem dicitur, simile, omnem nobis dubitationem aufert; suntque eodem modo accipienda, quae proxime sequuntur. Nam quod vitrum quidem mundum appellat, id nimirum ad claritatem referendum est. *Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum jaspis: secundum, Zaphirus: tertium, calcedonius: quartum, smaragdus: quintum, sardonix: sextum, sardius: septimum, crysolitus: octavum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chrysophrasus: undecimum, hyacinthus: duodecimum, amethystus. Et duodecim portae duodecim margaritae sunt per singulas, et singulae portae erant ex singulis margaritis*. Fundamenta autem, & portae de duodecim Spiritus Sancti fructibus possunt intelligi. Primum igitur fundamentum est jaspis, qui variis fulget coloribus, ita ut primus Spiritus Sancti fructus est caritas, quae ceteras omnes virtutes continet. Atque ita deinceps fundamenta reliqua snnt explicanda. *Et platea civitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum*, propter lucem, & caritatem. *Et templum non vidi in ea*. Nunc jam figuras edisserere instituit. Sic autem rem persequitur: *Dominus enim Deus omni-*

omnipotens templum illius est, et agnus. Templum nominat Deum, ob eam caussam, quod, quemadmodum templum homines inclusos teneat, multum tamen adhuc loci in eo restat, ita etsi Deus caelestem Jerosolymam continet, quae orbe terrarum est infinitis partibus major, immensitas tamen ejus non expletur. *Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est agnus*, est enim is in caelo fons sapientiae. Haec, quae modo persequimur, in mysteriorum, ac figurarum explicatione versantur, suntque omnino plana, atque ad intelligendum facilia. *Et ambulabunt gentes in lumine ejus*, atque idcirco nusquam offendent. *Et reges terrae*, id est suorum corporum, quae nimirum terrena sunt, *offerent gloriam suam, et honorem in illam*, non existimationis quidem, aut pecuniae, aut cujusquam omnino terrenae rei comparandae caussa, verum ut ei satis faciant, quem cernunt & diligunt. *Et portae ejus non claudentur per diem.* Est autem dies in ea aeternus, ejusque portae aeternum patebunt. Propter animorum enim tenebras duntaxat claudi interdiu possunt. Itaque sic pergit: *nox enim non erit illic. Et afferent gloriam et honorem gentium in illam. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, et mendacium: nisi qui scripti sunt in libro vitae agni*, idest quos Jesus Christus elegerit.

CAPUT XXII.

Idemque postremum

De Jerosolymae excellentiis demonstrare pergit, librumque concludit.

Quemadmodum humanum corpus continuo, atque in lucem est editum, deinceps paullatim crescit, donec aetate & viribus confirmatis, ad maturitatem perveniat, ita corpus humani generis jam inde post Adami casum crevit porro, crescetque deinceps, dum divinitatem assequatur, in eaque conquiescat. Ab Adamo enim usque ad diluvium infantia veluti quaedam mundi fuit. Namque omni eo tempore infantium fuit similis, qui nihil de honore, atque existimatione cogitant, & humi crebro voluntantur, jacentibus inter se lapidibus delectantur, nullaque in eis apparet virtus, quae quidem commemoratione digna videatur. Nisi quod pauci quidam boni viri ex eo numero sunt excipiendi, quos sane paucos fuisse constat, neque virtute prae infantibus admodum claruisse. Post Diluvium usque ad Moysis tempora nonnulla apud homines virtutis existimatio fuit; neque ea tamen ita frequens, quin civitates quaedam, demisso divinitus de caelo igne propter peccata, totae fuerint incendio deletae. Sed diluvio tamen, praeter Noè, ejusque familiam, omne prorsus humanum genus perierat. Moysis vero aetate, ac deinceps usque ad Christum, homines

nes eo lumine, quod jam toto orbe diffundebatur, illustrati, modestiam quandam, & gravitatem susceperunt. Est autem animadvertendum, cujusque earum aetatum postremum tempus, & quasi terminum cum alterius aetatis, quae proxime sequitur, initiis conjungi, ad eorumque similitudinem accedere. Itaque in primo ortu Mosaycae legis, eaque jamdiu progressa, bestiarum corpora immolari consuerant: post vero extremo legis tempore Deo sua ipsorum hominum corpora homines immolarunt, idque jam ex libris Machabaeorum liquet. Tali ratione ad legem Evangelicam quodammodo accessisse videntur; cujus nimirum aetate hominum corpora jaminde ab Herodiana infantium caede ad Diocletianum usque, per annos trecentos sunt immolata. Quo sacrificii genere sublato, aliud minus adhiberi coeptum est; nempe eremitarum videndi ratio, qui corpus quidem inedia, & castigatione; animum vero fundendis precibus, sustinendisque aggressionibus immolabant. Atque hoc quidem Monachorum sacrificii genus nullo umquam tempore fieri desiit: hisque gradibus paulatim Ecclesia ad perfectum, quietumque statum progreditur, quo de nunc agimus. Neque vero hoc tempore ullo se quisquam dignum honore existimet, (honorem autem virtutem nomino; ea enim honorem omnem, qui verus sit honos, omnino continet) nisi quis omni cura, studio, atque opera veram istam patriam conetur assequi, in qua nimirum felicitas nostra omnis posita, & collocata est. Cumque duabus homo naturis constet,

 nem-

nempe animo, & corpore, quid est, cur de corpore laboret solum, animum autem negligat? Quod si corpus mundo hoc corporeo fruitur; quidni animus quoque fruatur suo, Deo nimirum; perque Deum Sanctis, atque Angelis? Ac quoniam is proprius noster status est; de ejus praestantia, quae sunt reliqua, persequamur. Pergit autem Johannes: *Et ostendit mihi*, inquit, *fluvium aquae vivae spendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei, & agni*: idest ex Patre, & Filio. Quamquam sapientia Filio tribui solet, & in singulis divinis Personis inest, tamen hoc loco Spiritui sancto tribuitur propter eximiam caritatem, qua Deus his, qui ea fruuntur, sui copiam faciet, ac modo etiam facit: quae quidem caritas attributum est Spiritus sancti. *In medio plateae ejus, et ex utraque parte fluminis lignum vitae, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum*. Arbor vitae sapientia est, quae sapientia in Patre inest, qui pars una & in Filio, qui pars altera est fluminis, flumen autem est Spiritus sanctus. Itaque singulae Personae sapientia sunt. Duodecim vero fructus virtutes sunt, quae a Spiritu sancto proficiuntur; iique fruuntur his fructibus, qui cum in mortali hac vita, tamquam in peregrinatione, versarentur, eisdem virtutibus, alii aliis, maxime claruerunt. Jam fructus singulis mensibus lati ubertatem caelestis patriae significant: uberrimum enim imprimis eum esse agrum necesse est, ex quo fructus duodecies in annos singulos percipiantur. Qua de caussa David: Satiabor, inquit,
cum

cum apparuerit gloria tua: Pergit porro auctor: *Et folia ligni ad ſanitatem gentium*. Foliis Chriſti humanitas ſignificatur, quae gentibus omnibus aeternam ſalutem dedit. Qua de caufſa ipſi Chriſto, quum humanam ſibi naturam conjunxit, Jeſu fuit nomen inditum; quod nomen, Salvator, aut ſalus, latine redditur. *Et omne maledictum non erit amplius*; omnia enim in ea civitate bona ſunt, *et ſedes Dei* (hoc eſt beatitudo animorum) *et agni* (id eſt corporum glorificatio, quam dicimus) ſemper *in illa erunt*; *et ſervi ejus ſervient illi* nempe in conſpectu ejus aſtantes; adeoque, *et videbunt*, inquit, *faciem ejus*, qua promiſſione omnia, quae denique optari poſſunt, comprehenduntur. Quid enim praeterea deſiderari poteſt ab eo, qui divini opificis, atque parentis vultum cernit oculis, & intuetur? *et nomen ejus*, quod eſt vita, veritas, lux, omnia denique, quae bona ſunt, inſcriptum *in frontibus eorum*, id eſt inſculptum in eorum animis, inque ipſam ferme eorum naturam converſum; uſque adeo erunt Deo intime, penituſque conjuncti. *Et nox*, ignorantiae, *ultra non erit*, *et non egebunt lumine lucernae*, *neque lumine ſolis*, *quoniam Deus illuminabit illos*. Quoniam vero tot haec, tantaque bona perpetua futura ſunt, neque ullo unquam tempore amittentur, propterea *& regnabunt*, inquit, *in ſecula ſeculorum*. Cumque tantarum rerum promiſſio vel Johanni ipſi admirationem moviſſet, continuo promiſſio confirmata eſt: *& dixit mihi*, inquit, *haec verba fideliſſima ſunt*, *& vera*. *Et Dominus Deus ſpi-*

rituum

rituum prophetarum misit Angelum suum ostendere servis suis, quae oportet fieri cito, id est quae fieri coepta fuerunt, quo tempore Johannes hanc scripsit Apocalypsim. Utque se christiani ad pericula pararent; addit: *et ecce venio velociter*. Jam vero de singulari, eximiaque hujus libri praestantia sic proponit: *beatus, qui custodit verba prophetiae libri hujus*: sane si quis ea animo custodierit, nae ille altissimam omnium prophetiam custodit, qua nimirum earum rerum promissio continetur, ad quas tamquam in finem prophetiae omnes diriguntur. Johannes autem tot cognitis mysteriis elatus, ac veluti extra se raptus, non animadvertit, se iterum fuisse ab Angelo admonitum; & neque aetatis suae, quae ad annos jam quinque, & nonaginta provecta erat, neque alterius cujusquam rei recordatus est, idque jam ultro confitetur hoc modo. *Et ego Johannes, qui audivi, et*, quod majus est, *vidi haec. Et postquam audissem, et vidissem cecidi, ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi haec ostendebat: et dixit mihi: vide, ne feceris; conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum prophetarum, et eorum, qui servant verba proehetiae libri hujus*. Itaque qui divinarum rerum studio, & cupiditate tenentur, atque ad eas vitam, moresque dirigunt, Angelorum numero sunt, quos aliis Angelis, fratribus nempe suis, cultum adhibere non oportet. Contra vero, ajebat Johanni Angelus, *Deum adora*. Ac quoniam aequum erat, ut Dei servi hoc libro fruerentur, quem eorum scilicet caussa Christus misisset, addit porro Angelus; *et dixit*

mihi


mihi Johanni, *ne signaveris verba prophetiae libri hujus: tempus enim prope est*. Quod etsi tum de Ecclesiae tempestatibus est dictum, deque beatitudine, quae sanctis erat constituta, hoc tamen tempore, commodius usurpari videtur posse, quum ad eum statum, ad patriamque nostram propius jam accesserimus. Jam malos homines admonens: *qui nocet*, inquit, *noceat adhuc; et qui in sordibus est sordescat adhuc*. quae dicendi ratio ad reprehensionem, atque admonitionem pertinet. Non enim cuiquam est auctor peccandi Deus. Bonis autem ut addat animos: *et qui justus est*, inquit, *justificetur adhuc; et qui sanctus, sanctificetur adhuc*; in justis se, sanctisque factis quotidie exercendo. *Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. Ego sum alpha, et omega; primus, et novissimus, principium et finis*. Ac si diceret: vigilitote, vestra enim opinione celerius adero: haec autem merces bonis est constituta, iisque meipsum, qui sum aeternus, impartiar. *Beati qui levant stolas suas* interiores quidem caritate, exteriores vero, idest corpus castimonia, *in sanguine agni: ut sit potestas*, id est possessio, *eorum in ligno vitae*, quod est sapientia divina, *et per portas intrent in civitatem*, caelestem. *Foris canes*, iracundi, *et venefici*, *et impudici*, *et homicidiae*, *et idolis servientes*, *et omnis*, *qui amat*, *et facit mendacium*. Omne peccatum mendacium est; qui enim peccat officium deserit, & contra officium venit. Jam Redemtor salutis nostrae, ut hunc librum peculiari quadam

dam ratione suum esse demonstret: *Ego Jesus*, inquit, *misi Angelum meum testificari vobis haec in Ecclesiis. Ego sum radix et genus David* quoad humanitatem, *stella splendida, et matutina*; nimirum qui verbo meo diem aeternitatis nuntio. *Et Spiritus* sanctus, *et sponsa* quae caelestis est Jerosolyma, uterque probo, & sancto cuique, incredibili cum amore, *dicunt*: *veni*, ac nobiscum una fruere iis bonis, quorum caussa factus, & conditus fuisti. *Et qui audivit* Deum animo praesentem suo, *dicat* & ipse vicissim Deo: *veni*; neque Deo solum, sed proximis etiam, eosque ad patriam, propriumque eorum statum invitet. *Et qui sitit*, idest qui Dei desiderio tenetur (id enim desiderium imprimis decet homines;) atque in eo, quamdiu in hac peregrinatione versamur, noster in Deum amor est positus. Si enim desiderium ex amore proficiscatur, quantum auctus fuerit amor, desiderium tantumdem augebitur; verumtamen qui Dei desiderio tenetur, evocabitur ut *veniat*; eo enim sua jam ipse sponte contendit. *Et qui vult accipiat aquam vitae*, idque jam gratis; non enim aliud ab eo pretium exigitur, praeter desiderium cum egregiis factis conjunctum. Pergit autem de constanti hujus libri veritate proponere his verbis: *Contestor enim omni audienti verba prophetiae libri hujus: si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiae hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitae, et de civitate sancta, et de his, quae scripta sunt in libro isto*. Haec dicit

cit Jesus Christus, *qui testimonium perhibet istorum*. Rursus igitur dico: *etiam venio cito*: itaque parati estote. Ac si parati eritis, dicetis: *amen veni, Domine Jesu*, nosque jam ex peregrinatione ista transfer in nostram patriam, ubi Te, & Patrem, sanctumque Spiritum aeternis laudibus celebrabimus. Denique Johannes hunc librum, in quo scribam gessit, ait: *gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.*

FINIS COMMENTATIONUM
VEN. GREGORII LOPESII
IN APOCALYPSIM.




TAYLOR INST.
OXFORD

OPUSCULORUM
S. THOMAE AQUINATIS
ORDINIS PRAEDICATORUM



OPUSCULUM
S. THOMAE AQUINATIS
De Caritate, ſeu de duobus univerſalibus divinae Legis mandatis : Et ad ea pertinentibus Decalogi praeceptis.

CAPUT I.

De quadruplici lege.



RIA ſunt homini neceſſaria ad ſalutem: ſcilicet ſcientia credendorum, ſcientia deſiderandorum, & ſcientia operandorum. Primum docetur in Symbolo, ubi traditur ſcientia de articulis fidei. Secundum in oratione Dominica. Tertium autem in lege. Nunc autem de ſcientia operandorum intendimus, ad quam tractandam quadruplex lex invenitur. Prima, dicitur lex naturae, & haec nihil aliud eſt, niſi lumen intellectus inſitum nobis a Deo, per quod cognoſcimus

Naturae lex.

mus

mus quid agendum, & quid vitandum. Hoc lumen, & hanc legem dedit Deus homini in creatione, sed multi credunt excusari per ignorantiam, si hanc legem non observant. Sed contra eos dicit Propheta in Psal. 4. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* quasi ignorent quid sit operandum: séd ipse ibidem respondet. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, lumen scilicet intellectus, per quod nota sunt nobis agenda. Nullus enim ignorat quod illud, quod nollet sibi fieri, non faciat alteri, & cetera talia. Sed licet Deus in creatione dederit homini hanc legem, scilicet naturae, diabolus tamen in homine superseminavit aliam legem, scilicet concupiscentiae. Quousque enim in primo homine anima fuit subdita Deo, servando divina praecepta, etiam caro fuit subdita in omnibus animae, vel rationi. Sed postquam diabolus per suggestionem retraxit hominem ab observantia divinorum praeceptorum, ita etiam caro fuit inobediens rationi. Et inde accidit, quod licet homo velit bonum secundum rationem, tamen ex concupiscentia ad contrarium inclinatur. Et hoc est quod Apos. dicit Roman. 7. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae*. Et inde est, quod frequenter lex concupiscentiae legem naturae, & ordinem rationis corrumpit, & ideo subdit Apost. *Captivantem me in lege peccati &c.* Quia ergo lex naturae per legem concupiscentiae destructa erat, oportebat quod homo reduceretur ad opera virtutis, & retraheretur a vitiis, ad quae necessaria erat lex Scripturae. Sed sciendum

Concupiscentiae lex.

Scripturae lex.

dum quod homo retrahitur a malo, & inducitur ad bonum ex duobus. Primo, timore: primum enim propter quod aliquis maxime incipit peccatum vitare, est consideratio poenae inferni, & extremi judicii. Et ideo dicitur Eccles. 1. *Initium sapientiae timor Domini*, & ibidem: *Timor Domini expellit peccatum*. Licet enim ille, qui ex timore non peccat, non sit justus, inde tamen incipit justificatio. Hoc ergo modo retrahitur homo a malo; & inducitur ad bonum per legem Moysi, quam quidem irritantes morte puniebantur. Hebrae. 10. *Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur*. Sed quia modus iste est insufficiens, & lex quae data erat per Moysem hoc modo, scilicet per timorem, retrahebat a malis, insufficiens fuit. Licet enim coercuerit manum, non coercebat animum; ideo est alius modus retrahendi a malo, & inducendi ad bonum, modus scilicet amoris: & hoc modo fuit data lex Christi, scilicet lex evangelica, quae est lex amoris. Sed considerandum est, quod inter legem timoris, & legem amoris triplex differentia invenitur: & primo, quia lex timoris facit observatores servos, lex vero amoris facit liberos. Qui enim operatur solum ex timore, operatur per modum servi: qui vero ex amore, per modum liberi, vel filii. Unde Apos. 2. Corin. 3. *Ubi spiritus Domini, ibi libertas*, quia scilicet tales ex amore ut filii operantur. Secunda differentia est, quia observatores primae legis ad bona temporalia introducebantur. Esa. 1. *Si volueritis, & audieritis*

Christi lex.

me,

me, bona terrae comedetis: sed observatores secundae legis in bona caelestia introducuntur Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, & Mat. 3. *Poenitentiam agite* &c. Tertia differentia est, quia prima gravis, Act. 15. *Cur tentatis imponere jugum super cervicem nostram, quod neque nos, neque patres nostri portare potuerunt*: secunda autem levis, Matt. 11. *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve*. Apos. Ro. 8. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*.

De effectibus legis Christi.

Sicut ergo jam praedictum est, quadruplex lex invenitur, & prima quidem lex naturae, quam Deus homini in creatione infundit: secunda lex concupiscentiae: tertia lex scripturæ: quarta est lex caritatis & gratiæ, quae est lex Christi. Sed manifestum est, quod non omnes possunt scientiae insudare, & propterea a Christo data est lex brevis, ut ab omnibus posset sciri, & nullus propter ignorantiam possit ab ejus observantia excusari, & haec est lex divini amoris: Apos. Rom. 9. *Verbum breviatum faciet Dominus super terram*. Sed sciendum, quod haec lex debet esse regula omnium actuum humanorum. Sicut enim videmus in artificialibus, quod unumquodque opus tunc bonum, & rectum dicitur, quando regulae coaequatur, sic etiam quodlibet humanum opus rectum est, & virtuosum, quando regulae divinae dilectionis concordat: quando vero discordat ab hac regula, non est

bonum, nec rectum, aut perfectum. Ad hoc autem, quod actus humani boni reddantur, oportet, quod regulae divinae dilectionis concordent. Sed sciendum, quod haec lex, scilicet divini amoris, quatuor efficit in homine valde desiderabilia.

1. Effectus: Vita spiritualis.

Primo, causat in eo spiritualem vitam. Manifestum est enim, quod naturaliter amatum est in amante, & ideo, qui Deum diligit, ipsum in se habet: 1. Jo. 4. *Qui manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo.* Natura etiam amoris est, quod amantem in amatum transformat; unde si vilia diligimus, & caduca, viles & instabiles efficimur: Oseae 9. *Facti sunt abominabiles sicut quod dilexerunt.* Si autem Deum diligimus, divini efficimur, quia ut dicitur 1. Cor. 6. *Qui adhaeret Domino, unus spiritus est.* Sed sicut August. dicit: *sicut anima est vita corporis, ita Deus est vita animae*, & hoc manifestum est. Tunc enim dicimus corpus per animam vivere, quando habet operationes proprias vitae, & quando operatur & movetur: anima vero recedente, corpus nec operatur, nec movetur. Sic etiam tunc anima operatur virtuose & perfecte, quando per caritatem operatur, per quam habitat Deus in ea: absque caritate vero non operatur: 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Considerandum est autem, quod si quis habet omnia dona Spiritus sancti absque caritate, non habet vitam. Sive enim sit gratia linguarum, sive sit donum fidei, vel quicquid sit alıud, sine caritate vitam non tribuunt. Si enim corpus mortuum induatur auro, & lapidibus pretiosis, nihilominus mortuum manet;

hoc

hoc est ergo primum, quod efficit caritas. Secundum, quod facit caritas, est divinorum mandatorum observantia. Greg. *Nunquam est Dei amor otiosus. Operatur enim magna si est: si vero operari renuit, amor non est*: unde manifestum signum caritatis est promptitudo implendi divina praecepta. Vidimus enim amantem propter amatum magna, & difficilia operari. Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*. Sed considerandum, quod qui mandatum & legem divinae dilectionis servat, totam legem implet. Est autem duplex modus divinorum mandatorum. Quaedam enim sunt affirmativa, & haec quidem implet caritas, quia plenitudo legis, quae consistit in mandatis, est dilectio, qua mandata servantur. Quaedam vero sunt prohibitoria; haec etiam implet caritas, quia *non agit perperam*, ut dicit Apos. 1. Cor. 13. Tertium, quod facit caritas est, quia est praesidium contra adversa. Habenti enim caritatem nulla adversa nocent, sed in utilia convertuntur: Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; immo etiam adversa & difficilia suavia videntur amanti, sicut & apud nos manifeste videmus. Quartum vero est, quod ad felicitatem perducit. Solum enim caritatem habentibus aeterna beatitudo promittitur. Omnia enim absque caritate insufficentia sunt: 2. Tim. 4. *In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi in illa die justus judex. Non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus*. Et sciendum, quod solum secundum differentiam caritatis est differentia beatitudinis,

2. Mandatorum div. observantia.

3. Praesidium contra adversa.

4. Felicitas.

& non secundum aliquam aliam virtutem. Multi enim magis abstinentes fuerunt, quam Apostoli, sed ipsi in beatitudine omnes alios excellunt propter excellentiam caritatis. *Ipsi enim fuerunt primitias spiritus habentes*, sicut dicit Apos. Rom. 8. Unde differentia beatitudinis est ex differentia caritatis, & sic patent quatuor, quae in nobis efficit caritas. Sed praeter illa, quaedam alia efficit, quae praetermittenda non sunt. Primo enim efficit peccatorum remissionem: & hoc manifeste videmus ex nobis. Si enim aliquis aliquem offendit, & ipsum postea intime diligat, propter dilectionem sibi offensam laxat. Sic & Deus diligentibus se peccata dimittit: 1. Pet. 4. *Caritas operit multitudinem peccatorum*; & bene dicit, *operit*, quia scilicet a Deo non videntur, ut puniat, sed licet dicat, quod operit multitudinem, tamen Salomon dicit proverb. 10. *quod universa delicta operit caritas*: & hoc maxime manifestat Magdalenae exemplum, Lucae 7. *Dimissa sunt ei peccata multa*, & causa subditur, *quoniam dilexit multum*. Sed forte dicet aliquis: sufficit ergo caritas ad delenda peccata, & non est necessaria poenitentia. Sed considerandum, quod nullus vere diligit, qui non vere poenitet. Manifestum est enim, quod quanto magis aliquem diligimus, tanto magis dolemus, si ipsum offendimus, & hic est unus caritatis effectus. Item, causat cordis illuminationem. Sicut enim dicit Job. 37. *Omnes involvimur tenebris*. Frequenter enim nescimus, quid agendum, vel desiderandum, sed caritas docet omnia necessaria ad salutem: ideo

Alii effectus.

1. Peccatorum remissio.

2. Effectus. cordis illuminatio.

ideo dicitur 1. Joan. 2. *Unctio ejus docet vos de omnibus*: & hoc ideo eſt, quia ubi caritas, ibi Spiritus ſanctus, qui novit omnia, *qui deducit nos in viam rectam*, ſicut dicitur in Pſal. 106. Ideo dicitur Eccl. 2. *Qui timetis Deum, diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra*, ſcilicet ad ſciendum neceſſaria ad ſalutem. Item, perficit in homine perfectam laetitiam. Nullus enim vere gaudium habet, niſi exiſtens in caritate. Quicumque enim aliquid deſiderat, non gaudet, nec laetatur, nec quietatur, donec illud adipiſcatur. Et accidit in rebus temporalibus, quod non habitum appetatur, & habitum deſpicitur, & taedium generat. Sed non ſic eſt in ſpiritualibus, immo qui Deum diligit, habet ipſum: & ideo animus diligentis, & deſiderantis quietatur in eo. *Qui enim manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo*, ut dicitur 1. Joan. 4. Item, efficit pacem perfectam. Accidit enim in rebus temporalibus, quod frequenter deſiderantur, ſed ipſis habitis, adhuc animus deſiderantis non quieſcit, immo uno habito, aliud appetit: Iſai. 57. *Cor autem impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt*. Et c. 1. *Non eſt pax impiis, dicit Dominus*. Sed non ſic accidit in caritate circa Deum. Qui enim diligit Deum, pacem perfectam habet: Pſal. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum*. Et hoc ideo eſt, quia ſolus Deus ſufficit ad implendum deſiderium noſtrum, Deus enim major eſt corde noſtro, ſicut dicit Apoſ. Et ideo dicit Aug. in primo confeſſionum: *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requie-*

3. Perfecta laetitia.

4. Pax perfecta.

scat in te. Psal. 102. *Qui replet in bonis deside-*
5. Magna dignitas. *rium tuum*. Item, facit caritas hominem magnae dignitatis. Omnes enim creaturae ipsi divinae majestati serviunt. Omnia enim ab ipso sunt facta, sicut artificialia subserviunt artifici: sed caritas de servo facit liberum & amicum. Unde ait Dominus Apostolis Jo. 15. *Jam non dicam vos servos, sed amicos*. Sed nunquid Paulus non servus? sed & alii Apostoli qui se servos scribunt? Sed sciendum, quod duplex est servitus. Prima est timoris, & haec est poenosa, & non meritoria. Si enim aliquis a peccato abstinet solum timore poenae, non meretur ex hoc, sed adhuc est servus. Secunda est amoris. Si enim quis operatur non timore justitiae, sed amore divino, non sicut servus operatur, sed sicut liber, quia voluntarie, & ideo dicit: *Jam non dicam vos servos*. Et quare? Ad hoc respondet Apos. Ro. 8. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. Timor enim non est in caritate*, sicut dicitur 1. Joan. 4. Habet
6. Effectus. filiatio. enim poenam, sed caritas delectationem. Item, caritas facit non solum liberos, sed etiam filios, *ut* scilicet scilicet *filii Dei nominemur & simus*, ut dicitur 1. Joa. 3. Tunc enim extraneus efficitur alicujus filius adoptivus, quando acquiritur ei jus in haereditatem illius. Sic & caritas acquirit jus in haereditatem Dei, quae est vita aeterna; quia ut dicitur Ro. 8. *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi*. Sap. 5. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei*. De

De Acquisitione Caritatis.

EX jam dictis patent utilitates caritatis. Postquam igitur tam utilis est, studiose laborandum est ad acquirendam eam & retinendam. Sed sciendum, quod nullus a se caritatem habere potest, immo solius Dei est donum. Unde Joannes dicit 1. Joan. 4. *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*, quia videlicet non propterea ipse nos diligit, quia nos prius dilexerimus eum, sed hoc ipsum, quod diligimus eum, causatur in nobis ex dilectione ipsius. Considerandum etiam, quod licet omnia dona sint a patre luminum, istud tamen donum, scilicet caritatis, omnia alia dona super excellit. Omnia enim alia sine caritate & Spiritu sancto habentur, cum caritate vero necessario Spiritus sanctus habetur: Apost. Rom. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Sive enim sit donum linguarum, sive scientiae, sive prophetiae, absque gratia, & Spiritu sancto habentur. Sed licet caritas sit donum divinum, ad ipsam tamen habendam requiritur dispositio ex parte nostra. Et ideo sciendum, quod duo specialiter ad acquirendam caritatem necessaria sunt, & duo ad augmentum caritatis jam acquisitae. Ad acquirendam igitur caritatem primum est diligens divini verbi auditio: & hoc manifestum est satis ex his quae sunt apud nos. Audientes enim bona de aliquo, in ejus dilectionem accendimur. Sic & Dei verba audientes accendimur in amorem ipsius,

Caritas solius Dei donum.

Omnia dona super excellit.

Ad acquirendam caritatem duo necessaria.

ipsius : Psal 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud*. Item, Psal. 104. *Eloquium Domini inflammavit eum*. Et propterea illi duo discipuli divino amore aestuantes dicebant, Lucae 24. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Unde & Actuum 10. legitur, quod praedicante Petro Spiritus sanctus in auditores divini verbi cecidit. Et hoc frequenter accidit in praedicationibus, quod, qui duro corde accedunt, propter verbum praedicationis ad divinum amorem accenduntur. Secundum est, bonorum continua cogitatio: Psal. 38. *Concaluit cor meum intra me*. Si ergo vis divinum amorem consequi, mediteris bona. Durus enim nimis esset, qui divina beneficia, quae consecutus est, pericula etiam quae evasit, & beatitudinem, quae sibi a Deo repromittitur, cogitans, ad divinum amorem non accenderetur: unde D. Aug. *Durus est animus hominis, qui & si dilectionem no lit impendere, saltem non velit rependere*. Et universaliter, sicut cogitationes malae destruunt caritatem, ita bonae eam acquirunt, nutriunt, & conservant: unde jubemur Isa. 1. *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*. Sapien. 1. *Perversae cogitationes separant a Deo*. Sunt autem & duo, quae habitam caritatem augent. Primum est cordis separatio a terrenis. Cor enim perfecte in diversa ferri non potest. Unde nullus valet Deum, & mundum diligere. Et ideo quanto magis ab amore terrenorum noster animus elongatur, tanto magis firmatur in dilectione divina. Unde

Ad augendam caritatem duo ne necessaria.

Unde Aug. dicit in lib. 83. quaest. *Caritatis venenum est spes adipiscendorum, aut retinendorum temporalium. Nutrimentum ejus est imminutio cupiditatis: perfectio, nulla cupiditas, quia radix omnium malorum est cupiditas.* Quisquis igitur caritatem nutrire vult, instet minuendis cupiditatibus. Est autem cupiditas amor adipiscendi, aut obtinendi temporalia. Hujus imminuendae initium est, Deum timere, qui solus timeri sine amore non potest. Et propter hoc ordinatae fuerunt Religiones, in quibus, & per quas a mundanis & corruptibilibus animus trahitur, & erigitur ad divina: quod signatur 2. Machab. 1. ubi dicitur. *Refulsit sol, qui prius erat in nubilo.* Sol, id est intellectus humanus est in nubilo, quando deditus est terrenis: sed refulget, quando a terrenorum amore elongatur & retrahitur. Tunc enim splendet, & tunc divinus amor in eo crescit. Secundum est firma patientia in adversis. Manifestum est enim, quod quando gravia pro eo, quem diligimus, sustinemus, amor ipse non destruitur, immo crescit: Cant. 8. *Aquae multae*, id est tribulationes multae, *non poterunt extinguere caritatem.* Et ideo sancti viri, qui adversitates pro Deo sustinent, magis in ejus dilectione firmantur: sicut artifex illud artificium magis diligit, in quo plus laboravit. Et inde est, quod fideles quanto plures afflictiones pro Deo sustinent, tanto magis elevantur in amore ipsius: Gen. 7. *Multiplicatae sunt aquae*, id est, tribulationes, *& elevaverunt arcam in sublime*, idest Ecclesiam, vel animam viri justi.

CAPUT II.

De primo divinae legis mandato.

INterrogatus Christus ante passionem a legisperitis, quod esset maximum & primum mandatum, dixit Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, hoc est maximum & primum mandatum*. Et vere illud est majus, & nobilius, & utilius inter omnia mandata, sicut satis manifestum est. In hoc enim omnia mandata implentur. Sed ad hoc, quod illud praeceptum dilectionis possit perfecte impleri, quatuor requiruntur. Primum est divinorum beneficiorum rememoratio, quia omnia, quae habemus, sive animam, sive corpus, sive exteriora, habemus a Deo. Et ideo oportet quod ei de omnibus serviamus, & eum diligamus corde perfecto. Nimis enim ingratus est, qui cogitans alicujus beneficia, eum non diligit. Haec recogitans David dicebat 1. Paralipom. 29. *Tua sunt omnia, & quae de manu tua accepimus, dedimus tibi* &c. Et ideo in ejus laudem dicitur Eccl. 47. *De omni corde suo laudavit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum*. Secundum est divinae excellentiae consideratio. Deus enim major est corde nostro 1. Joan. 3. Unde si toto corde, & viribus ei serviamus, adhuc non sufficimus: Eccl. 43. *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc. Benedicentes Dominum exaltate illum quan-*

Diligitur Deus 1. beneficior. ejus rememoratione.

2. Ejus excellentiae consideratione.

quantum potestis: major est enim omni laude. Tertium est mundanorum,& terrenorum abdicatio. Magnam enim injuriam Deo facit, qui aliquid ei adaequat: Isa. 40. *Cui similem fecisti Deum?* Tunc autem alia Deo adaequamus, quando res temporales & corruptibiles simul cum Deo diligimus: sed hoc est omnino impossibile. Propterea dicitur Isa. 28. *Coangustatum est stratum ita, ut alter decidat, & pallium breve utrumque operire non potest.* Ubi cor hominis assimilatur strato arcto, & pallio brevi. Cor enim humanum arctum est in respectu ad Deum. Unde quando alia ab eo in corde recipis, ipsum expellis. Ipse enim non patitur consortem in anima, sicut nec vir in uxore. Et ideo dicit ipse Exod. 20. *Ego sum Deus tuus zelotes.* Nihil enim vult, quod diligamus quantum eum, aut praeter eum. Quartum est omnimoda peccatorum vitatio. Nullus enim potest diligere Deum in peccato existens: Mat. 6. *Non potestis Deo servire & mammonae:* unde si in peccato existis, Deum non diligis. Sed ille diligebat, qui dicebat Isa. 38. *Memento quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto.* Praeterea dicebat Elias 3. Regum. 18. *Quousque claudicatis in duas partes?* Sicut claudicans nunc huc, nunc illuc inclinatur, sic & peccator nunc peccat, & nunc Deum quaerere nititur. Et ideo Dominus dicit Joelis 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Sed contra illud praeceptum duo genera hominum peccant. Illi scilicet homines, qui vitando unum peccatum, ut puta luxuriam, aliud committunt, ut usuram.

3. Terrenorum abdicatione.

4. Peccatorum fuga.

Sed

Sed nihilominus damnantur, quia, *qui offendit in uno, factus est omnium reus*, ut dicitur Jacob. 2. Item sunt aliqui, qui confitentur quaedam, quaedam non, vel quantum ad diversos confessionem dividunt. Sed isti non merentur, immo peccant in hoc, quia Deum decipere intendunt, & quia divisionem in sacramento committunt. Quantum ad primum dicit quidam: *Impium est a Deo dimidiam sperare veniam*. Quantum ad secundum, Psal. 61. *Effundite coram illo corda vestra*, quia videlicet omnia sunt in confessione revelanda.

Jam ostensum est quod homo se Deo dare tenetur. Nunc considerandum est quid homo de se Deo dare debeat. Debet enim homo Deo dare quatuor, scilicet cor, animam, mentem, & fortitudinem. Et ideo dicitur Mat. 12. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute*, id est, fortitudine tua. Sciendum est autem, quod per cor intelligitur hic intentio. Est autem intentio tantae virtutis, quod omnia opera ad se trahit. Unde quaecumque bona mala intentione facta, in mala convertuntur: Lucae 11. *Si oculus*, id est intentio, *nequam fuerit, totum corpus tenebrosum erit*: id est congeries bonorum operum tuorum tenebrosa erit. Et propterea in omni opere nostro intentio ponenda est in Deo: Apos. 1. Corin. 10. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Sed bona intentio non sufficit, immo oportet, quod adsit bona voluntas, quae per animam significatur.

Quatuor dare Deo homo debet.

1. Intentionem.

2. Voluntatem.

Fre-

Frequenter enim aliquis bona intentione operatur, sed inutiliter, cum bona voluntas desit: ut si quis furetur, ut pascat pauperem, est quidem recta intentio, sed deest rectitudo debitae voluntatis, unde nullum malum bona intentione factum excusatur: Rom. 3. *Qui dicunt, faciamus mala, ut veniant bona, quorum damnatio justa est*. Tunc autem adest bona voluntas intentioni, quando ipsa voluntas voluntati divinae concordat, quod quotidie postulamus dicentes: *Fiat voluntas tua &c.* Et Psal. 39. *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui*. Et propter hoc dicit, *in tota anima tua*. Anima enim in scriptura frequenter pro voluntate accipitur, ut Hebraeor. 10. *Quod si subtraxerit se, non placebit animae meae*, id est, voluntati meae. Sed aliquando est bona intentio, & bona voluntas, sed in intellectu quandoque aliquod peccatum habetur: & ideo totus intellectus dandus est Deo: Apost. 2. Corint. 10. *In capivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Multi enim in opere non peccant, sed tamen volunt ipsa peccata cogitare frequenter, contra quos dicitur Isa. 1. *Auferte malum cogitationum vestrarum*. Sunt etiam multi, qui in sua sapientia confidentes, nolunt fidei assentire, & tales non dant mentem Deo. Contra hos dicitur Proverb. 3. *Ne innitaris prudentiae tuae*. Sed adhuc istud non sufficit, immo totam virtutem, & fortitudinem Deo dare oportet: Psal. 58. *Fortitudinem meam ad te custodiam*. Aliqui enim sunt, qui fortitudinem suam tribuunt ad peccandum, & in hoc suam poten-

3. Intellectum.

4. Fortitudinem.

potentiam manifestant, contra quos dicitur Isa. 5. *Vae qui potentes estis ad bibendum vinum* &c. Aliqui ostendunt potentiam suam, vel virtutem in nocendo proximis, cum deberent eam ostendere in subveniendo ipsis: Proverb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem* &c. Igitur ad diligendum Deum danda sunt ista Deo, scilicet intentio, voluntas, mens, fortitudo.

De secundo divinae legis mandato.

INterrogatus Christus, quod esset maximum mandatum, uni interrogationi duas responsiones dedit. Et prima fuit, *Diliges Dominum Deum tuum*, de quo dictum est. Secunda vero fuit, *Et proximum tuum sicut teipsum*. Ubi considerandum est, quod qui hoc servat, totam legem implet: Apost. Romanor. 13. *Plenitudo legis est dilectio*. Sed sciendum quod ad dilectionem proximi quatuor nos inducunt. Primo, divinus amor, quia sicut dicitur 1. Joan. 4. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est*. Qui enim dicit se diligere aliquem, & filium ejus, vel ejus membra odio habet, mentitur. Omnes autem fideles filii, & membra Christi sumus: Apost. 1. Corint. 12. *Vos estis corpus Christi, & membra de membro*. Et ideo, qui odit proximum, non diligit Deum. Secundum est divinum praeceptum. Christus enim in recessu suo inter omnia alia praecepta hoc praeceptum discipulis praecipue commendavit dicens Joan. 15. *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem* &c. Nullus enim

Ad dilectionem proximi inducit 1. amor Dei.

2. Divinum praeceptum.

enim praecepta divina servat, qui proximum odit: unde istud est signum observantiae divinae legis, dilectio proximi. Unde Dominus Joan. 13. *in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*. Non dicit in suscitatione mortuorum, non in aliquo evidenti signo; sed hoc est signum, *si dilectionem habueritis ad invicem*. Et hoc beatus Joannes recte considerabat: unde dicebat 1. Joan. 3. *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam*. Et quare? *quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte*. Tertium est, naturae communicatio. Sicut enim dicitur Ecclesiast. 13. *Omne animal diligit simile sibi*. Unde cum omnes homines sint similes in natura, invicem se diligere debent: & ideo odire proximum non solum est contra divinam legem, sed etiam contra legem naturae. Quartum utilitatis consecutio: omnia enim alterius alii sunt utilia per caritatem; haec enim est, quae unit Ecclesiam, & omnia communia facit: Psal. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te* &c..

3. Naturae communitas.

4. Utilitas.

Diliges proximum tuum sicut teipsum. Istud est secundum praeceptum legis, & est de dilectione proximi. Quantum autem proximum diligere debeamus, jam dictum est. Et dicendum restat de modo dilectionis, qui quidem innuitur cum dicitur *sicut teipsum*. Circa quod verbum quinque considerare possumus, quae in dilectione proximi servare debemus. Primum est, quia debemus eum diligere vere sicut nos, quod facimus, si propter seipsum diligimus: non propter nos. Ideo notandum, quod triplex est

Modi diligendi proximum.

1. Vere.

est amor, quorum duo non sunt veri, tertius autem verus. Primus est, qui est propter utile: Eccles. 6. *Est amicus socius mensae, & non permanebit in die necessitatis*. Sed certe iste non est verus amor. Deficit enim, deficiente utilitate; & tunc nolumus bonum proximo, sed potius bonum utilitatis volumus nobis. Est & alius amor, qui est propter delectabile, & hic etiam non est verus, quia, deficiente delectabili, deficit. Et ideo nolumus bonum propter hoc principaliter proximo, sed potius bonum suum nobis volumus. Tertius est amor, qui est propter virtutem, & iste solus est verus. Tunc enim non diligimus proximum propter bonum nostrum, sed

2. Ordinate. propter suum. Secundum est quod debemus diligere ordinate, ut scilicet non diligamus eum supra Deum, vel quantum Deum, sed juxta, sicut teipsum debes diligere: Cantic. 2. *Ordinavit in me caritatem*. Hunc ordinem docuit Dominus Matth. 10. dicens. *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus. Et qui amat filium, aut filiam*

3. Efficaciter. *super me, non est me dignus*. Tertium est, quod debemus eum diligere efficaciter. Non enim te solum diligis, sed etiam procuras studiose tibi bona, & vitas mala. Sic quoque debes facere proximo: 1. Joan. 3. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate*. Sed certe illi pessimi sunt, qui ore diligunt, & corde nocent, de quibus psal. 27. *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum*. Apost. Romanor. 12. *Dilectio sine simulatione*.

4. Perseveranter. Quartum, quod demus eum diligere perseveran-

ranter, ſicut & te perſeveranter diligis: Proverb. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus eſt, & frater in anguſtiis comprobatur*, ſcilicet tam tempore adverſitatis, quam proſperitatis, immo tunc, ſcilicet tempore adverſitatis maxime probatur amicus, ut dicitur ibidem. Sed ſciendum, quod duo ſunt, quae juvant ad amicitiam conſervandam. Primum eſt patientia. *Vir enim iracundus ſuſcitat rixas*, ut dicitur Proverb. 25. Secundum eſt humilitas, quae cauſat primum, ſcilicet patientiam: Prov. 13. *Inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt*. Qui enim conſiderat magna de ſe, & deſpicit alium, non poteſt defectus illius pati. Quintum eſt, quod eum debemus diligere juſte, & ſancte, ut ſcilicet eum non diligamus ad peccandum, quia nec te ſic debes diligere, cum Deum ex hoc amittas: unde Joan. 15. *Manete in dilectione mea*, de qua dilectione dicitur Eccleſiaſt. 24. *Ego mater pulchrae dilectionis*. 5. Juſte, & ſancte.

Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Hoc praeceptum Judaei, & Pariſaei male intelligebant, credentes quod Deus praeciperet diligendos amicos, & odiendos inimicos. Et ideo per proximos intelligebant tantum amicos. Hunc autem intellectum intendit Chriſtus reprobare dicens, Matthaei 5. *Diligite inimicos veſtros* &c. Sciendum autem, quod quicumque odit fratrem ſuum, non eſt in ſtatu ſalutis: 1. Joan. 2. *Qui odit fratrem ſuum in tenebris eſt*. Eſt autem attendendum, quod etiam in hoc invenitur quaedam contrarietas. Nam ſancti aliquos oderunt: Pſal. 138. *Perfecto odio oderam illos* &c. Et in Proximi ſunt amicus, & inimicus.

Evangelio Lucae 14. *Si quis non odit patrem ſuum, & matrem* &c. Et ideo ſciendum, quod in omnibus factis noſtris factum Chriſti debet eſſe nobis exemplum. Deus enim diligit, & odit, quia in quolibet homine duo ſunt conſideranda, ſcilicet natura, & vitium. Natura quidem in omnibus hominibus diligi debet, vitium vero odiri: unde ſi quis vellet hominem eſſe in inferno, odiret naturam. Si quis vero vellet ipſum eſſe bonum, odiret peccatum, quod ſemper odiendum eſt: Pſal. 5. *Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem*, &c. Sapien. 11. *Diligis Domine omnia, quae ſunt, & nihil odiſti eorum quae feciſti*. Ecce ergo quod Deus diligit, & odit, diligit naturam, & odit vitium. Sciendum etiam, quod homo aliquando ſine peccato poteſt malum facere, quando ſcilicet ſic facit malum, ut velit bonum, quia & Deus ſic facit. Sicut cum homo infirmatur, convertitur ad bonum, qui in ſanitate erat malus. Item, in adverſitate aliquis convertitur, & eſt bonus, qui in proſperitate erat malus, juxta illud Iſa. 28. *Vexatio intellectum dabit auditui*. Item, ſi deſideras malum tyranni deſtruentis Eccleſiam, in quantum deſideras bonum Eccleſiae per deſtructionem tyranni. Unde 2. Machab. 1. *Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios*. Et hoc omnes debent velle non ſolum voluntate, ſed etiam opere. Non enim eſt peccatum ſuſpendere juſte malos: *Miniſtri enim Dei ſunt* tales, ſecundum Apoſtolum Ro. 13. Et ſervant iſti dilectionem, quia poena fit aliquando propter caſtigationem, aliquando propter bonum melius, & divi-

Natura, non culpa diligenda.

Mali puniendi.

divinius. Est enim majus bonum unius civitatis, quam vita unius hominis. Sed sciendum, quod non sufficit non velle malum, sed oportet velle bonum, scilicet emendationem suam, & vitam aeternam. Duobus enim modis quis vult bonum alterius. Uno modo generaliter, inquantum est creatura Dei, & participabilis vitae aeternae. Alio modo specialiter, inquantum est amicus vel socius: a generali autem dilectione nullus excluditur. Debet enim quilibet pro quolibet orare, & cuilibet in necessitate ultima subvenire. Sed non teneris cum quolibet habere familiaritatem, nisi peteret veniam, quia tunc esset amicus, & si refutares, haberes odio amicum. Unde Matth 6. dicitur. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & pater vester caelestis delicta vestra; si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra*. Et in oratione Dominica, quae ponitur Matth. 6. dicitur. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*.

Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dictum est quod tu peccas, si non parcis veniam postulanti, & quod perfectionis est, si tu eum ad te revocas, licet non tenearis. Sed ad hoc ut eum trahas ad te, multae rationes inducunt. Prima est propriae dignitatis conservatio: diversae enim dignitates diversa signa habent. Nullus autem propriae dignitatis signa dimittere debet. Inter omnes autem dignitates major est, quod quis sit Filius Dei: hujus autem dignitatis signum est, si diligis inimicum: Matth. 5. *Diligite*

Inimicus ad amorem revocandus.

1. Ob dignitatem propriam.

ligite inimicos vestros, ut sitis Filii Patris vestri qui in caelis est. Si enim diligis amicum, non est hoc signum filiationis divinae: nam *Publicani, & Ethnici hoc faciunt*, ut dicitur Matth. 5. Secunda est victoriae acquisitio. Omnes enim hoc naturaliter desiderant; oportet ergo, quod vel trahas eum, qui te offendit, ad dilectionem bonitate tua, & tunc vincis: vel quod alius trahat te ad odium, & tunc perdis: Roman. 12. *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*. Tertia est multiplicis utilitatis consecutio. Acquirit enim ex hoc amicos: Roman. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi, hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus*. Augustin. *Nulla major provocatio ad amorem, quam praevenire amando. Nullus enim est ita durus, qui etsi dilectionem nolit impendere, nolit tamen rependere*, quia ut dicitur Eccle. 6. *Amico fideli nulla comparatio*. Prover. 16. *Cum placuerint Domino viae hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem*. Quarta est, quia ex hoc preces tuae facilius exaudiuntur. Unde super illud Jerem. 15. *Si steterint Moyses, & Samuel coram me*, dicit Gregor. quod fecit potius de istis mentionem, quia rogaverunt pro inimicis. Similiter Christus ait Lucae 23. *Pater dimitte illis*. Item, beatus Stephanus orando pro inimicis magnam utilitatem fecit Ecclesiae, quia Paulum convertit. Quinta est peccati evasio, quam maxime desiderare debemus. Aliquando enim peccamus, nec Deum quaerimus, & Deus trahit nos ad se vel infirmitate, vel aliquo hujusmodi: 2. Oseae.

2. Ob victoriae acquisitionem.

3. Ob utilitatem.

4. Ob precum exauditionem.

5. Ob peccati evasionem.

Se-

Sepiam viam tuam spinis. Sic fuit tractus beatus Paulus. Psal. 118. *Erravi sicut ovis, quae periit, quaere servum tuum, Domine*. Cantic. 1. *Trahe me post te*, & caeter. Hoc autem consequimur, si inimicum ad nos trahimus primo remittentes, quia ut dicitur Lucae 6. *Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis*. Et ibidem. *Dimittite, & dimittemini*. Et Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Nulla est enim major misericordia, quam offendenti dimittere.

CAPUT III.

De pertinentibus ad divinae legis mandata.

De primo Decalogi praecepto.

NOn habebis Deos alienos: Exod. 20. Sicut jam dictum est, tota lex Christi dependet a caritate. Caritas autem pendet ex duobus praeceptis, quorum unum est de dilectione Dei, reliquum de dilectione proximi, & de istis duobus jam dictum est. Nunc autem sciendum, quod Deus dando legem Moysi, dedit decem praecepta in duabus tabulis lapideis scripta, quorum tria in prima tabula scripta pertinent ad amorem Dei, septem vero scripta in secunda tabula pertinent ad amorem proximi: & ideo tota lex fundatur in duobus praeceptis. Primum autem, quod pertinet ad amorem Dei est: *Non habebis Deos alienos*. Et ad hujus intellectum sciendum est, quod antiqui multipliciter hoc praeceptum transgrediebantur. Quidam enim colebant daemo-

Praeceptum hoc violant 1. cultores daemonum.

monia: Psal. 95. *Omnes dii gentium daemonia*. Hoc autem est maximum omnium peccatorum, & horribile. Nunc quoque multi transgrediuntur hoc praeceptum, omnes scilicet, qui divinationibus & sortilegiis intendunt. Haec enim, secundum Augustinum, fieri non possunt, quin aliquod pactum cum diabolo contrahatur: Corinth. 1. 10. *Nolo vos fieri socios daemoniorum*. Et iterum ibidem. *Non potestis mensae Domini participes esse, & mensae daemoniorum*. Alii colebant caelestia corpora, credentes astra esse Deos: Sapien. 13. *Solem & lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt*: & ideo Moyses prohibuit Judaeis, quod non levarent oculos, nec adorarent solem, & lunam, & stellas: Deuteron. 4. *Custodite sollicite animas vestras, ne forte elevatis oculis ad caelum, videas solem, & lunam, & omnia astra caeli, & errore deceptus adores ea, & colas, quae creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus*. Idem dicitur Deuteron. 5. Contra hoc praeceptum peccant Astrologi, qui dicunt haec esse animarum rectores, cum tamen propter hominem facta sint, cujus solus Deus rector est. Alii vero colebant inferiora elementa: Sapien. 13. *Aut ignem, aut spiritum Deos putaverunt*. In quorum errorem inciderunt homines, qui inferioribus male utuntur, nimis ea diligentes: Apostolus Ephes. 5. *Aut avarus, quod est idolorum servitus*. Alii errantes colebant homines, vel aves, vel alios, vel seipsos, quod quidem contigit ex tribus. Primo ex carnalitate: Sapien. 14. *Acerbo luctu dolens pater rapti cito sibi filii fecit imaginem, & illum*

2. Cultores astrorum.

3. Cultores elementorum.

4. Cultores hominum, & animalium: Ex carnalitate.

illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere coepit, & constituit inter servos suos sacra & sacrificia. Secundo, ex adulatione: cum enim quidam aliquos, quos non potuerunt honorare in praesentia, curaverunt in absentia honorare, faciendo scilicet eorum imagines, & colendo loco eorum: Sapien. 14. *Quem honorare volebant, fecerunt; ut illum, qui aberat, tamquam praesentem colerent.* Tales sunt quicumque diligunt, & venerantur homines plusquam Deum: Matth. 10. *Qui diligit patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus*. Psal. 145. *Nolite confidere in principibus*, neque *in filiis hominum, in quibus non est salus*. Tertio, ex praesumptione. Quidam enim ex praesumptione fecerunt se vocari Deos, sicut patet Judith. 3. de Nabuchodonosor. Ezech. 28. *Elevatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum*: & hoc faciunt, qui plus suo sensui, quam Dei praeceptis credunt. Isti enim se pro Diis colunt. Sequentes enim delectationes carnis, corpus suum pro Deo colunt. Apostolus Philip. 3. *Quorum Deus venter est*. Ab his ergo omnibus cavere oportet.

Ex adulatione.

Ex praesumptione.

Non habebis Deos alienos &c. Sicut dictum est, primum praeceptum legis est hoc, quo prohibemur non colere nisi unum Deum. Et ad hoc etiam inducimur quinque rationibus. Prima sumitur ex Dei dignitate, quae si auferatur, fit Deo injuria, sicut potest videri ex consuetudine hominum. Cuilibet enim dignitati debetur reverentia: unde proditor regis est, qui aufert, quod exhibere teneretur: & hoc quidam

Rationes colendi Deum. 1. Ejus dignitas.

dam Deo faciunt: Rom. 1. *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*: & hoc summe Deo displicet: Isa. 42. *Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus*. Et considerandum, quod haec Dei dignitas est, scilicet quod omnia sciat. Unde Deus dicitur a videndo, hoc enim est unum signum deitatis: Isa. 41. *Annuntiate, quae ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos*. Hebraeor. 4. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus*. Hanc autem dignitatem auferunt divinatores, contra quos dicit Isa. 8. *Numquid non populus a Deo suo requirit visionem pro vivis ac mortuis?* Secunda ratio sumitur ex ejus largitate. Omne enim bonum habemus a Deo: & hoc etiam ad dignitatem Dei pertinet, quod factor, & dator est omnium bonorum: Psal. 103. *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate*: & hoc importatur in hoc nomine, Deus, quod dicitur a distributione, id est, dator rerum, quia omnia replet sua bonitate. Nimis ergo ingratus es, si hoc ab illo tibi collatum non recognoscis, immo facis tibi alium Deum, sicut filii Israel educti de Aegypto fecerunt idolum: Oseae 2. *Vadam post amatores meos*. Hoc etiam fit, quando quis in alio, quam in Deo spem ponit, hoc est, quando adjutorium ab alio petit: Psal. 39. *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus*. Apostol. ad Galat. 4. *Cum cognoveritis Deum, quomodo convertimini iterum ad infirma, & egena elementa? Dies observatis, & menses, & tempora, & annos*. Tertia ratio sumitur ex promissi firmita-

2. Ejus largitas.

3. Nostra Promissio.

mitate. Abrenuntiavimus enim diabolo, & fidem promisimus soli Deo: unde non debemus ipsam infringere: Hebraeor. 10. *Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiae contumeliam fecerit?* Romanor. 7. *Vivente viro, votabitur adultera si fuerit cum alio viro*; & talis debet comburi. Eccl. 2. *Vae* ergo *peccatori ingredienti terram duabus viis*, claudicantibus in duas partes. Quarta ratio est ex dominii diabolici gravitate: Jerem. 16. *Servietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem*. Non enim quiescit in uno peccato, sed potius nititur ad aliud ducere. Qui facit peccatum, servus est peccati: ideo non de facili quis egreditur de peccato. Gregor. *Peccatum, quod per poenitentiam non diluitur, mox suo pondere in aliud trahit*. Contrarium est de dominio divino, quia praecepta ejus gravia non sunt: Matth. 11. *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve*. Satis enim reputatur quis facere, si tantum facit pro Deo, quantum fecit pro peccato: Romanor. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiae, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibere membra vestra servire justitiae in sanctificationem*. Sed de servis diaboli dicitur Sapien. 5. *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles*. Et Hierem. 9. *Ut inique agerent, laboraverunt*. Quinta est ex

4. Diaboli tyrannis.

5. Praemium aeternum. ex praemii, sive muneris immensitate. In nulla enim lege talia promittuntur praemia, sicut in lege Christi. Saracenis enim promittuntur fluvii lactis, & mellis, Judaeis terra promissionis, sed Christianis Angelorum gloria: Matth. 22. *Erunt sicut Angeli Dei in caelo*. Hoc considerans Petrus ait Johan. 6. *Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes*.

De secundo Decalogi praecepto.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: Exod. 20. Hoc est secundum praeceptum legis: & sicut non est nisi unus Deus, quem debemus colere, ita non est nisi unus, quem debemus maxime venerari, & primo quantum ad nomen; unde, *Non assumes* &c. Sciendum quod vanum dicitur tripliciter, aliquando enim dicitur falsum: Psal 11. *Vana locuti sunt* &c. Assumis ergo nomen Dei in vanum, quando assumis illud ad confirmationem falsitatis: Zach. 8. *Juramentum mendax ne diligatis*. Idem 13. *Non vives, quia locutus es mendacium in nomine Domini*. Talis autem facit injuriam Deo, sibi ipsi, & omnibus hominibus. Deo quidem, quia cum jurare per Deum nihil aliud sit, nisi invocare ejus testimonium; cum juras falsum, aut credis Deum nescire verum, & sic ponis ignorantiam in Deo, cum tamen *omnia nuda & aperta sint oculis ejus*, ut dicitur Hebraeor. 4. aut quod diligat mendacium, cum tamen odiat ipsum: Psal. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*: aut derogas potentiae, quasi non possit

Vanum triplex. 1. Falsum.

possit testimonium reddere, vel quasi non possit de eo punire. Item, facit injuriam sibi ipsi, obligat enim se judicio Dei. Nihil est autem aliud dicere, per Deum ita est, nisi quod Deus puniat me, si non est ita. Item, injuriatur aliis hominibus. Nulla enim inter aliquos societas durare potest, nisi credant sibi invicem. Dubia autem juramentis confirmantur: Hebraeor. 6. *Omnis controversiae finis ad confirmationem est juramentum*. Injuriatur ergo Deo, crudelis est sibi, & noxius est hominibus. Aliquando dicitur vanum inutile: Psal. 93. *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt*: & ideo confirmando vanitatem assumitur nomen Dei in vanum'. In veteri enim lege prohibitum fuit, ut non juraretur falsum: Deuteron. 5. *Non usurpabis nomen Dei tui frustra* &c. Sed Christus prohibuit non nisi in necessitate jurare: & ideo dicitur Matth. 5. *Audistis quia dictum est antiquis, non jurabis. Ego autem dico vobis: nolite jurare omnino*. Et hujus ratio est, quia in nulla parte ita fragiles sumus, sicut in lingua, quia eam *nullus domare potuit*, sicut dicitur Jacob. 3. Et ideo de levi posset homo dejerare: Matth. 5. *Sit sermo vester, est est, non non*. Et iterum. *Ego autem dico vobis: Nolite jurare omnino*. Et nota, quod juramentum est sicut medicina, quae non semper accipitur, sed in necessitate, & ideo ut dicitur Matth. 5. *Quod his amplius est, a malo est*. Ecclesiast. 23. *Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa. nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus sanctorum ne adminiscearis, quoniam non*

2. Vanum inutile.

non eris immunis ab eis. Aliquando autem dicitur vanum, peccatum, vel injustitia: Psal. 4. *Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem?* Qui ergo jurat pro peccato faciendo, assumit nomen Dei sui in vanum. Justitiae vero partes sunt, facere bonum, & dimittere malum. Si ergo juras facere furtum, vel aliud hujusmodi, hoc contra justitiam est: & quamvis non sit servandum hoc juramentum, tamen sic jurans perjurus est. Talis fuit Herodes contra Joannem, Matth. 6. Similiter contra justitiam facit, qui jurat non facere bonum, sicut non intrare Ecclesiam, vel Religionem: & hoc etiam juramentum non est servandum, & tamen perjurus est jurans. Non est ergo jurandum de falso, non de inutili, non etiam de injustitia: & ideo dicitur Hiere. 4. *Et jurabis, vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in justitia*. Vanum dicitur aliquando fatuum: Sapien. 13. *Vani sunt omnes homines, in quibus non est scientia Dei*. Qui ergo accipiunt nomen Dei stulte, sicut blasphemi, assumunt nomen Dei in vanum: Levit. 24. *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte morietur*.

3. Vanum injustum.

4. Vanum fatuum.

Non assumes nomen domini Dei tui in vanum. Sciendum quo nomen Dei sumitur ad sex. Primo quidem, ad dicti confirmationem, sicut in juramento, & in hoc confitemur, quod prima veritas non est nisi in Deo: in hoc autem fit reverentia Deo. Unde in lege praecipitur: Deut. 6. quod non juretur, nisi per Deum. Contrarium faciunt, qui aliter jurant: Exod. 23. *Non jurabis nomina deorum exterorum*. Et quamvis

Nomen Dei assumitur. 1. ad confirmationem dicti.

vis aliquando juretur per creaturas, tamen sciendum, quod in omnibus his non juratur, nisi per Deum. Cum enim juras per animam tuam, vel caput tuum, idem est, quod eam obligare poenae infligendae a Deo: Apostolus 2.Cor. 1. *Testem Deum invoco in animam meam*. Item, cum juras per Evangelium, juras per Deum, qui dedit Evangelium, & ideo peccant, qui jurant per Deum de facili, aut per Evangelium. Secundo sumitur ad sanctificationem. Baptismus enim sanctificat. Apostolus 1.Corinth.6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi*. Hoc autem non habet virtutem, nisi in invocatione Trinitatis: Hierem. 14. *Tu autem in nobis es, Domine, & nomen sanctum tuum invocatum est super nos*. Tertio sumitur ad adversarii expulsionem. Unde ante baptismum abrenuntiatur diabolo: Isa. 4. *Tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum*. Et ideo si redis ad peccata, nomen Dei sumitur in vanum. Quarto sumitur ad ejusdem nominis confessionem: Apost. Rom. 10. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Et iterum. *Omnis enim quicumque invocarit nomen Domini, salvus erit*. Confitemur autem primo ore ad manifestandum gloriam Dei: Isa. 43. *Omnis, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum*. Ergo si dicis aliquid contra gloriam Dei, assumis nomen Dei in vanum. Confitemur secundo opere, cum ea operamur, quae gloriam Dei manifestant: Matth. 5. *Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in caelis est*. Contrarium faciunt qui-

2. Ad nostram sanctificationem.

3. Ad Daemonis expulsionem.

4. Ad ejusdem nominis confessionem.

quidam, de quibus dicit Apost. Rom. 2. *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes*. Quinto assumitur ad defensionem: Proverb. 18. *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit justus, & exaltabitur*. Marci ulti. *In nomine meo daemonia ejicient*. Actuum 4. *Non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* Sexto sumitur ad operis complementionem: Apost. Collosen. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite*. Psalm. 123. *Adjutorium nostrum in nomine Domini*. Sed quia aliquando aliquis indiscrete incipit, sicut accidit in voto, quod non adimpletur, tunc etiam in vanum nomen Domini assumitur. Unde Ecclesiast. 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere*. Psal. 75. *Vovete* &c. *Displicet enim ei infidelis & stulta promissio*.

5. Ad nostram defensionem.

6. Ad operis complementionem.

De tertio Decalogi praecepto.

M*Emento ut diem sabbathi sanctifices*: Exod. 20. Hoc est tertium mandatum legis, & convenienter. Primo enim debemus Deum venerari corde: unde praecipitur, quod non colatur nisi unus Deus, unde, *non habebis Deos alienos*. Secundo ore, unde, *non assumes*. Tertio opere, & hoc est, *Memento* &c. Voluit enim ut esset certus dies, in quo intenderent homines ad servitium Dei. Habetur autem hoc praeceptum quinque rationibus. Primo enim datum fuit ad destructionem erroris. Praevidit enim Spiritus sanctus, quod futuri erant aliqui dicturi, mun-

Colendus Deus.
1. corde.
2. Ore.
3. Opere.

Hoc praececeptum datum I. ad destructionem erroris.

mundum ſemper fuiſſe: 2. Pet. 3. *Venient in noviſſimis diebus in deceptiones illuſores juxta proprias concupiſcentias ambulantes, dicentes, ubi eſt promiſſio, aut adventus ejus. Ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic perſeverant ab initio creaturae; latet enim eos hoc volentes, quod caeli erant prius, & terra.* Voluit ergo Deus, ut cuſtodiretur unus dies in memoriam, quod Deus omnia creavit in ſex diebus, & in ſeptimo quievit a novis creaturis condendis, & hanc rationem ponit Dominus in lege, dicens: *Memento ut diem ſabbathi ſanctifices*. Sed Judaei in memoriam primae creationis colebant ſabbathum: Chriſtus autem veniens fecit novam creationem; per primam enim homo terrenus, per ſecundam homo caeleſtis effectus eſt: Gal. 6. *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque praeputium, ſed nova creatura*: & haec nova creatura eſt per gratiam, quae incoepit in reſurrectione: Rom. 6. *Quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus*. Et quia reſurrectio facta eſt in Dominica, ideo celebramus illum diem, ſicut Judaei ſabbathum propter primam creationem. Secundo datum fuit ad inſtructionem fidei Redemptoris. Caro enim Chriſti in ſepulcro corrupta non fuit: unde dicit Pſal. 15. *Caro mea requieſcet in ſpe*. Item ibid. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*: unde voluit ſabbathum obſervari, ut ſicut ſacrificia ſignificabant mortem Chriſti, ita quies ſabbathi requiem carnis ejus. Sed nos

2. Ad inſtructionem fidei.

ista sacrificia non servamus, quia adveniente re, & veritate, debet cessare figura, sicut adveniente sole, cessat umbra. Servamus tamen in veneratione Virginis gloriosae, in qua remansit tota fides tali die in morte Christi. Tertio datum fuit ad roborandum, sive figurandum veritatem promissionis. Promittitur enim nobis quies: Isa. 14. *Erit in die illa, cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo, & a concussione tua, & a servitute dura, qua ante servisti*. Item Isa. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciae, & requie opulenta*. Et nota, quod expectamus requiem de tribus: de labore praesentis vitae, de tentationum concussione, & de diaboli servitute. Hanc Christus repromisit venientibus ad se, dicens Matt. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve*. Invenimus autem, quod Dominus operatus est sex diebus, & in septimo quievit, quia primo oportet facere opera perfecta: Eccles. 51. *Modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem*. Plus enim incomparabiliter excedit tempus aeternitatis totum tempus praesens, quam mille anni diem unum. Quarto datum fuit hoc praeceptum ad inflammationem amoris: Sapien. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam*, & ideo homo semper ad terrena inferius tendit, nisi conetur erigere se ab eis, & ideo oportet, habere certum tempus ad hoc: unde ali-

3. Ad veritatem promissionis.

4. Ad excitandum amorem.

aliqui toto tempore hoc faciunt: Psal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*. Apost. 1. Thessal. 5. *Sine intermissione orate*, & hi continue sabbathum habent. Aliqui hoc faciunt in aliqua parte temporis: Psal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*. Alii ne omnino alienarentur a Deo, oportuit quod haberent aliquem diem determinatum, ne nimis tepescat in eis amor Dei: Isa. 58. *Si vocaveris sabbathum delicatum, tunc delectaberis super Domino*. Job. 22. *Tunc super omnipotentem deliciis affluens, & elevabis ad Deum faciem tuam*. Non enim ad ludendum ordinatur talis dies, sed ad laudandum, & orandum Dominum Deum. Unde Aug. dicit, quod *minus malum est tali die arare, quam ludere*. Quinto datum fuit ad opera pietatis respectu subjectorum. Aliqui enim crudeles sibi, & suis, non cessant continue operari propter lucrum, & hoc habent Judaei maxime, quia avarissimi sunt: Deuteron. 5. *Observa diem sabbathi, ut requiescant servus tuus, & ancilla tua sicut & tu*: & post: *Non facies in eo quicquam operis tu, & filius, & filia, servus, ancilla, bos, & asinus, & omne jumentum tuum, & requiescat servus, & ancilla tua, sicut & tu*. Propter praedicta ergo praedictum mandatum datum fuit.

5. Ad opera pietatis.

Memento, ut diem sabbathi sanctifices. Dictum est, quia sicut Judaei celebrant sabbatum, sic nos Christiani Dominicam, & alia principalia festa. Videamus ergo quomodo ista servare debemus. Et sciendum, quod non dicit, custodi sabbathum, sed *Memento* &c. Sanctum

Sanctum duobus modis. autem accipitur duobus modis, aliquando enim est sanctum idem, quod purum: Apost. 1. Cor. 6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis* &c. Aliquando dicitur sanctum res consecrata ad cultum Dei, ut locus, tempus, vestes, & vasa sacra. Istis ergo duobus modis debemus festa celebrare, quia & pure, & mancipando se divino servitio. In isto ergo praecepto duo considerantur. Primo quidem, in festo quid cavendum sit, secundo, quid faciendum. Debemus autem cavere tria. Primo corporalem operam: Hierem. 17. *Sanctificabis sabbathum, ut non facias in eo opus servile*: unde & in lege dicitur, Leviti. 23. *Omne opus servile non facietis in eo*. Opus autem servile est opus corporale: nam opus liberum est animae, sicut intelligere, & hujusmodi, ad quod opus homo constringi non potest. Sed sciendum, quod opera corporalia possunt fieri in sabbatho propter quatuor. Primo propter necessitatem: unde Dominus excusavit discipulos evellentes spicas in sabbatho, ut dicitur Matth. 12. Secundo propter Ecclesiae utilitatem: unde dicitur in Evangelio Matth. 12. quod *sacerdotes faciebant omnia, quae erant necessaria in templo in die sabbathi*. Tertio propter proximi utilitatem; unde Dominus curavit in die sabbathi habentem manum aridam, & confutavit Judaeos reprehendentes eum, ponens exemplum de ove, Matth. 12. Quarto propter superioris authoritatem; unde Dominus praecepit Judaeis, ut circumciderent in die sabbathi, ut dicit Joan. 7. Secundo, debemus cavere culpam: Hierem. 17. *Custodite animas vestras: & nolite portare pondera*

Cavendum in festo.

1. A corporali opere.

Excusat necessitas.

Utilitas Ecclesiae.

Utilitas proximi.

Auctoritas superioris.

2. Cavendum a culpa.

dera in die sabbathi. Onus autem animae, vel pondus malum est peccatum: Psalm. 37. *Sicut onus grave gravatae sunt super me*. Peccatum autem opus servile est, quia ut dicitur Joan. 8. *Qui facit peccatum, servus est peccati*. Unde cum dicitur, *Omne opus servile non facietis in eo*, potest intelligi de peccato: & ideo contra praeceptum hoc facit quis, quando in sabbatho peccat, quia operando, & peccando Deus offenditur: Isa. 1. *Sabbathum, & festivitates alias non feram*; & quare? quia *iniqui sunt coetus vestri*. *Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea, facta sunt mihi molesta*. Tertio debemus cavere negligentiam: Eccl. 33. *multam malitiam docuit otiositas*. Hieron. ad Rusticum: *Semper aliquid boni operis facito, ut te diabolus inveniat occupatum*: & ideo non est bonum custodire nisi principalia festa, si in aliis debeat homo esse otiosus: Psal. 98. *Honor regis judicium diligit*, scilicet discretionem. Unde 1. Machab. 2. dicitur quod Judaei quidam occultati erant, & inimici irruerunt super eos, qui credentes, quod se non possent in sabbatho defendere, victi & occisi sunt: ita accidit multis, qui otiosi sunt in festis. Thren. 1. *Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbatha ejus*. Sed tales debent facere sicut illi Judaei fecerunt: unde 1. Machab. 2. dicitur, *Quicumque venerit ad nos in bello in die sabbathorum, pugnemus*.

3. Cavendum ab otiositate.

Memento ut diem sabbathi sanctifices. Sicut dictum est, homo diem festum debet sanctificare, & dictum est, quod sanctum dicitur duobus modis, quia & quod mundum est, &

quod Deo consecratum est. Item dictum est, a quibus tali die abstinere debemus. Nunc dicendum est, in quibus occupari debemus, & sunt tria. Primo, in faciendis sacrificiis: unde Num. 28. dicitur, quod Deus praecepit, quod quolibet die unus agnus mane, & alius vespere debeat offerri; sed in sabbatho debent duplicari, & significat, quod in sabbatho debemus offerre Deo sacrificium, & de omnibus, quae habemus. 1. Paralip. 29. *Tua sunt omnia, & quae de manibus tuis accepimus, dedimus tibi*. Unde primo debemus ultro offerre animam nostram, dolendo de peccatis: Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*; & orando pro beneficiis: Psal. 140. *Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*. Factus est enim dies festus ad habendum spiritualem laetitiam, quam facit oratio; unde & tali die multiplicari debent preces. Secundo, corpus nostrum affligere, & hoc jejunando: Ro. 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exibeatis membra vestra hostiam, viventem Deo sanctam*, laudando. Psal. 49. *Sacrificium laudis honorificat me*: unde in tali die cantus multiplicatur. Tertio, res tuas sacrificare, & hoc dando eleemosynas: Heb. 13. *Beneficentiae autem, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus*; & hoc in duplo magis, quam in aliis diebus, quia tunc est communis laetitia: Esdr. 8. *Mittite partes his, qui non paraverunt sibi, quia sanctus dies Domini est*. Secundo in verborum Dei studio, sicut & Judaei faciunt hodie: Act. 13. *Voces Prophetarum quae per omne sabbathum legun-*

Festa celebranda 1. sacrificiis.

Dolore peccatorum

Corporis afflictationibus.

Eleemosynis.

2. Vacando verbo divino.

guntur : unde & Christiani, quorum justitia debet esse perfectior, debent tali die convenire ad praedicationes, & ad officium Ecclesiae: Joan. 8. *Qui est ex Deo, verba Dei audit*. Item, loqui utilia: Apost. Eph. 4. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat*; *sed si quis bonus, ad aedificationem*. Ista enim duo utilia sunt animae peccatoris, quia immutant cor ejus in melius. Jerem. 23. *Verba mea sunt quasi ignis ardens dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram*. Contrarium autem accidit etiam imperfectis non loquentibus utilia, vel audientibus: Apostolus I. Co. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava. Evigilate justi, & nolite peccare*: & Psal. 118. *In corde meo abscondi eloquia tua*. Eloquium enim Dei instruit ignorantem: Psal. ibidem: *Lucerna pedibus meis* &c. Et inflammat tepescentem: Psal. 104. *Eloquium Domini inflammavit eum*. Tertio in Divinorum exercitiis. Hoc autem perfectorum est: Psal. 45. *Vacate & videte, quoniam suavis est Dominus*, & hoc propter quietem animae; sicut enim corpus fatigatum quietem desiderat, ita & anima. Locus autem animae Deus: Psal. 30. *Esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugii*. Heb. 4. *Itaque relinquitur sabbathismus populo Dei* &c. Sap. 8. *Intrans in domum meam, quiescam cum illa*. Sed antequam ad hanc quietem perveniat anima, oportet tres quietes praecedere. Prima, ab inquietitudine peccati. Isai. 57. *Cor autem impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest*. Secunda, a passionibus carnis, quia *caro concupiscit adversus spiritum*,

3. Piis exercitiis insistendo.

Quietes animae tres.

tum, spiritus autem adversus carnem, ut dicitur Gal. 5. Tertia, ab occupationibus mundi: Lucae 10. *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima*: & tunc potest haec anima libere quiescere in Deo: Isa. 58. *Si vocaveris sabbathum delicatum, tunc delectaberis super Domino*. Propterea sancti omnia dimiserunt, quia haec est *pretiosa margarita, quam qui invenit homo abscondit, & prae gaudio illius vadit, & vendit universa quae habet, & emit eam*, ut dicitur Matth. 13. Haec enim requies vita aeterna, & delectatio aeterna est: Psal. 131. *Haec requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo quoniam elegi eam*, ad quam nos perducat &c.

De quarto Decalogi praecepto.

Honora patrem tuum &c. Perfectio hominis consistit in dilectione Dei, & proximi, & ad dilectionem Dei pertinent tria praecepta, quae scripta fuerunt in prima tabula: ad dilectionem vero proximi septem, quae sunt in secunda tabula. Sed sicut dicitur 1. Joan. 3. *Non debemus diligere verbo, neque lingua, sed opere, & veritate*. Homo enim sic diligens debet duo facere, scilicet fugere malum, & facere bonum: unde quaedam sunt in praeceptis inducentia ad bonum, alia autem sunt prohibentia facere malum. Et sciendum, quod cavere a malo faciendo est in potentia nostra, sed facere quodlibet bonum non possumus, & ideo dicit beatus Augustinus, quod nos omnes debemus dilige-

Praecepta 1. & 2. tabulae.

gere, sed non omnibus tenemur benefacere; sed inter omnes debemus benefacere conjunctis nobis: quia *si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, insidelis est* 1. ad Tim. 5. Inter omnes autem propinquos sunt nobis propinquiores pater, & mater; & ideo dicit Ambrosius: *Primo debemus diligere Deum, secundo patrem & matrem*: & hoc est, quod dicit, *honora patrem tuum, & matrem tuam*. Et hujusmodi rationem reddit Philosophus, qui dicit, quod ex magno beneficio recepto ab eis non possumus eis respondere ex aequali: & ideo bene potest pater offensus expellere filium, sed non e converso. Dant autem parentes filiis tria. Primo stabilimentum quo ad esse: Eccles. 7. *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuae non obliviscaris. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses.* Secundo nutrimentum, sive fulcimentum quo ad necessaria vitae. Nudus enim intrat filius in hunc mundum, ut dicitur Job. 1.; sed a parentibus sustentatur. Tertio documentum Hebraeor. 12. *Patres quidem carnis nostrae eruditores habuimus* &c. Eccles. 7. *Filii tibi sunt, erudi illos*: & debent parentes dare duo documenta filiis, & cito, quia ut dicitur Proverb. 22. *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*. Et Threnor. 3. *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua*; & sunt illa, quae docuit Thobias filium suum, Thob. 4. scilicet timorem Domini, & abstinere ab omni peccato, & hoc est contra illos, qui delectantur in malitiis filiorum, sed sicut dicitur Sapien. 4. *Ex iniquis omnes filii, qui nascuntur*

Propinquiores nobis Parentes.

Dant 1. esse.

2. Nutrimentum.

3. Documentum.

tur testes sunt nequitiae adversus parentes: unde Deus punit peccatum parentum in filios, ut dicitur Exod. 20. Igitur filii a parentibus habent esse, nutrimentum, & disciplinam. Et quia esse habemus ab eis, debemus magis revereri quam dominos, a quibus solum res, praeterquam Deum, a quo habemus animam: Eccles. 3. *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi homini serviet his, qui se genuerunt, in opere, & sermone, & omni patientia. Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut superveniat tibi benedictio a Deo.* Et in hoc etiam honoras teipsum; quia sicut dicitur Eccles. 3. *Gloria hominis ex honore patris sui, & dedecus filii pater sine honore.* Item, quia dant nobis nutrimentum in pueritia, & nos debemus eis dare in senectute. Eccles. 3. *Fili, suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius, & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in tua virtute. Quam malae famae est, qui derelinquit patrem, & est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.* Ad confusionem illorum, qui contra faciunt, ponit Cassiodorus in epistolis lib. 2. quod ciconiae cum parentes earum pennas senio laxaverunt, nec ad proprios cibos idonei possunt inveniri, plumis suis genitorum membra foventes, escis corpora laxa reficiunt, & pia vicissitudine juvenes reddunt, quod a parentibus parvuli susceperunt. Item tertio, qui docuerunt nos, debemus eis obedire: Colossen. 3. *Filii obedite parentibus vestris*, nisi scilicet in his, quae sunt contra Deum: Hieronymus ad Heliodorum: *Solum pietatis genus est in hac re esse cru-*

Filiorum in Parentes officia.

crudelem. Lucae 14. *Si quis non odit patrem suum, & matrem, non potest meus esse discipulus*. Deus enim verior pater est: Deuteron. 32. *Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit, & fecit, & creavit te?*

Honora patrem tuum &c. Inter omnia praecepta huic tantum adjungitur, *ut sis longaevus super terram*. Et ratio hujus est, ne credatur, non deberi praemium honorantibus parentes, quia est naturale. Sed sciendum, quod honorantibus parentes quinque desiderabilia promittuntur. Et primum est gratia in praesenti, gloria in futuro, quae maxime desiderantur. Ecclesiast. 3. *Honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio a Deo* &c. Contrarium debetur maledicentibus, & etiam in lege maledicuntur a Deo, ut dicitur Deuter. 27. Et Lucae 16. dicitur: *Qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est*. Sed vita naturalis quasi nihil est in comparatione ad vitam gratiae. Si ergo non recognoscis beneficium vitae naturalis, quam habes a parentibus, indignus es vita gratiae, quae major est, & per consequens vita gloriae, quae maxima est. Secundum desiderabile est vita. Unde *ut sis longaevus super terram* dicitur. Eccles. 3. *Qui honorat patrem suum vita vivet longiore*. Et nota, quod vita longa est, quando est plena, & quae non mensuratur tempore, sed actione, secundum Philosophum. Tunc autem plena est vita, quando est virtuosa: et ideo virtuosus, & sanctus diu vivit, quamvis cito moriatur corporaliter. Ideo dicitur Sap. 4. *Consumatus in brevi, explevit tempora multa: placita*

Honorantibus parentes promittitur 1. gratia.

2. Vita longa.

ta enim erat Deo anima illius. Optime autem mercatur ille, qui tantum facit una die, quantum alius in uno anno. Et nota, quod aliquando accidit, quod longior vita causa est mortis corporalis, & spiritualis, sicut accidit Judae. Praemium ergo est vita corporalis: sed contrarium, scilicet mortem acquirunt illi, qui injuriant parentibus. Habemus enim ab eis vitam, sicut milites a rege feudum: & ideo sicut dignum est, quod illi amittant pro proditione feudum, ita isti propter injuriam illatam parentibus vitam. Prov. 30. *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suae, suffodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilae.* Per filios aquilae intelliguntur reges, et principes, per corvos officiales: & si aliquando non puniuntur corporaliter, mortem tamen spiritualem effugere non possunt. Propterea pater non debet potestatem multam dare filiis: Eccles. 33. *Dum adhuc superes & aspiras, non immutet te omnis caro*. Item cap. 33. *Filio & mulieri, fratri, & amico non des potestatem super te in vita tua, & ne dederis illis possessionem in vita tua, ne forte poeniteat te*. Tertium est, habere filios sibi gratos, & acceptos. Naturaliter enim pater thesaurizat filiis, sed non e converso: Eccles. 3. *Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis*. Matth. 7. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*. Quartum est, habere famam laudabilem: Eccles. 3. *Gloria hominis ex honore patris sui*; & iterum: *Quam malae famae est, qui derelinquit patrem*. Quintum est, habere divitias. Eccles. 3. *Benedictio patris firmat domos filiorum, ma-*

3. Proles grata, & accepta.

4. Fama laudabilis.

5. Divitiae.

maledictio autem matris eradicat fundamenta.

Honora patrem &c. Notandum, quod non solum dicitur aliquis pater ratione carnalis generationis, sed quibusdam aliis rationibus aliquid dicuntur patres, & cuilibet eorum debetur aliqua reverentia. Dicuntur enim patres Apostoli, & alii Sancti per doctrinam, & exemplum fidei. Apostolus 1. Corinth. 4. *Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* Et ideo dicitur Eccles. 44. *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua*; laudemus autem non ore, sed imitatione: & hoc fit, si non invenitur in nobis contrarium ejus, quod laudamus: Heb. 13. *Mementote Praepositorum vestrorum, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Dicuntur etiam Praelati patres, & isti venerandi sunt; sunt enim Dei ministri: Luc. 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit*; & ideo debemus eos honorare obediendo: Hebr. 13. *Obedite Praepositis vestris, & subjacete eis*; Et decimas praebendo: Prov. 3. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum da pauperibus.* Item, Reges & Principes: 4. Regum 5. *Pater, & si rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras.* Qui dicuntur patres, quia debent intendere bonum populi. Et istos honoramus per subjectionem: Ro. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et hoc non solum timore, sed amore: nec solum propter rationem, sed etiam propter conscientiam. Et ratio hujus est, quia secundum Apo-

Dicuntur Patres. 1. Apostoli, & Sancti.

2. Praelati.

3. Reges, & Principes.

Apostolum ibidem omnis potestas a Deo est: & ideo reddendum est debitum, quia *cui tributum, tributum* &c. Prov. 24. *Time Dominum, fili mi, & Regem*. Item, benefactores: Eccles. 4. *Esto pupillis misericors ut pater*. Est enim proprium patris: Eccles. 29. *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris*: ingratis enim accidit illud Sap. 16. *Ingrati spes tanquam hybernalis glacies tabescet*. Item aetate: Deut 32. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi*. Leviti. 19. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis*. Eccles. 32. *In medio magnatorum loqui non praesumas, & ubi sunt senes, non multum loquaris*. Ibidem: *Audi tacens, & pro reverentia accedet tibi bona gratia*. Omnes igitur isti venerandi sunt: quia omnes portant quodammodo similitudinem patris, qui in caelis est, & de istis dicitur: *Qui vos spernit* &c.

4. Benefactores.

5. Senes.

De quinto Decalogi praecepto.

NOn occides. In lege divina per quam ordinamur ad dilectionem Dei, & proximi, praecipitur non solum facere bonum, sed etiam declinare a malo. Inter alia autem majus malum, quod possit fieri proximo, est occidere eum, & hoc prohibetur, cum dicitur, *Non occides*. Circa quod praeceptum tripliciter est erratum. Quidam enim dixerunt, quod non licet occidere etiam bruta animalia. Sed hoc falsum est, quia non est peccatum uti illis, quae sunt subdita hominis potestati. Est etiam naturalis ordo, quod plantae sint in nutrimentum animalium, & quaedam

Error de occisione brutorum.

dam animalia in nutrimentum aliorum, & omnia in nutrimentum hominum. Genes. 9. *Quasi olera virentia tradidi vobis omnia*. Philosophus etiam dicit in politica, quia venatio est sicut justum bellum. Apost. 1. Corin. 10. *Omne quod in macello venit, manducate* &c. ergo non occides homines. Quidam dixerunt hic prohibitum esse homicidium hominis omnino: unde homicidas dicunt esse judices saeculares, qui condemnant secundum leges aliquos, contra quos dicit Augustinus, quod Deus per hoc praeceptum non abstulit sibi potestatem occidendi. Unde Deut. 32. *Ego occidam, & vivere faciam*. Est ergo licitum illis, qui mandato Dei occidunt, quia tunc Deus facit. Omnis enim lex mandatum Dei est. Proverbiorum 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt*. Et Apostolus Romanorum 13. *Si malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister est*. Moysi quoque dicitur Exod. 22. *Maleficos non patieris vivere*. Id enim, quod licitum est Deo, licitum est & ministris ejus per mandatum ipsius. Constat autem, quod Deus non peccat, cum sit auctor legum, infligendo mortem propter peccatum: Rom. 6. *Stipendia peccati mors*. Ergo nec minister ejus. Est ergo sensus; Non occides propria authoritate. Alii vero dixerunt, quod per hoc, quod dicitur, *non occides*, prohibetur, non occidere alium: unde dicebant, quod licitum erat occidere seipsum. Sic enim invenitur de Samsone, Judic. 16. & de Catone, & de quibusdam virginibus, quae se in flammas injecerunt, sicut recitat Augustinus in 1. de civit. Dei.

Error de occisione hominis.

Error de occisione sui ipsius.

Dei. Sed ad hoc respondet Augustinus ibidem dicens: *Qui se occidit, hominem utique occidit*; si ergo hominem non licet occidere, nisi authoritate Dei: ergo nec seipsum nisi vel authoritate Dei, vel instinctu Spiritus sancti, sicut dicitur de Samsone, ergo non occides. Sciendum est etiam, quod hominem occidere contingit multipliciter. Primo manu: Isai. 1. *Manus vestrae sanguine plenae sunt*: quod quidem est non solum contra caritatem, qua praecipitur, *ut diligas proximum sicut teipsum*, 1. Joan. 3. *Omnis homicida non habet vitam aeternam in se manentem*: verum etiam contra naturam, quia ut dicitur Eccles. 13. *Omne animal diligit sibi simile*. Unde Exod. 21. *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur*. Et hic quidem crudelior est lupo, de quo dicitur in quarto animalium, quod si lupo detur caro lupi non comedit. Item ore; & hoc fit dando consilium alicui contra aliquem provocando, accusando, & detrahendo: Psal. 56. *Filii hominum dentes eorum arma, & sagittae, & lingua eorum gladius acutus*. Tertio, adjutorio: Proverb. 1. *Fili mi, ne ambules cum eis: pedes enim illorum ad malum currunt, & festinant, ut effundant sanguinem*. Item consensu: Rom. 1. *Digni sunt morte non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Consentis autem quodammodo, quando potes impedire: Prov. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem*: & iterum, si vires suppetunt, sed dimittis negligentia, vel avaritia. Amb. *Pasce fame morientem: si non paveris, occidisti*. Et sciendum, quod aliqui occidunt solum

Occisio hominis. 1. Manu. 2. Ore. 3. Auxilio. 4. Consensu.

lum corpus, de quo dictum est. Alii animam auferendo vitam gratiae, trahendo scilicet ad peccatum mortale: Joan. 8. *Ille homicida erat ab initio*, in quantum scilicet traxit ad peccatum. Alii autem utrumque, & hoc dupliciter. Primo in destructione praegnantium; occiduntur enim pueri in corpore & in anima: secundo interficiendo seipsum.

Animae occisio.

Corporis, & animae occisio.

Non occides &c. Christus dat in Evangelio Matth. 5. quandam doctrinam, quae est, quod justitia nostra debet esse major justitia legis: unde docet, perfectius servari mandata legis a christianis, quam Judaei servaverunt: & ratio hujus est, quia majori labore acquiritur major merces: 2. Corin. 9. *Qui parce seminat, parce & metet*. In lege enim promittebantur temporalia, & terrena: Isa. 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terrae comedetis*. Sed in lege nostra promittuntur caelestia & aeterna: ergo justitia, quae est observantia mandatorum, debet abundare, cum major expectetur merces. Inter alia autem praecepta facit mentionem de isto, dicens Matth. 5. *Audistis, quod dictum est antiquis, Non occides. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*, id est, poena, quam lex adjudicavit. Exod. 21, ubi dicitur: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo avelles eum, ut moriatur*. Debet autem quilibet quinque modis ab ira cavere. Primo, ne cito provocetur: Jacob. 1. *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram* &c. Et ratio hujus

Christianorum justitia.

Irasci vetitum.

Ab ira cavendi modus 1. tarditas.

jus est, quia ira peccatum est, & punitur a Deo. Sed nunquid omnis ira est contraria virtuti? Circa hoc duplex est opinio. Stoici enim dixerunt, quod nulla passio cadit in sapientem, immo volebant, quod vera virtus esset in quiete mentis. Peripatetici autem dixerunt, quod ira cadit in sapientem, sed moderata, & est opinio verior. Et patet primo authoritate, quia in Evangeliis invenimus istas passiones Christo attributas, in quo fuit fontalis plenitudo sapientiae. Secundo patet ratione: nam si omnes passiones virtuti contrarientur, essent aliquae potentiae animae, quae essent frustra, immo quae essent homini in nocumentum, quia non haberent aliquos actus convenientes: & sic irascibilis & concupiscibilis frustra datae essent homini. Et ideo dicendum est, quod aliquando ira est vis, aliquando non, accipitur enim ira tripliciter. Primo, prout est in solo judicio rationis absque commotione animi, & ista non dicitur proprie ira, sed judicium. Sic enim Dominus puniens malos, iratus dicitur Mich. 7. *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei*. Secundo accipitur prout est passio, & ista est in appetitu sensitivo, & est duplex: quia aliquando ordinatur ratione, & continetur sub terminis rationis, quando scilicet quis irascitur quando debet, & quantum debet, & pro quo debet, & hujusmodi. Et tunc est actus virtutis, & dicitur ira per zelum. Unde Philosophus dicit, quod *mansuetudo non est nullo modo irasci*. Ista ergo ira non est peccatum. Est & tertia, quae refugit judicium rationis, & ista semper est peccatum, sed aliquan-

Ira in sapientem cadens.

Irae triplex status.

quando veniale, aliquando est mortale, & hoc distinguitur ex eo, quod ad iram incitat, quod aliquando veniale, aliquando est mortale. Mortale duplex, vel ex genere, vel ex circumstantiis. Homicidium autem videtur esse actus peccati mortalis ex suo genere, quia directe ordinatur contra praeceptum divinum: & ideo consensus in homicidium est peccatum mortale ex genere; quia si actus est mortalis, & consensus in actum erit mortalis. Aliquando autem peccatum mortale est ex genere, sed tamen motus non est peccatum mortale, quia est sine consensu: sicut si ascendit motus concupiscentiae ad fornicandum, & non consentitur, non est peccatum mortale. Similiter ira. Est enim motus ad injuriam illatam vindicandam: haec enim est proprie ira. Si ergo iste motus est taliter in passione, ita quod ratio deducatur, tunc est peccatum mortale. Si autem usque ad consensum non pervertitur ratio, tunc est peccatum veniale. Si autem motus non sit ex genere peccatum mortale, tunc & si consensus adhibeatur, non est peccatum mortale. Quod ergo dicit, *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*, intelligendum est de motu tendente in nocumentum, qui motus est peccatum mortale, ita quod sit ibi consensus: Eccl. ult. *Cuncta, quae fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum*. Secunda ratio, quare debemus non provocari cito ad iram est, quia omnis homo diligit libertatem, & odit servitutem. Non est autem iracundus dominus sui ipsius: Prov. 27. *Impetum concitati spiritus ferre quis poterit?*

Mortale duplex.

Ira mortalis.

Ira venialis.

Ibidem 4. *Grave saxum, & onerosa arena, sed ira stulti utroque gravior*. Secundo cavere debet, ne diu in ira permaneat: Psal.4. *Irascimini, & nolite peccare*. Ephes. 4. *Sol non occidat super iracundiam vestram*. Et rationem hujus assignat in Evangelio Dominus Matth. 5. *Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo, ne forte tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*. Tertio, cavere debet, ne ira procedat primo in corde, quod fit, quando pervenit ad odium. Est enim differentia inter iram, & odium, quia ira subita est, odium vero diuturnum. Et ideo est mortale peccatum: prim. Joan. 13. *Qui odit fratrem suum, homicida est*: & ratio hujus est, quia & se interficit spoliando se caritate, & alium. Augustinus in reg. *Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis, ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam*. Prov. 15. *Vir iracundus provocat rixas*. Gen. 49. *Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura*. Quarto, cavere debet ne procedat in verbo: Prov.12. *Fatuus statim indicat iram suam*: & potest indicare duobus modis, injuriando scilicet, & superbe loquendo. Quantum ad primum dicit Dominus Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennae ignis*. Quantum ad secundum dicitur ibidem, *Qui autem dixerit, racha, reus erit concilio*. Prov. 15. *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem*. Quinto, cavere debet, ne procedat in opere. In omni enim

2. Modus: ne ira permaneat.

3. Modus: ne in odium cadat.

4. Modus: ne procedat in verbo.

5. Modus: ne operetur.

enim opere nostro duo debemus observare, scilicet facere justitiam, & misericordiam; & ira utrumque impedit; *Ira enim viri justitiam Dei non operatur*, ut dicitur Jacob. 1. Quamvis enim velit, tamen non potest. Unde Philosophus quidam dixit cuidam, qui eum offenderat: *Punirem te, nisi essem iratus*. Proverb. 27. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor*. Genes. 49. *In furore suo occiderunt virum*: & propter hoc Christus non solum docuit nos cavere ab homicidio, sed ab ira. Bonus enim medicus non tantum tollit malum, quod apparet, sed etiam radicem removet infirmitatis, ne scilicet recidivet. Et ideo vult nos abstinere a principiis peccatorum, & ita ab ira, quae est principium homicidii.

De sexto Decalogi praecepto.

NOn *moechaberis* &c. Post prohibitionem homicidii prohibetur adulterium, & congrue, quia vir & uxor sunt quasi unum corpus: *Erunt*, inquit Dominus Gen. 2. *duo in carne una*. Et ideo post injuriam, quae infertur personae, nulla major est quam illa, quae infertur conjunctae. Prohibetur autem adulterium uxori, & viro. Sed prius dicendum est de uxoris adulterio, quia majus peccatum videtur committere. Committit autem tria peccata gravia uxor moechando, quae insinuantur Eccl. 23. *Mulier omnis relinquens virum suum primo in lege altissimi incredibilis fuit, & secundo virum suum dereliquit, tertio adulterio fornicata est* &c. Primo

Uxoris adulterium quam grave peccatum.

1. Ob incredulitatem. mo ergo peccat per incredulitatem, quia legi incredibilis fit. Dominus enim prohibuit adulterium. Item, facit contra Dei ordinationem: Matth. 19. *Quos Deus conjunxit, homo non separet*. Item, contra Ecclesiae statuta, vel sacramentum. Fit enim matrimonium in facie Ecclesiae, & ideo adducitur Deus quasi in testem, & fidejussorem de servanda fide: Malac. 2. *Dominus testificatus est inter te, & uxorem pubertatis tuae, quam tu despexisti*; ergo peccatur contra legem, contra statutum, & contra sacramentum Dei.

2. Ob proditionem. Secundo, peccat per proditionem, quia dereliquit virum: Apost. 1. Corinth. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir*: ideo etiam nec castitatem servare potest sine consensu viri: & ideo si moechatur, proditionem committit, dum seipsam alteri tradit, sicut servus dans se alteri Domino: Prov. 2. *Reliquit ducem pubertatis suae, & pacti Dei sui oblita est*.

3. Ob furti commissionem. Tertio, per furti commissionem, quia ex alieno viro constituit sibi filios, & hoc maximum furtum est, quia totam haereditatem dat alienis filiis. Et nota, quod ista deberet studere, quod filii intrarent Religionem, vel aliquid aliud facerent, ita quod in bonis viri non succederent. Est ergo mulier moechans, sacrilega, proditrix, furatrix.

Viri adulterium non minus grave: 1. Ex aequalitate. Viri vero peccant non minus, quam uxores, licet sibi quandoque blandiantur, quod patet ex tribus. Primo, ex aequalitate, quam habet. *Nam vir sui corporis potestatem, non habet, sed mulier*, ut dicitur 1. Corin. 7. Et ideo neuter potest aliquid facere sine alterius consensu quantum ad matrimonium.

Et ad

Et ad hoc significandum Deus non de pede, vel capite, sed de costa mulierem formavit. Et ideo matrimonium nunquam statum perfectum habuit, nisi in lege Christi: quia Judaeus unus plures habebat uxores, sed uxor non plures viros, & ideo non erat aequalitas. Secundo, ex viri fortitudine, quia propria passio mulierum est concupiscentia: 1. Pet. 3. *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem*. Et ideo si petis ab uxore, quod tu non vis servare, frangis fidem. Tertio, ex ejus authoritate, quia vir est caput mulieris: unde mulieres non debent loqui in Ecclesia, *sed domi viros interrogare*, ut dicitur 1. Corin. 14 *Est ergo vir doctor mulieris*, & ideo Deus praeceptum dedit viro. Magis autem peccat sacerdos, quam laicus, & episcopus, quam sacerdos, si non servant, quae debent, quia docere alios ad ipsos pertinet. A simili, si vir moechatur, frangit fidem non servando ea, quae debet. Sed tamen uxores attendant ad id, quod Christus dicit Matth. 23. *Omnia, quaecumque dixerint vobis, servate & facite, secundum opera vero eorum nolite facere*.

2. Ex ejus fortitudine.

3. Ex auctoritate supra uxorem.

Non moechaberis. Sicut dictum est, Deus tam viris, quam mulieribus prohibuit adulterium. Sed sciendum, quod licet aliqui credant adulterium esse peccatum, tamen non credunt, simplicem fornicationem esse peccatum mortale, contra quos Apost. Heb. 13. *Fornicatores, & adulteros judicabit Deus*. 1. Cor. 6. *Nolite errare, neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores*

Fornicatio simplex, mortale peccatum.

tores regnum Dei possidebunt: a regno autem Dei non excluditur aliquis, nisi per peccatum mortale, ergo est peccatum mortale. Sed forte dices. Non est ratio, quare sit peccatum mortale, cum non detur corpus uxoris, sicut in adulterio. Dico, quia si non detur corpus uxoris, datur tamen corpus Christi, quod sibi datum fuit, & consecratum in baptismo. Si ergo nullus debet facere injuriam uxori, multo magis nec Christo: 1. Cor. 6. *Nescitis, quoniam corpora vestra sunt Christi. Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.* Est ergo haeresis dicere, fornicationem simplicem non esse peccatum mortale. Et ideo sciendum, quia in isto praecepto, *Non moechaberis*, prohibetur non solum adulterium, sed omnis carnalis corruptio, praeter eam, quae est matrimonii. Ulterius autem sciendum, quia alii dicunt commixtionem viri, & uxoris non esse sine peccato, quod est haereticum: Apost. Heb. 13. *Sit honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*. Talis autem conjunctio aliquando non solum sine peccato est, sed etiam est ad meritum vitae aeternae habentibus caritatem: aliquando est cum peccato veniali, aliquando cum mortali. Quando enim est cum intentione procreandae prolis, tunc est opus virtutis: quando autem cum intentione reddendi debitum, tunc est etiam opus justitiae: quando autem est causa exercendae libidinis, tunc est cum veniali, quando scilicet non excedit limites matrimonii. Quando autem excedit, ut scilicet si posset, extenderet se ad aliam, tunc est mortale. Sciendum

Matrimonii usus ad meritum, vel culpam.

dum autem, quod adulterium, & fornicatio prohibentur propter multa. Primo enim perimit animam Proverb. 6. *Qui adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam*. Et dicit, *propter cordis inopiam*, quod est quando caro dominatur spiritui. Secundo, privat vita: talis enim secundum legem debet mori, ut dicitur Levit. 20. & Deut. 22. Et quod aliquando non puniatur corporaliter, est in malum suum, quia poena corporalis, quae cum patientia toleratur, est in remissionem peccatorum, punietur tamen postea in vita futura. Tertio, consumit substantiam suam, unde Lucae 15. de filio prodigo dicitur, quia *dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose*. Eccles. 9. *Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te, & haereditatem tuam*. Quarto, vilificat prolem: Sap. 3. *Filii adulterorum in consumatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur: & si quidem longae vitae erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore*. 1. Corinth. 7. *Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*. Nunquam etiam habent honorem in Ecclesia, si clerici, sine dedecore haberi possunt. Quinto, privat honore, & specialiter mulieres: Eccl. 9. *Omnis mulier, quae est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur*. Et de viro dicitur Proverb. 6. *Turpitudinem, & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur*. Gregorius etiam dicit, quod peccata carnalia sunt majoris infamiae, & minoris culpae, quam spiritualia. Et ratio hujus est, quia est commune cum bestiis: Psal. 48. *Homo cum in honore esset,*

Adulterium, & fornic. 1. Animam perdunt.

2. Privant vita.

3. Consumunt substantias.

4. Vilificant prolem.

5. Honorem auferunt.

non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.

De septimo Decalogi praecepto.

NOn furtum facies. Dominus prohibuit principaliter in lege sua injuriam proximi, & primo injuriam in propriam personam, ibi: *Non occides*: secundo in persona conjuncta, ibi: *Non moechaberis*: tertio in rebus, hic: *Non furtum facies*. Et sciendum, quia in hoc praecepto prohibetur omne male ablatum. Committitur enim furtum multis modis. Primo occulte accipiendo: Matth. 24. *Si sciret pater familias, qua hora fur venturus esset*: & hoc vituperabile est, quia est proditio quaedam: Eccl. 5. *Super furem enim est confusio*. Secundo, violenter auferendo: & haec est major injuria: Job. 24. *Vim fecerunt depraedantes pupillos*. Inter istos sunt mali principes, & reges: Sophon. 3. *Principes ejus in medio ejus quasi leones rugientes* &c. Isti enim faciunt contra intentionem Domini volentis justum regnum, & dicentis Proverb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt*. Et aliquando talia faciunt per modum furti. Aliquando per violentiam Isa. 1. *Principes tui infideles*, & cet. quae secuntur. Aliquando condendo leges, & statuendo ad lucrandum tantum: Isa. 10. *Vae qui condunt leges iniquas*. Et Aug. dicit, quod *omnis mala donatio furtum est*, unde dicit: *Quid regna nisi latrocinia?* Tertio mercedem non solvendo: Lev. 19. *Non morabitur opus mercenarii apud te usque ma-*

Furtum committitur. 1. Occulte accipiendo. 2. Violenter auferendo. 3. Mercedem non solvendo.

mane: & hoc intelligitur, quod homo cuilibet dare debet, quod suum est, sive principi, sive praelato, sive clerico &c. Rom. 13. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal*. Tenemur enim regibus custodientibus pacem nostram dare mercedem. Quarto, fraudem in mercationibus committendo, unde dicitur Deut. 25. *Non habebis in sacculo diversa pondera*. Et Levit. 19. *Nolite facere iniquum aliud in judicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera justa, & aequa sint pondera, justus modius, aequusque sextarius*. Prov. 20. 10. *Pondus, & pondus, mensura, & mensura, utrumque abominabile est apud Deum*. Et vers. 20. *Abominatio est apud Deum pondus, & pondus, statera dolosa non est bona*. Hoc est etiam contra caupones, qui miscent aquam vino. In hoc etiam prohibetur usura: Psal. 14. *Quis habitabit in tabernaculo tuo?* &c. Et post. *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram* &c. Hoc est etiam contra campsores, qui multas falsitates committunt, & contra venditores pannorum, & aliarum rerum. Sed dices forsitan. Quare non possum dare pecuniam, sicut equum, vel domum? Dicendum, quod in illis est peccatum, quae bis venduntur: in domo autem sunt duo, scilicet substantia, & usus. Aliud autem est, habere domum, & aliud uti domo: unde separatim possum usum vendere sine domus venditione, & ita in omnibus hujusmodi. Unde si aliqua sunt, quae consistant in ipso usu tantum, & usus eorum est distractio, non potest fieri id, quod de domo. Denariis enim utimur

4. Fraude in venditione.

mur distrahendo, & frumento consumendo, & ideo si usum vendis, bis vendis. Quinto dignitates emendo sive temporales, sive spirituales.

5. Emptione dignitatum.

De primo Job. 20. *Divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* Omnes enim tyranni, qui vi tenent regna, vel provinciam, vel feudum, fures sunt, & omnes tenentur ad restitutionem. De secundo, Joan. 10. *Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro*: & ideo simoniaci fures sunt.

Non furtum facies &c. Hoc praeceptum, sicut dictum est, prohibet omne male ablatum: & debent nos inducere multae rationes ad hoc cavendum. Prima, sumitur ex gravitate: assimilatur enim hoc peccatum homicidio: Eccles. 34. *Panis egentium vita pauperis est, qui defraudat illum, vir sanguinis est.* Et iterum ibidem. *Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* Secunda, ex periculi qualitate. Nullum enim peccatum est ita periculosum. Nullum enim peccatum remittitur sine satisfactione, & poenitentia. De omnibus cito poenitet quis, sicut patet de homicidio, cessante ira, ita & de fornicatione, cessante passione concupiscentiae, & sic de aliis. De hoc autem peccato licet aliquando poeniteat quis, non tamen de facili satisfacit, & maxime cum non solum teneatur id, quod accepit, sed etiam de damno, quod facit patrono ex hoc, & cum hoc etiam tenetur facere poenitentiam de peccato. Ideo dicitur Habac. 2. *Vae ei, qui multiplicat non sua. Usquequo & aggravat contra se*

Furto cavendum.

1. Ob ejus gravitatem.

2. Ob satisfactionis difficultatem.

se densum lutum? Densum lutum dicit, quod non de facili homo egreditur. Tertio, ex talium inutilitate: non enim sunt utilia, neque spiritualiter: Prov. 10. *Nil proderunt thesauri impietatis*. Divitiae enim spiritualiter prosunt ad eleemosynas, & sacrificia: Prov. 13. *Redemptio animae viri divitiae suae*. Sed de non propriis dicitur Isa. 61. *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocaustum*. Eccles. 34. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui*. Nec temporaliter, quia parum durant: Habac. 2. *Vae qui congregat avaritiam in malum domui suae, & liberari se putat de manu mali* &c. Prov. 28. *Qui coacervat divitias usuris, & foenore liberali in pauperes congregat eas*. Prov. 13. *Custoditur justo substantia peccatoris*. Quarto, ex nocumenti singularitate. Faciunt enim perdere alia. Sunt enim sicut ignis paleis aliis commixtus: Job. 15. *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt*. Scias insuper, quod talis non solum suam amittit animam, sed etiam filiorum, quia illi tenentur reddere.

3. Ob rerum talium inutilitatem.

4. Ob nocumenti singularitatem.

De octavo Decalogi praecepto.

N*On loquaris contra proximum tuum falsum testimonium*: Exod. 20. Prohibuit jam Dominus, quod nullus injurietur proximo suo opere: nunc autem praecipit, quod non injurietur verbo, & hoc est, *Non loquaris* &c. Hoc autem potest esse dupliciter, vel in judicio, vel in communi

Proximo injuriatur in judicio

1. Falso accusans.

muni locutione. In judicio autem tribus modis; secundum quod tres personae possunt facere contra hoc praeceptum. Prima persona, scilicet accusantis falso; Levit. 19. *Non eris criminator, nec susurro in populis*. Et nota, quod sicut non debes dicere falsum, ita non debes tacere verum: Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum*. Item, persona testificantis mentiendo: Proverb. 19. *Testis falsus non erit impunitus*: hoc enim praeceptum includit omnia praecedentia, quia aliquando talis est homicida, aliquando fur &c. Debent autem isti puniri poena, de qua dicitur Deut. 19. *Cum diligentissime perscrutantes invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent sicut fratri suo facere cogitavit. Non misereberis ejus, sed animam*, idest vitam, *pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges*. Et Prov. 25. *Jaculum, & gladius, & sagitta acuta homo, qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium*. Item, persona judicis male sententiando: Levit. 19. *Non injuste judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Juste judica proximo tuo*. In communi locutione peccant aliquando contra hoc praeceptum quinque genera hominum, scilicet detractores: Rom. 1. *Detractores Deo odibiles*. Dicit enim *Deo odibiles*, quia nihil est ita charum homini sicut fama: Eccles. 7. *Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa*. Proverb. 22. *Melius est nomen bonum, quam divitiae multae*. Detractores autem

2. Mendaciter testificans.

3. Male judicans.

Proximo injuriatur in locutione

1. Detrahens.

tem

tem auferunt hoc: Eccles. 10. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit*: unde si famam non restituant, salvari non possunt. Item, qui detractores libenter audit: Eccl. 28. *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis*. Non debet autem homo tales libenter audire, quinimmo debet detrahenti ostendere vultum tristem, & torvum: Proverb. 25. *Ventus aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem*. Item susurratores, qui scilicet recitant quicquid audiunt: Proverb. 6. *Sex sunt, quae odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus*, scilicet *eum, qui seminat inter fratres discordias*. Ecclesf. 28. *Susurro, & bilinguis maledictus. Multos enim turbavit pacem habentes*; & multa, quae sequuntur. Item, blanditores, idest, adulatores: Psal. 10. *Laudatur peccator in desideriis animae suae, & iniquus benedicitur*: Isa. 3. *Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt*. Psal. 140. *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*. Item, murmuratores: & hoc maxime abundat in subditis: 1. Corin. 10. *Neque murmuraveritis* &c. Sap. 1. *Custodite vos a murmuratione, quae nihil prodest*. Prov. 25. *Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet duritiem*.

2. Detractores libenter audiens.

3. Susurrans.

4. Adulans.

5. Murmurans.

Non loquaris &c. In hac prohibitione prohibetur omne mendacium: Ecclesf. 7. *Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona*, & hoc propter quatuor.

Pri-

Mendacium facit 1. Similes diabolo.

Primo, propter diaboli assimilationem. Talis enim efficitur diaboli filius. Nam homo ex verbis suis cognoscitur, de qua regione, & patria sit. *Nam & loquela tua manifestum te facit*, ut dicitur Matth. 26. Item, homines quidam sunt de genere diaboli, & dicuntur diaboli filii, qui scilicet loquuntur mendacium: *quia* diabolus *mendax est, & pater ejus*, ut dicitur Joan. 8. *Ipse* enim mentitus est: Gen. 3. *Nequaquam moriemini* &c. Quidam vero filii Dei, quia scilicet veritatem loquuntur, quia Deus veritas est.

2. Hominum societatem solvit.

Secundo, propter societatis dissolutionem. Homines enim simul vivunt, quod esse non posset, si simul verum non dicerent: Apostolus Ephes. 4. *Deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra*.

3. Famam tollit.

Tertio, propter famae amissionem: qui enim assuescit mendaciis, non creditur sibi, etiam si verum dicat: Eccl. 34. *Ab immundo quid mundabitur, & a mendace quid verum dicetur?*

4. Animam perdit.

Quarto, propter animae perditionem: occidit enim homo mendax animam suam: Sap. 1. *Os quod mentitur, occidit animam*. Psalm. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*. Unde patet quod est peccatum mortale: unde advertas, quia ipsorum mendaciorum quoddam est mortale, quoddam veniale.

Mendacium mortale, vel veniale.

Mortale autem est mentiri in his, quae sunt fidei, quod pertinet ad praelatos, magistros, & praedicatores. Et hoc est gravius omnibus aliis speciebus mendacii: 2. Pet. 2. *In vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis*. Et aliqui aliquando talia dicunt, ut videantur scire: Isa. 57. *Super quem*

quem lusistis, super quem dilatastis os, & ejecistis linguam. Numquid non vos filii scelesti, semen mendax? Item, aliquando mentiuntur aliqui in damnum proximi: Coloss. 3. *Nolite mentiri*: & haec duo mendacia mortalia sunt. Aliqui autem mentiuntur pro seipsis, & hoc multipliciter. Aliquando ex humilitate, & hoc in confessione quandoque, de quo ait August. *Sicut cavendum est, ne homo taceat quod fecit, ita ne dicat quod non fecit*. Job. 13. *Numquid Deus indiget vestro mendacio?* Ecclesiast. 19. *Est qui nequiter se humiliat, & interiora ejus plena sunt dolo: & est justus, qui se nimium submittit a multa humilitate*. Aliqui ex verecundiae levitate, cum scilicet quis credit verum dicere, & dicit falsum, & hoc advertens verecundatur retractare: Ecclesiast. 4. *Non contradicas verbo veritatis ullo modo, & de mendacio ineruditionis confundere*. Aliqui ex utilitate, quando volunt aliquid adipisci, vel ab aliquo evadere: Isa. 28. *Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus*. Proverb. 10. *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos*. Aliqui propter alterius commodum, quando scilicet volunt aliquem a morte, vel periculo, vel damno aliquo liberare. Et hoc cavendum est, sicut dicit Augustinus Ecclesiast. 4. *Non accipies faciem adversus faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium*. Aliqui propter ludum, & hoc cavendum, ne propter consuetudinem ducat ad mortale: Sapien. 4. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona*.

De nono Decalogi praecepto.

NOn concupisces rem proximi tui. Haec est differentia inter legem divinam, & mundanam, quia lex mundana judicat facta, & dicta, divina autem non haec tantum, sed etiam cogitata. Et ratio hujus est, quia illa est per homines, qui judicant ea, quae apparent exterius; sed divina est a Deo, qui exterius, interiusque conspicit: Psal. 72. *Deus cordis mei.* 1. Reg. 16. *Homo videt, quae foris sunt; Deus autem intuetur cor.* Dictum est autem de praeceptis, quae pertinent ad dicta, & facta, nunc ergo dicendum est de cogitatis. Nam apud Deum voluntas pro facto reputatur; unde, *Non concupisces*, idest, non solum non auferes facto, sed nec etiam rem proximi tui concupisces, & hoc propter multa. Primo propter concupiscentiae infinitatem: concupiscentia enim quid infinitum est. Quilibet autem sapiens debet intendere finem aliquem, immo nullus debet ire per viam infinitam: Ecclesiast. 5. *Avarus non implebitur pecunia.* Isa. 5. *Vae qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis.* Et quod concupiscentia nunquam satietur, ratio est, quia cor hominis factum est ad recipiendum Deum. Unde August. in 1. Confes. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Id ergo quod minus Deo est, ipsum implere non potest: Psalm. 102. *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Secundo, quia aufert quietem, quae multum est delectabilis. Sem-

Divina lex verat etiam cogitata.

Rei alienae desiderium. 1. Quia concupiscentiae finis non est.

2. Quia quietem aufert.

Semper enim cupidi solliciti sunt acquirere non habita, & habita custodire: Ecclesiast. 5. *Saturitas divitis non sinit eum dormire*. Matth. 6. *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*. Et ideo Christus Lucae 8. Divitias spinis assimilavit, ut dicit Gregorius. Tertio, quia causat in divitiis inutilitatem: facit enim divitias esse non utiles nec sibi, nec aliis. Non enim utuntur eis nisi conservando: Ecclesiast. 14. *Viro cupido, & tenaci sine ratione est substantia*. Quarto, quia tollit justitiae aequitatem: Exod. 23. *Ne accipias munera, quae etiam excaecant prudentes, & subvertunt verba justorum*. Ecclesiast. 31. *Qui aurum diligit, non justificabitur*. Quinto, quia necat caritatem Dei, & proximi, quia secundum Augustinum quanto magis habet quis de caritate, tanto minus de cupiditate, & e converso. Eccles. 7. *Neque fratrem charissimum auro spreveris, & caritatem Dei*, quia sicut *nemo potest duobus Dominis servire*, ita neque *Deo & mammonae*, ut dicitur Matth. 6. Sexto, quia producit omnem iniquitatem: est enim *radix omnium malorum*, secundum Apostolum, ut dicitur 1. Timot. 6. Et ideo in corde radicata est, & homicidium, & furtum, & omnia mala operatur: & ideo dicit Apost. 1. Timot. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quae mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas*. Et nota, quod cupiditas tunc est peccatum mortale, quando sine ratione concupiscitur res proximi, sed quando rationabiliter, veniale.

3. Quia causat inutilit.

4. Quia justitiam tollit.

5. Quia caritatem occidit.

6. Quia iniquitates parit.

De decimo Decalogi praecepto.

N*On desiderabis uxorem proximi tui*: Exod. 20. Beatus Joannes in prima Canonica sua secundo capite dicit, quod *omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitae*. Unde omne desiderabile in his tribus consistit, sed duo ex istis intelliguntur prohibita per hoc praeceptum, *Non concupisces domum proximi tui*. In domo enim intelligitur & altitudo, per quam avaritia designatur: Psalm. 111. *Gloria, & divitiae in domo ejus*. Qui ergo desiderat domum, desiderat dignitates, & divitias: & ideo post hoc praeceptum, *Non concupisces* &c. ponitur aliud, per quod prohibetur carnis concupiscentia. *Non* inquit *desiderabis uxorem* &c. Et est sciendum, quod post peccatum propter corruptionem nullus evadit concupiscentiam praeter Christum, & Virginem gloriosam. Et quandocunque concupiscentia adest, adest vel cum veniali, vel cum mortali, quando scilicet dominatur: Apost. Romanor. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*; & non dixit, non sit, quia sicut ipse dicit; *Scio quod habitat in me, idest, in carne mea, bonum*. Regnat autem peccatum in carne, quando primo in corde regnat concupiscentia consentiendo: & ideo subdit Apostolus, *ut* scilicet *obediatis concupiscentiis carnis*. Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo*. Voluntas enim apud Deum pro facto reputatur. Secundo, quan-

Divina lex carnis vetat concupiscentiam.

Mortalis ea est, si dominetur:

1. In corde.

quando dominatur in ore, conceptum exprimendo: Matth. 12. *Ex abundantia enim cordis os loquitur*. Ephes. 4. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat*: & ideo non est sine peccato componere cantiones vanas, etiam secundum Philosophos, quia & poetae fingentes carmina amatoria debent expelli ex civitatibus. Tertio, quando egreditur in opere, membris concupiscentiae serviendo: Romanor. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati* &c. Isti ergo sunt gradus concupiscentiae. Et sciendum, quod in fugiendo istud peccatum oportet multum laborare, cum sit intrinsecum: difficilius enim vincitur inimicus familiaris. Vincitur autem quatuor modis. Primo occasiones exteriores fugiendo, ut puta, malam societatem, & omnia inducentia occasionaliter ad hoc peccatum: Ecclesi. 9. *Virginem ne conspicias, ne forte scandaligeris in decore illius. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit*. Prov. 6. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* Et ideo praeceptum fuit Loth, ut fugeret ab *omni circa regione*, Genes. 19. Secundo, cogitationibus aditum non praebendo, quia occasio sunt excitandae concupiscentiae, & faciendum est per carnis afflictionem: 1. Corin. 9. *Castigo corpus meum* &c. Tertio, orationibus insistendo, quia *nisi Dominus custodierit civitatem*, &c. Sapien. 8. *Scivi quo-*

2. In ore.

3. In opere.

Vincitur concupiscé. 1. Occasiones fugiendo.

2. Cogitationes pravas pellendo.

3. Orationi vacando.

quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det. Matth. 17. *Hoc genus daemoniorum non ejicitur, nisi per orationem, & jejunium*. Si enim duo pugnarent, & velles unum juvare, alterum vero non, oportet primo auxilium dare, secundo vero subtrahere: inter spiritum autem, & carnem est praelium continuum. Unde oportet, quod si vis quod spiritus, quod des ei auxilium, & hoc fit per orationem; carni vero subtrahas, & hoc fit per jejunium: nam caro per jejunium debilitatur. Quarto, licitis occupationibus insistendo: Ecclesiast. 33. *Multam malitiam docuit otiositas*. Ezech. 16. *Haec fuit iniquitas Sodomae, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium*. Hieronymus: *Semper aliquid boni facito, ut te diabolus inveniat occupatum*: inter omnes autem occupationes melior est studium Scripturarum. Hieronymus ad Paulinum: *Ama studia scripturarum, & carnis vitia non amabis*.

4. Licitis exercit. operam dando.

Conclusio hujus Opusculi.

HAec ergo sunt super decem verba, de quibus dicit Dominus Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Duae enim sunt radices principales omnium mandatorum, scilicet dilectio Dei, & proximi. Diligenti autem Deum tria necesse est facere, scilicet quod non habeat alium Deum, & quantum ad hoc dicit. *Non coles Deos alienos*. Secundo, quod honoret eum, & quantum ad hoc dicit. *Non assumes nomen Dei tui in vanum*. Tertio, quod liben-

benter quiescat in eo, & quantum ad hoc dicit. *Memento, ut diem sabbathi sanctifices*. Diligens autem proximum oportet, quod primo faciat ei honorem debitum, unde dicit. *Honora patrem tuum*. Secundo, quod abstineat a faciendo ei malum, & hoc vel facto. Unde dicit. *Non occides*, quod est in persona propria. *Non adulterabis*, quod est in persona conjuncta. *Non furtum facies*, quod est in rebus exterioribus. Item dicto, ibi: *Non falsum testimonium dices*. Vel corde, & quantum ad hoc dicit. *Non concupisces rem proximi tui*: &: *Non desiderabis uxorem proximi tui*.

Explicit opusculum S. Th. de caritate, seu de duobus universalibus divinae legis mandatis. Et ad ea pertinentibus Decalogi praeceptis.





EJUSDEM S. DOCTORIS OPUSCULUM

De articulis Fidei, & Ecclesiae Sacramentis.

Articulus Primus.



Ostulat a me vestra dilectio, ut de articulis Fidei, & Ecclesiae Sacramentis aliqua vobis compendiose pro memoriali transcriberem, cum dubitationibus, quae circa haec moveri possent. Verum cum omne theologorum studium versetur circa dubietates contingentes articulos Fidei, & Ecclesiae Sacramenta, si ad plenum vestrae petitioni satisfacere vellem, oporteret, totius theologiae comprehendere summatim difficultates: quod quantum sit operosum, advertit vestra prudentia. Unde ad praesens vobis sufficiat, si articulos Fidei, & Ecclesiae Sacramenta breviter vobis distinguam, & qui errores sunt circa quodlibet eorum vitandi. In primis igitur vos

scire

ſcire oportet, quod tota Fides Chriſtiana circa divinitatem, & humanitatem Chriſti verſatur. Unde Chriſtus voce Joannis loquens ait Joan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite*. Circa utrumque autem horum a quibuſdam ſex, a quibuſdam ſeptem articuli diſtinguuntur, & ſic omnes articuli ſecundum quoſdam 12; ſecundum quoſdam 14. eſſe dicuntur. Primo igitur ſex articulos ſic diſtingunt circa fidem divinitatis. Sunt enim circa divinitatem tria conſideranda: ſcilicet unitas divinae eſſentiae, trinitas Perſonarum, & effectus divinae virtutis. Primus igitur articulus eſt, ut credamus eſſentiae divinae unitatem, ſecundum illud Deuteron. 6. *Audi Iſrael: Dominus Deus tuus, Deus unus eſt*.

In Chriſti Divinit. & human. tota fides verſatur.

Numerus articulorum fidei.

Contra hunc autem articulum plures errores vitandi occurrunt. Primo quidem quorundam Gentilium, ſive Paganorum ponentium plures Deos, contra quos dicitur Exod. 20. *Non habebis Deos alienos coram me*. Secundus eſt error Manichaeorum, qui ponunt duo principia eſſe, unum, a quo ſunt omnia bona, aliud, a quo ſunt omnia mala, contra quos dicitur Iſa. 45. *Ego Dominus, non eſt alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum*: quia ipſe ſecundum ſuam juſtitiam infligit malum poenae, cum eſſe conſpicit in ſua creatura malum culpae. Tertius eſt error Atropomorphitarum ponentium unum Deum, ſed dicentium eum corporeum, & ad modum humani corporis formatum, contra quos dicitur Joan. 4. *Spiritus eſt Deus*: & Iſa. 40. *Cui ſimilem feciſtis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* Quartus eſt

Contra Divin. eſſent. 1. Error. Paganorum.

2. Manichaeorum.

3. Antropomorphitar.

4. Epicureorum. est error Epicureorum ponentium, quod Deus non habet providentiam, & scientiam de rebus humanis, contra quos dicitur 1. Pet. ultim. *Omnem sollicitudinem projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis*. Quintus error est

5. Philosophorum. quorundam Gentilium Philosophorum dicentium, Deum non esse omnipotentem, sed quod solum potest ea, quae naturaliter fiunt, contra quos dicitur in Psalm. 134. *Omnia, quaecumque voluit, Dominus fecit*. Omnes igitur hi derogant unitati divinae essentiae, vel perfectioni: unde contra omnes ponitur in Symbolo: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem*.

Articulus II.

Trinitas personarum. SEcundus articulus est, quod sunt tres Personae divinae in una essentia, secundum illud 1. Joan. ultim. *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*. Contra hunc autem articulum sunt plures errores.

1. Error. Sabellii. Primus fuit Sabellii, qui posuit unam essentiam, sed Trinitatem Personarum negavit, dicens, quod una Persona quandoque dicitur Pater, quandoque Filius, quandoque Spiritus sanctus.

2. Arrii. Secundus est error Arrii, qui posuit tres Personas, sed negavit unitatem essentiae, dicens Filium esse alterius substantiae a Patre, & esse creaturam, & minorem Patre, & sibi non coaequalem, nec coaeternum, sed quod incoepit esse, postquam non fuerat. Et contra hos duos errores dicit Dominus Joan. 10. *Ego, & Pater unum sumus*, quia, ut dicit

dicit Augustinus, *quod dicit unum, liberat te ab Arrio: quod dicit sumus, pluraliter, liberat te a Sabellio*. Tertius est error Eunomii, qui posuit Filium dissimilem Patri, contra quem dicitur Collossen. 1. *Qui est imago Dei invisibilis*. Quartus, est error Macedonii, qui posuit Spiritum sanctum esse creaturam, contra quem dicitur 2. Corinth. 3. *Dominus autem spiritus est*. Quintus est error Graecorum, qui dicunt Spiritum sanctum procedere a Patre, sed non a Filio, contra quos dicitur Joann. 14. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*, quia scilicet eum mittit Pater, tamquam spiritum Filii, & a Filio procedentem. Et Joan. 16. dicitur: *ille me clarificabit, quia de meo accipiet*. Et contra omnes errores in Symbolo dicitur: *Credo in Deum Patrem, & Filium ejus unigenitum, non factum: consubstantialem Patri, & in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit*.

3. Eunomii.

4. Macedonii.

5. Graecorum.

Articulus III.

ALii vero quatuor articuli divinitatis pertinent ad effectus divinae virtutis, quorum primus, qui est tertius, pertinet ad creationem rerum in esse naturae, secundum illud Ps. 32. *Dixit, & facta sunt*. Contra hunc articulum primo quidem erravit Democritus, & Epicurus, ponentes, quod nec materia mundi, nec ipsa mundi compositio est a Deo, sed quod mundus est casu factus per concursum corporum indivisibilium, quae rerum principia aestimabant. Contra

Divinitat. 1. Effectus rer. creatio.

1. Error. Democriti & Epicuri.

tra

tra quos dicitur in Psalm.32. *Verbo Domini caeli firmati sunt*, ideft, secundum rationem aeternam, non autem casu. Secundus est error Platonis, & Anaxagorae, qui posuerunt mundum factum a Deo, sed ex materia praejacenti, contra quos dicitur in Psal. 148. *Mandavit, & creata sunt*, ideft, ex nihilo facta. Tertius est error Aristotelis, qui posuit mundum a Deo factum non esse, sed ab aeterno fuisse, contra quod dicitur Gen. 1. *In principio creavit Deus caelum & terram.* Quartus est error Manichaeorum, qui posuerunt Deum factorem invisibilium, sed visibilia a diabolo facta, contra quos dicitur Hebrae. 11. *Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Quintus est error Simonis Magi, & Menandri ejus discipuli, & multorum aliorum haereticorum eos sequentium, qui creationem mundi non Deo, sed angelis attribuunt, contra quos dicit Paulus act. 17. *Deus, qui fecit mundum, & omnia, quae in eo sunt.* Sextus est error eorum, qui posuerunt, Deum per seipsum non gubernare mundum, sed per quasdam partes sibi subjectas, contra quos dicitur Job. 34. *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?* Et contra hos errores dicitur in Symbolo: *Factorem*, vel creatorem, *caeli & terrae, visibilium omnium & invisibilium.*

2. Platonis, & Anaxagorae.

3. Aristotelis.

4. Manichaeorum.

5. Simonis Magi, & Menandri.

6. Negantium, per se Deum gubernare.

AR-

Articulus IV.

QUartus articulus pertinet ad effectum Gratiae, per quam vivificatur Ecclesia à Deo, secundum illud Rom. 3. *Justificati gratis per Gratiam ipsius*, scilicet Dei. Et sub articulo isto comprehenduntur omnia sacramenta Ecclesiae, & quaecumque pertinent ad Ecclesiae unitatem, & dona Spiritus sancti, & justitiam hominum. Et quia de Sacramentis Ecclesiae posterius est tractandum, de his interim supersedeamus, & alios errores contra hunc articulum exponamus. Divinitatis 2. Effectus, Gratia.

Quorum primus est Cerinthi, & Ebionis, & etiam Nazaraeorum, qui dixerunt, gratiam Christi non sufficienter ad salutem operari, nisi aliquis circumcisionem, & alia legis mandata custodiat, contra quos dicitur Rom. 3. *Arbitramur, justificari hominem per fidem sine operibus legis*. 1. Error. Cerinthi, Ebionis &c.

Secundus est error Donatistarum, qui posuerunt, gratiam Christi solum in Africa remansisse, quia scilicet totus alius mundus communicabat Caeciliano Carthaginensi Episcopo, quem ipsi condemnaverunt, & in hoc negabant unitatem Ecclesiae, contra quos dicitur ad Coloss. 3. *In Christo Jesu non est Gentilis, & Judaeus, & circumcisio, & praeputium, Barbarus, & Scytha, servus, & liber, sed omnibus Christus*. 2. Donatistarum.

Tertius est error Pelagianorum, qui quidem primo negaverunt, peccatum originale esse in parvulis, contra id, quod dicit Apostolus Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, ita & in omnes homines* 3. Pelagianorum.

mines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Et in Psalm. 50. dicitur. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum*. Secundo dicunt, quod principum boni operis inest homini a seipso, sed consummatio est a Deo, contra id, quod dicit Apostolus Philip. 2. *Deus est, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate*. Tertio dicunt, gratiam dari homini secundum sua merita, contra id, quod dicitur Rom. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin*
4. Origenis. *gratia jam non esset gratia*. Quartus error est Origenis, qui posuit omnes animas creatas cum Angelis simul, & pro diversitate eorum, quae ibi egerunt, quosdam homines vocari a Deo per gratiam, quosdam vero in infidelitate relinqui, contra quod dicit Apostolus ad Rom. 9. *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni egissent, aut mali, & secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum*
5. Cataphrygarum. *est ei; quia major serviet minori*. Quintus error est Cataphrygarum, idest Montani, Priscae, & Maxillae, qui dicunt, prophetas quasi arreptitios fuisse, & quod non prophetaverunt per Spiritum sanctum, contra quos dicitur 2. Petr. 1. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti*
6. Cerdonis. *sunt sancti Dei homines*. Sextus est error Cerdonis, qui primo dixit, Deum legis, & prophetarum non esse patrem Christi, nec bonum Deum esse, sed injustum; patrem vero Christi bonum esse, quem etiam Manichaei secuti sunt, legem reprobantes, contra quos dicitur Roman. 7. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bo-*

& bonum; & Rom. I. dicitur: *Quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo*. Septimus error est eorum, qui quaedam, quae ad perfectionem vitae pertinent, asserunt esse ad necessitatem salutis. Quorum quidam fuerunt, qui se arrogantissime Apostolos vocaverunt, qui nullam spem putant habere salutis eos, qui conjugibus utuntur, & propria possident. Alii vero scilicet Tatiani non vescuntur carnibus, & eas omnino abominantur, secundum illud Apostoli I. ad Timot. 4. *In novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis daemoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, probibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his, qui cognoverunt veritatem*. Dicunt enim quod promissio de adventu Spiritus sancti non fuit in Apostolis completa, sed in eis, contra istud, quod dicitur Act. 2. Euthychiani etiam dicunt, homines non posse salvari nisi continue orent, propter illud, quod Dominus dicit Lucae 18. *Oportet semper orare, & non deficere*, quod sic accipitur secundum August. ut nullum diem praetermittant circa orandi operam. Alii vero, qui Pattalorinchitae dicuntur, intantum silentio student, ut naribus, & labiis digitum apponant. Pattallos enim Graece dicitur Palus, & Rinchos nasus. Quidam etiam dicunt, quod homines non possunt salvari, nisi semper nudis pedibus ambulent, contra quos omnes dicit Apostolus I. Corin. 10. *Omnia mihi licent*, *sed*

7. Dicentium consilia ad salutem esse necessaria.

Tatiani.

Eutychiani.

Pattalorinchitae.

sed non omnia expediunt. Ex quibus datur intelligi, quod licet aliqua a sanctis viris assumantur, tanquam expedientia, non tamen propter hoc

8. Aequantium consilia communi vitae. opposita redduntur illicita. Octavus error est eorum, qui dicunt e contrario, opera perfectionis non esse praeferenda communi vitae fidelium, sicut Jovinianus posuit, quod virginitas non praefertur conjugio, contra illud, quod dicitur 1. Corin. 7. *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit*. Et sicut Vigilantius, qui aequavit statum divitias possidentium statui paupertatis propter Christum assumptae, contra quem dicit Dominus Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quae habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo, & veni sequere*

9. Negantium lib. arbitrium. *me*. Nonus error est negantium liberum arbitrium, sicut quidam negavit dicens, Animas, quae sunt malae creationis, non posse peccare, contra quos dicitur 1. Joan. 2. *Haec scribo vobis,*

10. Priscillianistarum, & Mathem. *ut non peccetis*. Decimus error est Priscillianistarum, & etiam Mathematicorum dicentium, homines fatalibus stellis obligatos, ita scilicet, quod eorum opera sunt necessitati stellarum subjecta, contra quos dicitur Jer. 10. *A signis caeli nolite*

11. Almarici. *metuere, quae timent gentes*. Undecimus error est dicentium, quod homines Dei gratiam & caritatem habentes peccare non possunt, ita quod asserunt eos, qui aliquando peccaverunt, nunquam caritatem habuisse, contra quos dicitur Apoc. 2. *Caritatem tuam primam reli-*

12. Ecclesiae statuta rejicientium. *quisti: memor esto itaque, unde excideris*. Duodecimus error est eorum, qui ea, quae ab Eccle-

sia

sia Dei universaliter sunt statuta. dicunt, non esse observanda, sicut Arriani, qui dicunt statuta jejunia non esse solemniter celebranda, sed cum quis voluerit, jejunet, ne videatur esse sub lege. Et sicut Tessareschaedecatitae, idest quartodecumani, qui dicunt quartadecima luna Pascha esse celebrandum, quocunque die septimanae occurreret: & eadem ratio est de quibuscumque ab Ecclesia statutis. Et contra omnes istos errores in Symbolo Apostolorum dicitur: *Sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum*. Et in Symbolo patrum dicitur: *Qui locutus est per prophetas, & unam sanctam catholicam, & apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.*

Arriani.

Tessareschaedecatitae.

Articulus V.

QUintus articulus est de resurrectione mortuorum, de quo dicitur 1. Corinth. 15. *Omnes quidem resurgemus*, contra quem etiam sunt plures errores, quorum primus est error Valentini, qui carnis resurrectionem negavit, quem etiam plures haeretici sunt secuti, contra quem dicitur 1. Corinth. 15. *Si Christus praedicatur, quod resurrexit a mortus, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Secundus est error Hymenaei, & Philethi, contra quos dicit Apostolus 2. Timot. 2. quod *a veritate exciderunt dicentes, resurrectionem jam factam*, vel quia non credebant nisi resurrectionem spiritualem, vel quia non credebant alios resur-

Divinitatis 3. Effectus, resurrectio.

1. Error Valentini.

2. Hymen. & Philethi.

re-

recturos, nisi illos, qui cum Christo resurrexerunt. Tertius est error quorundam haereticorum modernorum, qui dicunt resurrectionem futuram, non tamen eorundem corporum, sed quod animae resument quaedam corpora caelestia, contra quos Apostolus dicit 1. Corinth. 15. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*. Quartus est error Euthichii patriarchae Constantinopolitani, qui posuit corpora nostra in resurrectione aeri, vel vento similari, quod Gregorius narrat in 14. moralium, contra quem est, quod Dominus post resurrectionem suam corpus suum discipulis palpandum praebuit dicens Luc. ult. *Palpate, & videte*, cum tamen Apostolus dicat. Phil. 3. *quod reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae*. Quintus error est dicentium, quia corpora humana in resurrectione vertentur in spiritum, contra quos dicitur Luc. ult. *Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Sextus error est Cerinthi, qui mille annos post resurrectionem in terreno regno fabulatur futuros, in quibus homines carnales ventris, ac libidinis voluptates habebunt, contra quem dicitur Matt. 22. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur*. Quidam dixerunt etiam, quod post resurrectionem mortuorum in eodem statu, in quo nunc est, mundus manebit, contra quos dicitur Apoc. 21. *Vidi caelum novum, & terram novam*. Et Apost. dicit Rom. 8. quod *ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertate gloriae filiorum Dei*. Et contra omnes hos errores dicitur: *Carnis*

3. Modernorum Haereticorum.

4. Euthichii

5. Dicentium, corpora in spirit. verten.

6. Cerinthi.

7. Mundi innovationem negantium.

nis resurrectionem: & in alio Symbolo. *Expecto resurrectionem mortuorum*.

Articulus VI.

SExtus articulus pertinet ad ultimum effectum divinitatis, qui est remuneratio bonorum, & punitio malorum, secundum illud Psal. 61. *Tu reddes unicuique juxta opera sua*. Et circa hunc etiam fuerunt multi errores, quorum primus est dicentium, quod anima moritur cum corpore, sicut Arabs asserit, vel etiam post modicum intervallum, sicut Zeno dixit, ut recitatur in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus; contra quod est, quod Apostolus dicit Philip. 1. *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*. Et Apoc. 6. *Vidi subtus altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei*. Secundus error est Origenis, qui posuit homines, & daemones damnatos iterum posse purgari, & redire in gloriam, & angelos sanctos, & homines beatos iterum posse deduci ad mala, quod est contra authoritatem Domini Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium aeternum: justi autem in vitam aeternam*. Tertius est error dicentium, omnes poenas, & omnia praemia malorum, & bonorum futuras esse aequales, contra quorum primum dicitur 1. Corinth. 15. *Stella a stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum*. Contra secundum dicitur Matth. 11. *Tyro, & Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis*. Quartus error est dicentium, animas malorum non statim post mortem descendere ad infernum, nec aliquas sanctorum ani-

Divinitatis 4. effect. praemium, vel poena.

1. Error. Arabis, & Zenonis.

2. Origenis.

3. Aequales poenas, & praemia statuentium.

4. Eaque tollentium ante Judicii diem.

animas paradisum intrare ante diem judicii, contra quos dicitur Lucae 16. quod *mortuus est dives, & sepultus in inferno*. Et 2. Corint. 5. dicitur. *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus domum non manufactam, sed aeternam in caelis*. Quintus est error dicentium, non esse purgatorium animarum post mortem, eorum scilicet, qui in caritate decesserunt, sed aliquid purgabile habent: contra quos dicitur 1. Corinth. 3. *Si quis aedificaverit super fundamentum*, scilicet fidei per dilectionem operantis, *lignum, foenum, stipulam, detrimentum patietur, ipse tamen salvus erit, sic tamen quasi per ignem*: & contra hos errores dicitur in Symbolo: *Vitam aeternam, Amen*.

5. Purgatorium impugnantium.

ALii vero, qui septem articulos circa fidem divinitatis assignant, eos sic distingunt, ut Primus sit de essentiae unitate, Secundus, de persona Patris. Tertius de persona Filii, Quartus de persona Spiritus sancti. Quintus de effectu creationis. Sextus de effectu justificationis. Septimus de effectu remunerationis; sub quo comprehendunt resurrectionem, & vitam aeternam. Et sic dum praedictorum sex articulorum secundum dividunt in tres; quintum vero, & sextum compingunt in unum, fiunt secundum eos septem articuli. Nec refert quantum ad veritatem fidei, vel errorum vitationem, qualiter distinguantur.

Sex

Sex Reliquorum fidei articulorum Primus.

TUnc restat considerare articulos, qui pertinent ad humanitatem Christi, circa quam etiam sex articulos distinguunt. Quorum primus est circa conceptionem, & nativitatem Christi, secundum quod dicitur Isa. 7. & introducitur Matth. 1. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Et circa hunc multi fuerunt errores, quorum primus fuit dicentium, Christum fuisse purum hominem, & quod non semper fuit, sed a Maria sumpsit exordium. Et iste est error Corpocratis, & Cerinthi, & Ebionis, & Pauli Samosateni, & Fotini; contra quos dicitur Roman. 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Secundus error est Manichaeorum dicentium, quod Christus non habuit verum corpus, sed phantasticum, contra quod est; quod Dominus Luc. ult. reprehendit errorem discipulorum suorum, qui *conturbati, & perterriti aestimabant, se spiritum videre.* Et Matth. 14. *Videntes eum supra mare ambulantem, turbati sunt dicentes, quia phantasma est, & prae timore clamaverunt.* Quorum opinionem Dominus removit dicens: *Habete fiduciam, ego sum, nolite timere.* Tertius error est Valentini, qui dicit Christum caeleste corpus attulisse, nihilque de Virgine assumsisse, sed per ipsam tanquam per rivum, aut fistulam sine ulla de illa assumpta carne transisse; contra quod dicitur Gal. 4. *Misit Deus filium suum factum ex mu-*

Humanitas Christi.

Conceptio, & nativitas ejus.

1. Error. Carpocrat. Cerint. &c.

2. Manichaeorum.

3. Valentini

4. Apollinaris. *muliere*. Quartus est error Apollinaris, qui dixit, aliquid Verbi in carne fuisse conversum, aut transmutatum, non autem carnem de Mariae carne susceptam. Propter illud enim, quod dicitur Joan. I. *Verbum caro factum est*, intelligit, quod Verbum sit in carne conversum; contra quod statim ibidem subditur: *Et habitavit in nobis*. Non autem in nostra natura integre habitasset, si fuisset in carne conversum: unde intelligendum est, *Verbum caro factum est*, idest, Verbum factum est homo. Sic enim frequenter caro sumitur in scripturis, secundum illud Isa. 40. *Videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est*.

5. Arrii. Quintus error est Arrii, qui posuit, Christum humanam animam non habuisse, sed Verbum fuisse loco animae; contra quod dicitur Joan. 10. *Ego pono animam meam, & iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso*.

6. Apollinaris. Sextus error est Apollinaris, qui cum praedicto testimonio, & aliis convinceretur, humanam animam Christum habuisse, posuit, quod Christus non habuit intellectum humanum, sed Verbum Dei fuit ei loco intellectus; contra quod est, quod Dominus se hominem esse confitetur Joan. 8. *Quaeritis me interficere, hominem, qui veritatem locutus sum vobis*: non autem fuisset homo, si anima rationali caruisset.

7. Eutychis. Septimus est error Eutychis, qui posuit in Christo unam naturam compositam ex divinitate, & humanitate; contra quod Apostolus dicit. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem ho-*

hominum factus, & habitu inventus ut homo, Philippen. 2; manifeste distinguens in eo duas naturas, divinam & humanam. Octavus error est Monotelitarum ponentium in Christo unam scientiam, operationem, & voluntatem; contra quos Dominus dicit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu* Matt. 26. Ubi manifeste in Christo ponitur alia voluntas humana, alia divina, quae est communis Patri, & Filio. Nonus error est Nestorii, qui posuit, Christum Deum perfectum, & hominem perfectum, & tamen aliam dixit esse personam Dei, aliam hominis: & quod non est facta unio Dei, & hominis in una persona Christi, sed solum secundum gratiae inhabitationem; ita quod negat, beatam Virginem esse matrem Dei, sed dicit, eam esse matrem hominis Christi: contra quod dicitur Luc. 1. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*. Decimus error est Carpocratis, qui hominem Christum de utroque natum putasse perhibetur; contra quod dicitur Matth. 1. *Antequam convenirent, inventa est ut in utero habens de Spiritu Sancto*. Undecimus error est Elvidii dicentis, quod postquam Beata Virgo peperit filium Cristum, ex Joseph plures filios genuit; contra quod dicitur Ezech. 44. *Porta haec clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi*. Et contra hos omnes errores in Symbolo Apostolorum dicitur: *Conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*. Et in symbolo patrum. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis, & incarna-*

8. Monotelitarum.

9. Nestorii.

10. Carpocratis.

11. Elvidii.

tus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est.

Articulus II.

Christi passio, & mors.

SEcundus articulus est de passione, & morte Christi, secundum quod ipse Dominus praedixit Matth. 20. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Et circa hunc articulum primus quidem est error Manichaeorum, qui sicut corpus Christi esse phantasticum asserunt, ita passionem Christi non in veritate, sed in phantasia esse arbitrantur: contra quod dicitur Isa. 53. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Et iterum 7. *Tanquam ovis ad occisionem ductus est.* Quod etiam inducitur Act. 8. Secundus est error Galeni, qui in Christo unam naturam posuit, sed incorporalem, & immortalem: contra quod dicitur 1. Pet. 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est.* Et contra hos errores ponitur in Symbolo: *Crucifixus, mortuus, & sepultus.*

1. Error. Manichaeor.

2. Galeni.

Articulus III.

Christi descensus ad inferos.

TErtius articulus est de descensu ad inferos. Credimus enim, animam Christi descendisse ad inferos, corpore jacente in sepulcro: Eph. 4. *Descendit primum in inferiores partes terrae.* Unde in Symbolo dicitur: *Descendit ad in-*

inferos; quod est contra quosdam, qui posuerunt ipsum Christum non descendisse per seipsum ad inferos, cum tamen Petrus dicat Act. 2. quod *non est derelictus in inferno*. Error.

Articulus IV.

Quartus articulus est de resurrectione Christi, secundum quod ipse dicit Matth. 20. *Tertia die resurget*. Et circa hunc articulum primo quidem erravit Cerinthus, asserens, Christum non surrexisse, sed resurrecturum esse: contra quod dicitur 1. Corin. 15. *Resurrexit tertia die secundum scripturas*. Secundus error est, qui imponitur Origeni, quod sit iterum pro salute hominum, & daemonum passurus, contra quod dicitur: Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo*. Et contra hos errores dicitur in Symbolo. *Tertia die resurrexit a mortuis*.

Resurrectio Christi. 1. Error. Cerinthi. 2. Origeni impositus.

Articulus V.

Quintus articulus est de ascensione Christi in caelum, de quo ipse dicit Joan. 20. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum*. Circa quae errant Seleuciani, qui negant, Salvatorem in carne sedere ad dexteram Dei Patris, sed quod eam exuit, & in sole posuit. Circa quod dicitur Marc. ult. *Dominus quidem Jesus post-*

Christi in caelum ascensus. Error Seleucianorum.

quam locutus est eis, ascendit in caelum, & sedet a dextris Dei. Unde in Symbolo dicitur: *Ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris*.

Articulus VI.

Christi adventus ad judicium.

SExtus articulus est de adventu ad judicium, de quo Dominus dicit Matth. 25. *Cum venerit filius hominis in majestate sua, & omnes angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae*. Et Petrus dicit Act. 10. *Hic est, qui constitutus est a Deo Judex vivorum, & mortuorum*; sive eorum, qui jam mortui sunt, & eorum qui in adventu Christi vivi invenientur. Et circa hoc aliqui errant, de quibus dicitur 2. Pet. 3. *Venient in novissimis diebus in deceptione illusores juxta proprias concupiscentias dicentes: Ubi est promissio, aut adventus ejus?* contra quos dicitur Job. 19. *Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est, & scitote, esse judicium*. Unde in Symbolo dicitur: *Qui venturus est judicare vivos, & mortuos*. Illi autem, qui septem articulos humanitatis esse ponunt, distinguunt primum articulum in duos, ponentes scilicet sub alio articulo conceptionem Christi, & sub alio ejus nativitatem.

Error.

De Ecclesiae Sacramentis.

NUunc restat considerandum de Ecclesiae Sacramentis, quae tamen omnia comprehenduntur sub uno articulo, quae ad effectum gratiae pertinent. Sed quia specialem de sacramentis fecistis

ctis quaestionem, de his seorsum agendum est. Et primo igitur sciendum, quod sicut Augustinus dicit in 10. lib. de civit. Dei: *Sacramentum est sacrum signum, vel sacrae rei signum*. Fuerunt autem in veteri lege quaedam Sacramenta, idest sacrae rei signa, sicut agnus paschalis, & alia sacramenta legalia, quae quidem solum significabant Christi gratiam, non tamen eam causabant. Unde Apost. Gal. 4. vocat ea *egena, & infirma elementa*. Egena quidem, quia gratiam non continebant, & infirma, quia gratiam conferre non poterant. Sacramenta vero novae legis continent, & conferunt gratiam. In eis enim virtus Christi sub tegmento rerum visibilium secretius operatur salutem, ut dicit Aug. Et ideo Sacramentum novae legis est invisibilis gratiae visibilis forma, ut ejus similitudinem gerat, & causa existat. Sicut ablutio, quae fit in aqua baptismatis, repraesentat interiorem mundationem, quae fit a peccatis per virtutem baptismi. Sunt autem Sacramenta legis novae septem, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Quorum prima quinque ordinantur ad perfectionem unius hominis in seipso; sed alia duo, scilicet Ordo, & Matrimonium, ordinantur ad perfectionem, & multiplicationem totius Ecclesiae. Vita enim spiritualis conformatur vitae corporali: in vita autem corporali perficitur homo primo per generationem, qui nascitur in hoc mundo: secundo per augmentum, quo perducitur ad quantitatem, & virtutem perfectam: tertio per cibum, quo sustentatur hominis vita, & virtus.

Sacramenta vet. legis.

Sacramenta novae legis.

Definitio.

Numerus.

Ad quae ordinantur.

Et haec

Et haec quidem sufficerent, si numquam eum infirmari contingeret. Sed quia frequenter homo infirmatur, quarto indiget sanatione. Sic est in vita spirituali. Primo enim indiget homo regeneratione, quae fit per baptismum, secundum illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Secundo oportet, quod homo accipiat perfectam virtutem, quasi quoddam spirituale augmentum, scilicet per sacramentum Confirmationis ad similitudinem Apostolorum, quos Spiritus sanctus in eos veniens confirmavit. Unde Dominus dixit eis Luc. ult. *Vos sedete in civitate Hierusalem quoadusque induamini virtute ex alto.* Tertio oportet, quod homo spiritualiter nutriatur per Eucharistiae sacramentum, secundum illud Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quarto oportet, quod homo sanetur spiritualiter per sacramentum poenitentiae, secundum illud Psal. 40. *Sana Domine animam meam, quia peccavi tibi.* Quinto spiritualiter simul, & corporaliter per sacramentum extremae Unctionis sanatur, secundum illud Jac. ult. *Infirmatur aliquis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiae, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Quantum autem ad comunem Ecclesiae utilitatem ordinantur duo sacramenta, scilicet Ordo, & Matrimonium. Nam per Ordinem Ecclesia gubernatur, & multiplicatur spiritualiter, & per Matrimonium multiplicatur

Per Baptismum datur esse spirit.

Per Confirmationem robur spirit.

Per Eucharistiam nutritio spirit.

Per poenitentiam salus spirit.

Per Unctionem salus animae, & corp.

Per Ordinem, & matrimonium Ecclesia regitur, & multiplicatur.

catur corporaliter. Est autem considerandum, quod praedicta septem sacramenta quaedam habent communia, & quaedam propria. Commune quidem est omnibus sacramentis, quod conferant gratiam, sicut dictum est. Commune etiam est omnibus, quod sacramentum consistit in verbis, & rebus corporalibus, sicut in Christo, qui est sacramentorum author, est Verbum, caro factum. Et sicut caro Christi sanctificata est, & virtutem sanctificandi habet per Verbum sibi unitum, ita & res Sacramentorum sanctificantur, & vim sanctificandi habent per verba, quae in his proferuntur. Unde Augustinus dicit sup. Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Unde verba, quibus sanctificantur sacramenta, dicuntur sacramentorum formae: res autem sanctificatae dicuntur sacramentorum materia; sicut aqua est materia baptismi, & crisma confirmationis. Requiritur etiam in quolibet sacramento persona ministri conferentis sacramentum cum intentione conferendi, & faciendi quod facit Ecclesia. Quorum trium si aliquid desit, idest, si non sit debita forma verborum, & si non sit debita materia, & si minister sacramenti non intendit sacramentum conficere, non perficitur sacramentum. Impeditur etiam effectus sacramenti per culpam recipientis, puta, si fictus accedat, & non corde parato ad suscipiendum sacramentum. Talis enim licet sacramentum suscipiat, effectum tamen sacramenti, idest gratiam Spiritus sancti non recipit; quia ut dicitur Sap. 1. *Spiritus sanctus disciplinae effugit fictum.* E contrario autem sunt alii, qui nunquam recipiunt sa-

Communia omn. Sacramentis.

Res, & verba.

Seu materia, & forma.

Minister cum intentione.

Impedimentum eor. effectus.

sacramentum, qui tamen effectum sacramenti suscipiunt propter devotionem, quam habent ad sacramentum, quod habent in voto, sive desiderio. Sunt autem & quaedam propria sacramentis quibusdam. Nam quaedam horum imprimunt characterem, idest spirituale quoddam signum distinctivum a ceteris, sicut in sacramento Ordinis, vel sacramento Baptismi, & in sacramento Confirmationis. Et talia sacramenta nunquam iterantur super eandem personam. Nunquam enim ille, qui est baptizatus, debet ulterius baptizari: neque confirmatus, iterum confirmari: neque ordinatus, iterum ordinari, quia character, qui in hujusmodi sacramentis imprimitur, indelebilis est. In aliis vero sacramentis non imprimitur character suscipienti ea, & ideo possunt iterari ad personam suscipientem, non tamen quantum ad materiam. Potest enim unus homo frequenter poenitere, frequenter Eucharistiam sumere, frequenter extremam unctionem suscipere, frequenter Matrimonium contrahere, non tamen eadem hostia debet frequenter consecrari, nec idem oleum infirmorum debet frequenter benedici. Est etiam alia differentia, quia quaedam sacramenta sunt de necessitate salutis, sicut Baptismus, & Poenitentia, quibus non existentibus, non potest homo salvari. Alia vero sacramenta non sunt de necessitate salutis, quia sine eis potest esse salus, nisi propter contemptum sacramenti.

Propria quibusdam Sacramentis. 1. Caracter.

2. Necessitas.

His visis in communi circa Ecclesiae sacramenta, oportet quaedam in speciali de singulis dicere. Primo igitur circa Baptismum sciendum est, quod ma-

materia Baptismi est aqua vera, & naturalis, nec differt utrum sit frigida, vel calefacta. In aquis autem artificialibus, sicut est aqua rosacea, & aliis hujusmodi, non potest baptizari. Forma autem baptismi est ista: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Minister hujus sacramenti proprius est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In articulo tamen necessitatis non solum diaconus, sed etiam laicus, mulier, imo paganus, etiam haereticus potest baptizare, dummodo servet formam Ecclesiae, & intendat facere, quod facit Ecclesia. Si vero extra articulum necessitatis aliquis a talibus baptizaretur, recipit quidem sacramentum, & non debet iterum baptizari, non tamen recipit gratiam sacramenti, quia ficti reputantur, utpote contra statutum Ecclesiae sacramentum accipientes. Effectus autem baptismi est remissio culpae originalis, & actualis, & etiam totius culpae, & poenae, ita quod baptizatis non est aliqua satisfactio injungenda pro peccatis praeteritis, sed statim morientes post baptismum introducuntur ad gloriam Dei: unde effectus baptismi ponitur apertio januae paradisi. Circa hoc sacramentum fuerunt aliqui errores. Primus quidem fuit Seleucianorum, qui baptismum in aqua non recipiunt, sed solum baptismum spiritualem: contra quos dicit Dominus Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Secundus error fuit Donatistarum rebaptizantium eos, qui sunt baptizati a catholicis: contra quos dicitur Eph. 4. *Una fides, unum baptisma*. Est autem alter error eorum: nam dicunt, quod homo in peccato exi-

Baptismi materia. Forma. Minister proprius. Minister in necess. Effectus Baptismi. Contra Baptismum. 1. Error. Seleucianor. 2. Donatistarum. 3. Eorumd.

existens non potest baptizare: contra quos dicitur: Jo. 1. *Super quem videris spiritum descendentem & manentem, hic est qui baptizat*, scilicet Christus. Unde non nocet homini malus minister, nec in hoc, nec in aliis sacramentis: quia Christus est bonus, qui merito suae passionis perficit sacramentum. Quartus error est Pelagianorum, qui dicunt pueros baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati, non ista regeneratione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti.

4. Pelagianorum.

Secundum sacramentum est Confirmationis, cujus materia est crisma confectum ex oleo, quod significat nitorem conscientiae: & balsamo, quod significat odorem bonae famae per episcopum benedicto. Forma autem hujus sacramenti est talis: *Signo te signo crucis, & confirmo te crismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.* Minister autem hujus sacramenti est solus episcopus. Non enim licet sacerdoti confirmandum crismate in fronte inungere. Effectus autem hujus sacramenti est, quod in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes: ut scilicet Christianus audacter confiteatur nomen Christi. Et ideo confirmandus in fronte ungitur, in qua est sedes verecundiae, ut scilicet nomen Christi confiteri non erubescat, & praecipue crucem ejus, quae est Judaeis scandalum, Gentibus autem stultitia; & propter hoc etiam signo crucis signantur. Circa hoc sacramentum est error quorundam Graecorum dicentium, quod sacerdos simplex hoc sacramentum potest conferre; contra

Confirmationis materia.

Forma.

Minister.

Effectus.

Contra Confirmat. Error Graecorum.

tra quos dicitur Actuum 8. quod *Apostoli miserunt Petrum, & Joannem Apostolum, qui imponebant manus super eos*, qui baptizati erant a Philippo diacono, *& accipiebant Spiritum sanctum*. Episcopi autem sunt in Ecclesia loco Apostolorum, & loco illius manus impositionis datur in Ecclesia Confirmatio.

Tertium sacramentum est Eucharistiae, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite, modica aqua permistum, ita quod aqua transeat in vinum. Nam aqua significat populum incorporatum Christo. De alio autem pane, quam tritici, & alio vino non potest hoc confici sacramentum. Forma autem hujus sacramenti sunt ipsa verba Christi dicentis: *Hoc est corpus meum*. Et: *Hic est calix sanguinis mei, novi, et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Quia sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum. Minister autem sacramenti hujus est sacerdos, neque aliquis alius potest corpus Christi conficere. Effectus autem hujus duplex est, quorum primus consistit in ipsa consecratione sacramenti: nam virtute praedictorum verborum panis convertitur in corpus Christi, & vinum in sanguinem, ita tamen quod totus Christus continetur sub speciebus panis, quae remanent sine subjecto, & totus Christus continetur sub speciebus vini: & sub qualibet parte hostiae consecratae, & vini consecrati, separatione facta, est totus Christus. Alius vero effectus hujus sacramenti, quem in anima digne sumentis facit, est adunatio hominis ad Chri-

Eucharistiae materia.

Forma.

Minister.

1. Effectus.

2. Effectus.

Christum, sicut ipse dicit Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo*. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, dignum est, quod hoc sacramentum sumentibus digne gratia augeatur. Sic igitur in hoc sacramento est aliquid, quod est sacramentum tantum, scilicet ipsa species panis & vini: & aliquid quod est res, & sacramentum, scilicet corpus Christi verum: & aliquid, quod est res tantum, scilicet unitas corporis mystici, idest Ecclesiae, quam hoc sacramentum & significat, & causat. Fuerunt autem circa hoc sacramentum multi errores, quorum primus est eorum, qui dicunt, quod in hoc sacramentum non est verum corpus Christi, sed tantum significative. Author erroris ejus dicitur fuisse Berengarius, contra quem dicitur Joan. 6. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*. Secundus est error Artotyritarum, qui offerunt in sacramento hoc panem, & caseum, dicentes a primis hominibus oblationes de frugibus terrae & ovium celebratas fuisse: contra quod est, quod Dominus hujus sacramenti institutor panem, & vinum discipulis suis dedit. Tertius est error Cathaphrygarum, & Praeputiatorum, qui de infantis sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctorum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, immiscentes eum farinae, panemque inde facientes, quod magis est simile sacrificii daemonum, quam sacrificii Christi, secundum illud Psal. 105. *Effuderunt sanguinem innocentem, quem sacrificave-*

Tria in Eucharistia distinguenda.

Contra Eucharistiam 1. Error. Berengarii.

2. Artotyritarum.

3. Cataphryg. & praeputiator.

verunt sculptilibus Chanaan. Quartus est error Aquariorum, qui aquam solam in sacrificiis offerunt, cum tamen Prov. 9. dicatur ex ore sapientiae, qui est Christus, *Bibite vinum, quod miscui vobis*. Quintus est error Ophitarum, qui serpentem Christum esse aestimantes, habent unum colubrum assuetum panes lingua lambere, atque ita eis velut Eucharistiam sanctificare. Sextus est error Pepuzianorum, qui tantum dant mulieribus principatum, ut sacerdotio quoque apud eos honorentur. Septimus est error Pauperum de Lugduno, qui dicunt, quemlibet justum hominem posse conficere hoc sacramentum: contra quos errores est, quod Dominus Apostolis suis potestatem tradidit hoc sacramentum celebrandi: unde solum illi, qui quadam successione ab Apostolis acceperunt hanc potestatem, possunt hoc sacramentum conficere. Octavus est error quorundam, qui dicuntur Adamani, qui imitantes nuditatem Adae, nudi mares, feminaeque conveniunt, nudi lectionem audiunt, nudi orant, sacramenta nudi celebrant: contra quos dicitur 1. Corint. 14. *Omnia honeste, & secundum ordinem fiant in vobis*.

4. Aquariorum. 5. Ophitar. 6. Pepuzianorum. 7. Pauperum de Lugduno. 8. Adamanorum.

Quartum Sacramentum est Poenitentia, cujus quasi materia sunt actus poenitentis, qui dicuntur tres paenitentiae partes; quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, quod homo doleat de peccato commisso, & proponat, se de cetero non peccaturum. Secunda pars est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter,

Pœnitentiæ materia. 1. Contritio. 2. Confessio.

non dividens ea diversis sacerdotibus. Tertia pars
3. Satisfact. est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis, quae quidem praecipue fit per jejunium, & orationem, & eleemosynam. Forma,
Forma autem hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quae sacerdos profert, cum dicit: *Ego te absolvo*. Minister,
Minister hujus sacramenti est sacerdos habens authoritatem absolvendi vel ordinariam, Effectus,
vel ex commissione superioris. Effectus hujus sacramenti est absolutio a peccato. Est autem
Error. Novatianorum contra hoc sacramentum error Novatianorum, qui dicunt, hominem post baptismum peccantem non posse per poenitentiam veniam consequi: contra quos dicitur Apocalyp. 2. *Memor esto, unde excideris, & age poenitentiam, & prima opera fac.*

Unctionis extremae materia. Quintum sacramentum est extremae Unctionis, cujus materia est oleum olivae per episcopum benedictum. Hoc autem sacramentum non debet dari nisi infirmis, quando timetur de periculo mortis, qui debent inungi in locis quinque sensuum; videlicet in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum. Quidam autem inunForma,
gunt in renibus, ubi viget libido. Forma autem hujus sacramenti est ista: *Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum*, & similiter in aliis. Minister,
Minister hujus sacramenti est sacerdos. Effectus.
Effectus autem hujus sacramenti est sanatio mentis, & corporis. Contra hoc sacramentum

tum est error Heraclianitarum, qui ferunt suos morientes novo modo quasi redimere per oleum, & balsamum, & aquam, & invocationibus, quas hebraicis verbis dicunt super capita eorum. Quod est contra formam a Jacobo traditam, ut supra dictum est. Error Heraclianitarum.

Sextum est sacramentum Ordinis. Sunt autem septem ordines, scilicet Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus Acolytatus, Exorcistae, Lectoris, & Ostiarii. Clericatur autem non est ordo, sed quaedam professio vitae dantium se divino ministerio. Episcopatus autem magis est dignitas, quam ordo. Materia autem hujus sacramenti est illud materiale, per cujus traditionem confertur ordo. Sicut presbyteratus traditur per collationem calicis, & quilibet ordo traditur per collationem illius rei, quae praecipue pertinet ad ministerium illius ordinis. Forma autem hujus sacramenti est talis: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, & mortuis*: & idem est dicendum in consimilibus ordinibus. Minister hujus sacramenti est episcopus, qui confert ordines. Effectus autem hujus sacramenti est augmentum gratiae ad hoc, quod aliquis sit idoneus minister Christi. Contra hoc sacramentum fuit error Arrii, qui dicebat presbyterum ab episcopo non debere discerni. Ordinum numerus, & materia. Presbyteratus materia. Forma. Minister. Effectus. Error Arrii.

Septimum sacramentum est Matrimonium, quod est signum conjunctionis Christi, & Ecclesiae. Causa autem efficiens matrimonii est mutuus consensus per verba de praesenti expressus. Est autem triplex bonum matrimo- Matrimonii significatio. Causa. Bona [illegible]

 nii,

nii, quorum primum est proles suscipienda, & educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri debet servare. Tertium est sacramentum, idest indivisibilitas matrimonii, propter hoc, quod significat indivisibilem conjunctionem Christi, & Ecclesiae. Est autem circa hoc sacramentum multiplex error. Primo quidem est Taeianorum, qui nuptias damnant. Contra quos est, quod dicitur 1. Corin. 7. *Si nupserit virgo, non peccavit*. Secundus est error Joviniani, qui nuptias aequavit virginitati, de quo supra dictum est. Tertius error est Nicolaitarum, qui indifferenter mutuis uxoribus utuntur. Fuerunt etiam multi alii haeretici turpia quaedam docentes, & exercentes; contra id, quod dicitur Hebr. ult. *Sit honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus*.

Contra matrimonium. 1. Error. Tacianorum. 2. Jovinian. 3. Nicolaitarum.

Horum autem virtute sacramentorum homo perducitur ad futuram gloriam, quae consistit in septem dotibus: tribus animae, & quatuor corporis. Prima dos animae est visio Dei per essentiam, secundum illud 1. Joan. 3. *Videbimus eum sicuti est*. Secunda est comprehensio, qua scilicet Deum comprehendemus, quasi meritorum mercedem: 1. Corin. 9. *Sic currite, ut comprehendatis*. Tertia est fruitio, quia in Deo delectabimur, secundum illud Job. 22. *Tunc super omnipotentem deliciis afflues, et elevabis ad Deum faciem tuam*. Prima autem dos corporis est impassibilitas, secundum illud 1. Corin. 15. *Oportet, corruptibile hoc induere incorruptionem*. Secunda est claritas, secundum illud Matth. 13. *Fulgebunt justi sicut sol in regno patris eorum*.

Sacramenta ad 3. animæ, & 4. corporis dotes hominem perducunt.

Ter-

Tertia est agilitas, per quam celeriter adesse poterunt, ubi volent: Sapien. 3. *Tanquam scintillae in arundineto discurrent*. Quarta est agilitas, per quam poterunt, quaecunque voluerint, penetrare, secundum illud 1. Corint. 15. *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*. Ad quam nos perducat qui vivit, & regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

Explicit Opusculum S. Th. de articulis fidei, & Ecclesiae Sacramentis.





EJUSDEM S. DOCTORIS
OPUSCULUM
Super Symbolo Apostolorum.

Fides ad sal. necessaria.

1. Conjungit animam Deo.



Credo in unum Deum &c. Primum, quod est necessarium christiano, est fides; sine qua nullus dicitur fidelis christianus. Fides autem facit quatuor bona. Primum est, quod per fidem anima conjungitur Deo. Nam per fidem anima christiana facit quasi quoddam matrimonium cum Deo: Osée 2. *Sponsabo te mihi in fide*. Et inde est, quod quando homo baptizatur, primo confitetur fidem, cum dicitur ei, *Credis in Deum?* quia baptismus est primum sacramentum fidei. Et ideo dicit Dominus Mar. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Baptismus enim sine fide non prodest. Et ideo sciendum est, quod nullus est acceptus Deo sine fide: Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et ideo dicit Augustinus super illud Rom. 14. *Omne, quod non est fide* &c. *Ubi non est aeternae, & incommutabilis veritatis agnitio, falsa est virtus etiam in opti-*

optimis moribus. Secundo, quia per fidem inchoatur in nobis vita aeterna. Nam vita aeterna nihil aliud est, quam cognoscere Deum. Unde dicit Dominus Johann. 17. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum*. Haec autem cognitio Dei incipit hic per fidem, sed perficitur in vita futura, in qua cognoscemus eum sicuti est. Et ideo dicitur Hebr. 11. *Fides est substantia sperandarum rerum*. Nullus ergo potest pervenire ad beatitudinem, quae est vera cognitio Dei, nisi primo cognoscat per fidem: Jo: 20. *Beati qui non viderunt, & crediderunt*. Tertio, quia fides dirigit vitam praesentem. Nam ad hoc, quod homo bene vivat, oportet quod sciat necessaria ad bene vivendum: & si deberet omnia necessaria ad bene vivendum per studium addiscere, vel non posset pervenire, vel post longum tempus. Fides autem docet omnia necessaria ad bene vivendum. Ipsa enim docet, quod est unus Deus, qui est remunerator bonorum, et punitor malorum: et quod est alia vita, et hujusmodi, quibus satis allicimur ad bonum, et vitamus malum: Habac. 2. *Justus meus ex fide vivit*. Et hoc etiam patet, quia nullus philosophorum ante adventum Christi cum toto conatu suo potuit tantum scire de Deo, et de necessariis ad vitam aeternam, quantum post adventum Christi scit vetula per fidem. Et ideo dicitur Isa. 11. *Repleta est terra scientia Domini*. Quarto, quia fides est, qua vincimus tentationes: Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna*. Et hoc patet, quia omnis tentatio vel est a diabolo, vel a mundo, vel a carne. Diabo-

2. Gloriae initium facit.

3. Dirigit praesentem vitam.

4. Tentationes vincit.

lus enim tentat, ut non obedias Deo, nec subjiciaris ei. Et hoc per fidem removetur. Nam per fidem cognoscimus, quod ipse est Dominus omnium; et ideo sibi est obediendum: 1. Petr. 5. *Adversarius vester diabolus circuit quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Mundus autem tentat vel alliciendo prosperis, vel terrendo adversis. Sed haec vincimus per fidem, quae facit, nos credere aliam vitam meliorem ista. Et ideo prospera mundi hujus despicimus, et non formidamus adversa: 1. Jo. 5. *Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra.* Et etiam, quia docet nos, credere alia majora mala, scilicet inferni. Caro vero tentat inducendo nos ad delectationes vitae praesentis momentaneas; sed fides ostendit nobis, quod per has, si eis indebite adhaeremus, aeternas delectationes amittimus: Ephes. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei.* Sic ergo patet, quod multum est utile, habere fidem. Sed dicit aliquis. Stultum est credere, quod non videtur, nec sunt credenda, quae non videntur.

Credendi 1. Ratio. Respondeo. Dicendum, quod hoc dubium primo tollit imperfectio intellectus nostri. Nam si homo posset perfecte per se cognoscere omnia visibilia, et invisibilia, stultum esset credere, quae non videmus. Sed cognitio nostra est adeo debilis, quod nullus philosophus potuit unquam perfecte investigare naturam unius muscae. Unde legitur, quod unus philosophus fuit triginta annis in solitudine, ut cognosceret naturam apis. Si ergo intellectus noster est ita debilis, nonne stultum est, nolle credere de Deo, nisi illa

tan-

tantum, quae homo potest cognoscere per se? Et ideo contra hoc dicitur Job. 6. *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram.* Secundo, potest responderi, quia dato, quod aliquis magister aliquid diceret in sua scientia, et aliquis rusticus diceret, non esse ita, sicut magister doceret, eo quod ipse non intelligeret, multum reputaretur stultus ille rusticus. Constat autem, quod intellectus angeli excedit magis intellectum optimi philosophi, quam intellectus optimi philosophi intellectum rustici. Et ideo stultus est philosophus, si nolit credere ea, quae angeli dicunt, & multo magis, si nolit credere ea, quae Deus dicit. Et contra hoc dicitur Eccl. 3. *Plurima supra sensum hominum ostensa sunt tibi.* Tertio, responderi potest, quia si homo nollet credere nisi ea, quae cognosceret, certe non posset vivere in hoc mundo. Quomodo enim aliquis vivere posset, nisi crederet alicui? Quomodo etiam crederet, quod talis esset pater suus? Et ideo est necesse, quod homo credat alicui de iis, quae perfecte non potest scire per se. Sed nulli est credendum sicut Deo. Et ideo illi, qui non credunt dictis fidei, non sunt sapientes, sed stulti & superbi, sicut dicit Apost. 1. ad Tim. 6. *Superbus est, nihil sciens.* Propterea dicebat 2. Tim. 1. *Scio cui credidi, & certus sum.* Eccl. 2. *Qui timetis Deum, credite illi.* Quarto, potest etiam responderi, quia Deus probat, quod ea, quae docet fides, sunt vera. Si enim rex mitteret literas cum sigillo suo sigillatas, nullus auderet dicere, quod illae litterae non processissent de regis voluntate. Constat autem, quod omnia, quae sancti crediderunt,

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

derunt, & tradiderunt nobis de fide Christi, signata sunt sigillo Dei: quod sigillum ostendunt illa opera, quae nulla pura creatura facere potest. Et haec sunt miracula, quibus Christus confirmavit dicta Apostolorum, & Sanctorum. Si dicas, quod miracula nullus vidit fieri. Respondeo ad hoc. Constat enim, quod totus mundus colebat Idola, & fidem Christi persequebatur, sicut Paganorum etiam historiae tradunt. Sed modo omnes conversi sunt ad Christum, & sapientes, & nobiles, & divites, et potentes, & magni ad praedicationem simplicium, et pauperum, & paucorum praedicantium Christum. Aut ergo hoc est miraculose factum, aut non. Si miraculose, habes propositum. Si non, dico quod non potuit esse majus miraculum, quam quod mundus totus sine miraculis converteretur: non ergo quaerimus aliud. Sic ergo nullus debet dubitare de fide, sed credere ea, quae fidei sunt, magis quam ea, quae videt: quia visus hominis potest decipi, sed Dei scientia nunquam fallitur.

Gentium conversionis miraculum.

C*Redo in unum Deum* &c. Inter omnia, quae debent credere fideles, hoc est primum, quod debent credere, scilicet quod sit unus Deus. Considerandum autem, quid significet hoc nomen, Deus. Quod quidem nihil est aliud, quam gubernator, & provisor rerum omnium. Ille igitur credit, Deum esse, qui credit, omnes res mundi hujus gubernari, & provideri ab illo. Qui autem credit, quod omnia proveniant a casu, hic non credit, Deum esse. Nullus autem invenitur adeo stultus, qui non credat, quod res natura-

Nomen, Deus.

turales gubernentur, provideantur, & disponantur; cum in quodam ordine, et certis temporibus procedant. Videmus enim solem, et lunam, et stellas, et alias res naturales omnes servare determinatum cursum; quod non contingeret, si a casu essent. Unde si aliquis esset, qui non crederet, Deum esse, stultus esset: Psal. 13. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus*. Sunt autem aliqui, qui licet credant, Deum esse, gubernare, et disponere res naturales; non tamen credunt, Deum esse humanorum actuum provisorem, qui scilicet credunt, actus humanos non disponi a Deo. Cujus ratio est, quia vident, in mundo isto bonos affligi, et malos prosperari: quod videtur tollere providentiam divinam circa homines. Unde in persona eorum dicitur Job. 22. *Circa cardines caeli perambulat, nec nostra considerat.* Hoc autem est valde stultum. Nam istis acccidit, sicut si aliquis nesciens medicinam, videret medicum propinantem uni infirmo aquam, alteri vinum, secundum scilicet, quod ars medicinae dictat; crederet quod fiat a casu; cum nesciat artem medicinae, quae ex justa causa hoc facit, scilicet, quod isti dat vinum, illi vero aquam. Sic est de Deo. Deus enim justa causa, et sua providentia disponit ea, quae sunt hominibus necessaria, et sic quosdam bonos affligit, et quosdam malos in prosperitate dimittit. Unde qui credit, hoc provenire a casu, est, et reputatur insipiens, quia non contingit hoc, nisi quia nescit artem, et causam dispositionis divinae: Job. 11. *Utinam ostenderet tibi saecula sapientiae, & quod multiplex esset lex ejus.* Et ideo firmiter credendum

Dei gubernatio quoad naturalia.

Quoad humanos actus.

dum est, quod Deus gubernat, et disponit non solum res naturales, sed etiam actus humanos: Psal. 93. *Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob. Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non considerat? Dominus scit cogitationes hominum.* Omnia ergo videt et cogitationes, et occulta voluntatis. Unde et hominibus specialiter imponitur necessitas bene facendi, quia omnia, quae cogitant, et faciunt, divino conspectui sunt manifesta: Apostolus Hebr. 4. *Omnia nuda sunt, & aperta oculis ejus.*

Unitas Dei.

Est autem credendum, quod Deus, qui omnia disponit, et regit, sit unus Deus tantum. Cujus ratio est: quia illa dispositio rerum humanarum est bene disposita, in qua multitudo invenitur disponi, et gubernari per unum. Nam multitudo praesidentium inducit saepe dissentionem in subditis. Unde cum divinum regimen praeemineat regimini humano, manifestum est, quod regnum mundi non est per multos Deos, sed per unum tantum. Sunt autem quatuor, ex quibus homines inducti sunt ad ponendum plures Deos. Primum est, imbecillitas intellectus humani. Nam homines imbecillis intellectus non valentes corporalia transcendere, non crediderunt, aliquid esse ultra naturam corporum sensibilium. Et ideo inter corpora illa posuerunt praeeminere, et disponere mundum, quae pulchriora, et digniora inter ea videbantur: et eis attribuebant, et impendebant divinum cultum, cujusmodi sunt corpora caelestia, scilicet sol, et luna, et stellae. Sed

Deos induxit

1. Imbecillitas human. mentis.

Sed istis accidit sicut alicui eunti ad curiam regis, qui volens videre regem, et credit quemcumque bene indutum, vel in officio constitutum, regem esse: de quibus dicitur Sap. 13. *Solem, & lunam, aut gyrum stellarum rectores orbis terrarum Deos putaverunt*. Isa. 51. *Levate in excelsum oculos vestros* &c. Secundo, 2. Adulatio.
provenit ex adulatione hominum. Nam et aliqui volentes adulari dominis, et regibus, honorem Deo debitum eis exhibuerunt, obediendo eis, & subjiciedo se eis. Unde et aliquos post mortem fecerunt Deos, alios etiam in vita dixerunt Deos: Judith. 5. *Sciat omnis gens, quoniam Nabuchodonosor Deus terrae est, & praeter ipsum alius non est*. Tertio, provenit ex carna- 3. Affectus
li affectu ad filios, et consanguineos. Nam aliqui carnalis.
propter nimium amorem, quem ad suos habebant, faciebant statuas post eorum mortem, et sic ex hoc processum est, quod illis statuis divinum cultum impendebant; de quibus dicitur Sap. 14. *Quoniam aut affectui, aut regibus deservientes homines, incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt*. Quarto, ex malitia diaboli. 4. Malitia
Ipse enim ab initio voluit aequiparari Deo. Unde diaboli.
ipse ait Isa. 14. *Ponam sedem meam ab aquilone, in caelum conscendam, & ero similis altissimo.* Et hanc voluntatem nondum deposuit: et ideo totus conatus suus in hoc existit, ut faciat se ab hominibus adorari, et sacrificia sibi offerri, non quod delectetur in uno cane, vel cato, qui ei offertur, sed delectatur in hoc, quod ei impendatur reverentia sicut Deo. Unde et Christo dixit, Matth. 4. *Haec omnia tibi dabo, si cadens*

ado-

adoraveris me. Inde est etiam, quod intrantes idola, dabant responsa, ut scilicet venerarentur, ut dii: Psalm. 95. *Omnes dii gentium daemonia*. Apost. 1. Cor. 10. *Sed quae immolant gentes, daemoniis immolant, & non Deo*: Licet autem haec sint horribilia, sunt tamen aliqui, et multi, qui frequenter incidunt in istas quatuor causas; Et licet non ore, aut corde, tamen factis ostendunt, se credere plures Deos. Nam qui credunt, quod corpora caelestia possunt in voluntatem hominis imprimere, et qui in factis suis certa accipiunt tempora, ii ponunt corpora caelestia esse Deos, et aliis dominari, facientes astrolabia: Jerem. 10. *A signis caeli nolite metuere, quae timent gentes, quia leges populorum vanae sunt*. Item, omnes illi, qui obediunt regibus plusquam Deo, vel in illis, in quibus non debent, constituunt eos Deos suos: Actuum 5. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*. Item illi, qui diligunt filios, aut consanguineos plusquam Deum, ostendunt factis, plures esse Deos: vel etiam illi, qui diligunt escam plusquam Deum, de quibus Apostolus Phil. 3. *Quorum Deus venter est*. Item omnes illi, qui insistunt veneficiis, et incantationibus, credunt, daemones esse Deos. Cujus ratio est, quia petunt a daemonibus id, quod solus Deus dare potest, scilicet revelationem alicujus rei occultae, et veritatem futurorum. Est ergo primo credencredendum, quod Deus est unus tantum.

Idololatrarum ex factis 1. Genus.

2. Genus.

3. Genus.

4. Genus.

P*Atrem omnipotentem, creatorem caeli, & terrae*. Sicut dictum est, primum, quod credere debemus, est, quod sit unus solus Deus. Secundum est, quod iste Deus sit creator, & factor

Deus rerum creator.

ctor caeli, & terrae, visibilium, & invisibilium. Et ut rationes subtiles dimittantur ad praesens, quodam rudi exemplo manifestatur propositum, quod scilicet omnia sunt a Deo creata, & facta. Constat enim, quod si aliquis intraret domum aliquam, & in ipsius domus introitu sentiret majorem calorem, & sic deinceps, crederet ignem esse interius, etiam si ipsum ignem non videret, qui causaret dictos calores. Sic quoque contingit consideranti res hujus mundi. Nam ipse invenit, res omnes secundum diversos gradus pulchritudinis, & nobilitatis esse dispositas, & quanto magis appropinquat Deo, tanto pulchriora, & meliora invenit. Unde corpora caelestia pulchriora, & nobiliora sunt, quam corpora inferiora, & invisibilia visibilibus. Et ideo credendum est, quod omnia haec sunt ab uno Deo, qui dat suum esse singulis rebus, & nobilitatem: Sap. 13. *Vani sunt autem omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex*. Et infra. *A magnitudine enim speciei, & creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri*. Sic ergo pro certo debet nobis constare, quod omnia, quae sunt in mundo, a Deo sunt. Circa hoc autem debemus vitare tres errores: Primus est error Manichaeorum, qui dicunt, quod omnia visibilia creata sunt a diabolo: & ideo Deo solum attribuunt creationem invisibilium. Et causa hujus erroris est, quia ipsi Deum asserunt summum bonum, sicut & verum est, & omnia, quae a bono sunt, bona esse,

Similitudine probatur.

1. Error. Manichaeorum.

ma esse. Unde nescientes discernere, quid sit malum, & quid bonum, crediderunt, quod omnia illa, quae sunt aliqualiter mala, simpliciter essent mala: sicut ignis, quia urit, dicitur ab eis simpliciter malus: & aqua, quia suffocat, et sic de aliis. Unde quia nihil istorum sensibilium est simpliciter bonum, sed aliqualiter malum, et deficiens, dixerunt, quod visibilia omnia non sunt facta a Deo bono, sed a malo. Contra hos ponit Augustinus tale exemplum. Si aliquis intraret domum fabri, et inveniret instrumenta, ad quae impingeret, et laederent eum, et ex hoc reputaret illum fabrum malum, quia tenet talia instrumenta, stultus esset, cum faber ea teneat ad opus suum: ita stultum est dicere, quod per hoc creaturae sint malae, quia sunt in aliquo nocivae: nam quod uni est nocivum, alteri est utile. Hic autem error est contra fidem Ecclesiae; et ideo ad hunc removendum, dicitur: *Visibilium omnium, & invisibilium.* Gen. 1. *In principio creavit Deus caelum, & terram.* Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Secundus est error ponentium mundum ab aeterno, secundum quem modum loquitur Petrus dicens, 2. Pet. 3. *Ex quo patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturae.* Et isti ducti sunt ad hanc positionem, quia nescierunt considerare principium mundi. Unde, sicut Rabbi Moyses dicit, istis contingit sicut puero, qui si statim, cum nascitur, poneretur in insula, et numquam videret mulierem praegnantem, nec puerum nasci, et diceretur isti puero, quando magnus esset, qualiter homo concipitur, portatur in utero, et nasci-

2. Ponentium mundum aetern.

nascitur, nulli crederet sibi dicenti, quia impossibile sibi videretur, quod homo posset esse in utero matris. Sic isti considerantes statum mundi praesentem, non credunt, quod incoeperit. Est etiam hoc contra fidem Ecclesiae. Et ideo ad hoc removendum dicitur: *Factorem caeli & terrae*. Si enim fuerunt facta, constat, quod non semper fuerunt. Et ideo dicitur in Psal. 148. *Dixit, & facta sunt*. Tertius est error ponentium, Deum fecisse mundum ex praejacenti materia; et ad hoc ducti sunt, quia voluerunt metiri potentiam Dei secundum potentiam nostram. Et ideo, quia homo nihil potest facere, nisi ex praejacenti materia, crediderunt, quod eodem modo & Deus. Unde dixerunt, quod in productione rerum habuit materiam praejacentem. Sed hoc non est verum. Nam homo ideo nihil potest facere sine praejacenti materia, quia est factor particularis, et non potest inducere, nisi hanc formam in determinata materia ab aliquo praesupposita. Cujus ratio est, quia virtus sua est determinata ad formam tantum; et ideo non potest esse causa nisi hujus formae. Deus autem est universalis causa omnium rerum, et non solum creat formam, sed etiam materiam. Unde et de nihilo omnia fecit. Et ideo ad removendum hunc errorem, dicitur: *Creatorem caeli, & terrae*. In hoc enim differunt creare, et facere: quia creare, est de nihilo aliquid facere, facere autem, est de aliquo aliquid facere. Si ergo ex nihilo fecit, credendum est, quod iterum posset omnia facere, si destruerentur. Unde potest caecum illuminare, mortuum suscitare, & cetera ope-

3. Ponentium materiam aeternam.

opera miraculosa facere: Sap. 12. *Subest enim tibi, cum volueris, posse*. Ex hujusmodi autem consideratione homo dirigitur ad quinque. Primo, ad cognitionem divinae majestatis. Nam factor praeeminet factis. Unde quia Deus est factor omnium rerum, constat, eum eminentiorem omnibus rebus: Sap. 13. *Quorum & si specie delectati Deos putaverunt, sciant, quanto his dominator eorum speciosior est. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, & intelligant ab illis, quoniam, qui haec fecit, fortior est illis*. Et inde est, quod quicquid potest intelligi, vel cogitari, minus est ipso Deo: Job. 36. *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram*. Secundo ex hoc dirigitur ad gratiarum actionem; quia enim Deus est creator omnium rerum, certum est, quod quicquid sumus, & quicquid habemus, a Deo est: Apostolus 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* Psal. 23. *Domini est terra, & plenitudo ejus* &c. Et ideo debemus ei reddere gratiarum actiones: Psal. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?* Tertio inducitur ad patientiam in adversis. Nam licet omnis creatura sit a Deo, & ex hoc sit bona secundum suam naturam, tamen si in aliquo noceat, & inferat nobis poenam, debemus credere, quod illa poena sit a Deo, non tamen culpa, quia nullum malum est a Deo, nisi quod ordinatur ad bonum. Et ideo si omnis poena, quam homo suffert, est a Deo, debet patienter sustinere. Nam poenae purgant peccata, humiliant reos, provocant bonos ad amorem Dei: Job. 2. *Si bona suscepimus de manu Domini, mala au-*

Cogitans creationem fertur 1. Ad cognoscendum Dei majestat.

2. Ad gratias agendum.

3. Ad sustinenda mala.

la autem quare non sustineamus? Quarto inducimur ad recte utendum rebus creatis. Nam creaturis debemus uti ad hoc, ad quod factae sunt a Deo. Sunt autem factae ad duo, scilicet ad gloriam Dei, qui *universa propter semetipsum*, idest ad gloriam suam, *operatus est Dominus*, ut dicitur Proverbior. 16; & ad utilitatem nostram: Deuteron. 4. *Quae fecit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus*. Debemus ergo uti rebus ad gloriam Dei, ut scilicet in hoc placeamus Deo, & ad utilitatem nostram, ut scilicet ipsis utendo, non committamus peccatum: 1. Paralip. 29. *Tua sunt omnia, & quae de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Quicquid ergo habes, sive scientiam, sive pulchritudinem, totum debes referre, & uti eo ad gloriam Dei. Quinto, ducimur ex hoc in cognitionem dignitatis humanae. Deus enim omnia fecit propter hominem, sicut dicitur in Psal. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*: & homo magis est similis Deo inter creaturas post Angelos. Unde dicitur Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Hoc quidem non dixit de caelo, sive de stellis, sed de homine; non autem quantum ad corpus, sed quantum ad animam, quae est liberam voluntatem habens & incorruptibilis, in quo magis assimilatur Deo, quam ceterae creaturae. Debemus ergo considerare, hominem post Angelos digniorem esse ceteris creaturis, & nullo modo dignitatem nostram diminuere propter peccata, & propter inordinatum appetitum rerum corporalium, quae viliores sunt nobis, & ad servitium nostrum

4. Ad recte utendum creaturis.

5. Ad hum. dignit. cognoscendum.

Dignitas hominis.

strum factae: sed eo modo debemus nos habere, quo Deus fecit nos. Deus enim fecit hominem, ut praeesset omnibus, quae sunt in terra, & ut subsit Deo. Debemus ergo dominari, & praeesse rebus, Deo autem subesse, obedire, ac servire; & ex hoc perveniemus in fruitionem Dei, quod nobis praestare &c.

ET *in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum*. Non solum est necesse christianis, unum Deum credere, & hunc esse Creatorem caeli, & terrae, & omnium; sed etiam necesse est, ut credant, quod Deus est Pater, & quod Christus sit verus Filius Dei. Hoc autem, sicut dicit beatus Petrus in canonica sua, 2. Pet. 1. non est fabulosum, sed certum, & probatum per verbum Dei in monte ∫. Unde dicit ibidem: *Non enim doctas fabulas secuti, notam facimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem, & praescientiam; sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite: & hanc vocem nos audivimus de caelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto*. Ipse etiam Christus Jesus in pluribus locis vocat Deum Patrem suum, & se dicit Filium Dei. Et Apostoli, & sancti patres posuerunt inter articulos fidei, quod Christus est Filius Dei, dicentes: *Et in Jesum Christum Filium ejus*, scilicet Dei, supple, credo. Sed aliqui haeretici fuerunt, qui hoc perverse crediderunt. Photinus enim dicit, quod Christus non est aliter Filius Dei, quam

Christus verus Dei Filius.

1. Error Photini.

quam boni viri, qui bene vivendo merentur dici Filii Dei per adoptionem, faciendo Dei voluntatem: & ita Christus, qui bene vixit, & fecit Dei voluntatem, meruit dici Filius Dei. Et voluit, quod Christus non fuerit ante beatam Virginem, sed tunc incoepit, quando ex ea conceptus est. Et sic in duobus erravit. Primo, in hoc, quod non dixit eum verum Filium Dei secundum naturam. Secundo, quod dixit eum secundum totum suum esse ex tempore incoepisse; cum fides nostra teneat, quod Filius sit Dei per naturam, & quod ab aeterno sit. Et de his habemus expressas authoritates contra eum in sacra Scriptura. Nam contra primum dicitur, quod sit non filius solum, sed etiam unigenitus: Joan. 1. *Unigenitus, qui est in sinu Patris*. Contra secundum: Joan. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum*. Constat autem, quod Abraham ante beatam Virginem fuit: & ideo sancti Patres addiderunt in alio Symbolo contra primum: *Filium Dei unigenitum*. Contra secundum: *Et ex Patre natum ante omnia saecula*. Sabellius vero licet diceret, quod Christus fuit ante beatam Virginem, dixit tamen, quod non est alia persona Patris, alia Filii, sed ipse Pater est incarnatus: & ideo eadem est persona Patris, & Filii. Sed hoc est erroneum, quia aufert Trinitatem personarum, & contra hoc est authoritas Joan. 8. *Solus non sum, sed ego, & qui misit me, Pater*. Constat autem, nullum a se mitti. Sic ergo mentitur Sabellius. Et ideo in Symbolo Patrum additur: *Deum de Deo, lumen de lumine*, idest Deum Filium de Deo

Alter ejusd.

2. Sabellii.

Patre, & Filium, qui est lumen, de lumine Pa-
3. Arrii. tre esse, credere debemus. Arrius autem licet diceret, quod Christus fuerit ante beatam Virginem, & quod alia fuerit persona Patris, alia Filii, tamen tria attribuit Christo. Primum est,
Alter ejusd. quod Filius Dei fuit creatura. Secundum est, quod non ab aeterno; sed ex tempore factus a
Alter ejusd. Deo nobilissima creaturarum. Tertium est, quod non fuerit unius naturae Deus Filius cum Deo Patre: & sic, quod non fuerit verus Deus. Sed hoc similiter est erroneum, & contra authoritates sacrae Scripturae. Dicitur enim Joan. 10. *Ego, & Pater unum sumus*, scilicet in natura. Et ideo, sicut Pater fuit semper, ita & Filius: et sicut Pater est verus Deus, ita et Filius. Ubi ergo dicitur ab Arrio, Christum fuisse creaturam; e contra dicitur in Symbolo a Patribus: *Deum verum de Deo vero*. Ubi autem dicitur, eum non fuisse ab aeterno, sed ex tempore; e contra in Symbolo dicitur: *Genitum, non factum*. Contra illud vero, quod dicitur, eum non esse ejusdem substantiae cum Patre, additur in Symbolo: *Consubstantialem Patri*. Patet ergo, quod credere debemus, quod Christus unigenitus Dei est, et vere Filius Dei: et quod semper fuerit cum Patre: et quod alia est persona Filii, alia Patris: et quod unius est naturae cum Patre. Sed hoc credimus hic per fidem, cognoscemus autem in vita aeterna per perfectam visionem.

Et ideo ad consolationem nostram dicemus aliquid de his. Sciendum est igitur, quod diversa diversum modum generationis habent.

Gene-

Generatio divini Verbi exponitur.

Generatio autem Dei alia est, quam generatio aliarum rerum, Unde non possumus attingere ad generationem Dei, nisi per generationem ejus, quod in creaturis magis accedit ad similitudinem Dei. Nihil est autem Deo ita simile, sicut anima hominis, ut dictum est. Modus autem generationis in anima est, quia homo cogitat per animam suam aliquid, quod vocatur conceptio intellectus. Et hujusmodi conceptio oritur ex anima, sicut ex patre, & vocatur verbum intellectus, sive hominis. Anima igitur cogitando generat verbum suum. Sic & Filius Dei nihil est aliud, quam Verbum Dei, non sicut verbum exterius prolatum, quia illud transit, sed sicut verbum interius conceptum. Et ideo ipsum Verbum Dei est unius naturae cum Deo, & aequale Deo. Unde & beatus Joannes de Verbo Dei loquens, tres haereses destruxit. Primo, haeresim Photini, quae tacta est, cum dicit: *In principio erat Verbum*. Secundo, Sabellii, cum dicit: *Et Verbum erat apud Deum*. Tertio, Arrii, cum dicit: *Et Deus erat Verbum*. Verbum autem aliter est in nobis; & aliter in Deo. In nobis enim verbum nostrum est accidens; sed in Deo Verbum Dei est idem, quod ipse Deus; cum nihil sit in Deo, quod non sit essentia Dei. Nullus autem potest dicere, quod Deus non habeat Verbum; quia contingeret, Deum esse insipientissimum. Et ideo sicut fuit semper Deus, ita & Verbum ejus. Sicut autem artifex facit omnia per formam, quam praecogitavit in corde suo, quod est verbum eius: ita & Deus omnia facit Verbo suo, sicut

per artem suam: Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*. Si ergo Verbum Dei est Filius Dei, & omnia Dei verba sunt similitudo quaedam istius Verbi; debemus primo libenter audire verba Dei. Hoc est enim signum quod diligamus Deum, si verba illius libenter audimus. Secundo debemus credere verbis Dei, quia ex hoc Verbum Dei habitat in nobis, idest Christus, qui est Verbum Dei. Apostolus Eph. 3. *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris*. Joan. 5. *Verbum Dei non habetis in vobis manens*. Tertio, oportet, quod verbum Dei in nobis manens continue meditemur; quia non solum oportet credere, sed meditari, aliter non prodesset. Et hujusmodi meditatio valet multum contra peccatum: Psal. 118. *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi*. Et iterum de viro justo dicitur Ps. 1. *In lege ejus meditabitur die, ac nocte*. Unde de beata Virgine dicitur Luc. 2. quod *conservabat omnia verba haec conferens in corde suo*. Quarto, oportet quod homo verbum Dei communicet aliis, commonendo, praedicando, & inflammando. Apostolus Eph. 4. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad aedificationem*. Idem Colos. 3. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia docentes, & commonentes vosmetipsos*. Idem 2. Tim. 4. *Praedica verbum, insta opportune, importune* &c. Ultimo, verbum Dei debet executioni mandari: Jac. 1. *Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos*. Ista quinque servavit per ordinem beata Maria in generatione Verbi Dei ex se. Pri-

Verba Dei audienda.

Fide tenenda.

Meditatione fovenda.

Aliis tradenda.

Executioni mandanda.

Primo enim audivit: *Spiritus sanctus superveniet in te*. Secundo, consensit per fidem: *Ecce ancilla Domini*. Tertio, tenuit, & portavit in utero. Quarto, protulit, & peperit eum. Quinto, nutrivit, & lactavit eum. Unde Ecclesia cantat: *Ipsum Regem Angelorum sola Virgo lactabat ubere de caelo pleno*. B. Virgo ista servavit.

Qui conceptus est de Spiritu sancto; natus ex Maria Virgine. Non solum est necessarium credere Christiano Filium Dei, ut ostensum est, sed etiam oportet credere Incarnationem ejus. Et ideo beatus Joannes postquam dixerat multa subtilia, & ardua, consequenter insinuat nobis ejus incarnationem, cum dicit: *Et Verbum caro factum est*. Et ut de hoc aliquid capere possimus, duo exempla ponam in medium. Constat, quod Filio Dei nihil est ita simile, sicut verbum in corde nostro conceptum, non prolatum. Nullus autem cognoscit verbum, dum est in corde hominis, nisi ille, qui concipit: sed tunc primo cognoscitur, cum profertur. Sic Verbum Dei, dum erat in corde Patris, non cognoscebatur, nisi a Patre tantum; sed carne indutum, sicut verbum voce, tunc primo manifestum, & cognitum est: Baruc. 3. *Post haec in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*. Aliud exemplum est, quia licet verbum prolatum cognoscatur per auditum, tamen non videtur, nec tangitur; sed cum scribitur in charta, tunc videtur, & tangitur. Sic & Verbum Dei: & visibile, & tangibile factum est, cum in carne nostra fuit quasi scriptum. Et sicut charta, in qua verbum regis scriptum est, dicitur verbum regis; ita ho-

Christi Incarnatio.

Exemplo explicatur.

Alio exemplo.

homo, cui conjunctum est Verbum Dei in una hypostasi, dicitur Filius Dei: Isa. 8. *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis*. Et ideo sancti Apostoli dixerunt: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine*. In quo quidem multi erraverunt. Unde & sancti Patres in alio symbolo in synodo Nicena multa addiderunt, per quae nunc omnes errores

1. Error. Origenis. destruuntur. Origenes enim dixit, quod Christus est natus, & etiam venit in mundum, ut etiam salvaret daemones. Unde dixit, daemones omnes esse salvandos in fine mundi. Sed hoc est contra sacram Scripturam. Dicitur enim Matth. 25. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus*. Et ideo ad hoc removendum additur: *Qui propter nos homines*, non propter daemones, *& propter nostram salutem*: in quo qui-

2. Photini. dem magis apparet amor Dei ad nos. Photinus vero voluit, quod Christus natus esset de beata Virgine, sed addit, quod esset purus homo, qui vivendo, & faciendo voluntatem Dei, meruit Filius Dei fieri, sicut & alii sancti. Contra quod dicitur Joan. 6. *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*. Constat autem, quod non descendisset nisi ibi fuisset; & si fuisset purus homo, non fuisset in caelo. Et ideo ad hoc removendum ad-

3. Manich. ditur: *Descendit de caelis*. Manichaeus vero dixit, quod licet Filius Dei fuerit semper, & descenderit de caelo, tamen non habuit veram carnem, sed apparentem. Sed hoc est falsum. Non enim decebat doctorem veritatis, aliquam falsi-

falsitatem habere. Et ideo, sicut ostendit veram carnem, sic habuit. Unde dixit Lucae 24. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Et ideo ad hoc removendum, addiderunt: *Et incarnatus est*. Ebion vero, qui fuit genere Judaeus, dixit, quod Christus natus est de beata Virgine, sed ex commistione viri, & ex virili semine. Sed hoc est falsum, quia Angelus dixit Matth. 1. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Et ideo sancti Patres ad hoc removendum addiderunt: *De Spiritu sancto*. Valentinus autem licet confiteretur, quod Christus conceptus fuerit de Spiritu sancto, voluit tamen, quod Spiritus sanctus portaverit unum corpus caeleste, & posuerit in beata Virgine: & hoc fuit corpus Christi. Unde nihil aliud operata est beata Virgo, nisi quod fuit locus ejus. Unde dixit, quod illud corpus transivit per beatam Virginem, sicut per aquaeductum. Sed hoc est falsum. Nam Angelus dixit ei Luc. 1. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*. Et Apostolus Galat. 4. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere*. Et ideo addiderunt: *Natus ex Maria Virgine*. Arrius vero, & Apollinaris dixerunt, quod licet Christus fuerit Verbum Dei, & natus ex Maria Virgine, tamen non habuit animam, sed loco animae fuit ibi divinitas. Sed hoc est contra Scripturam; quia Christus dixit Joan 12. *Nunc anima mea turbata est*. Et iterum Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Et ideo sancti Patres ad hoc removendum addiderunt: *Et homo*

4. Ebionis.

5. Valentini.

6. Arrii, & Apollinaris.

homo factus est. Homo enim ex anima, & corpore consistit. Unde verissime habuit omnia, quae homo habere potest, praeter peccatum. In hoc autem quod dicitur, *Homo factus*, destruuntur omnes errores superius positi, & omnes alii, qui

7. Entychetis. dici possent, & praecipue error Eutychetis, qui dixit commistionem factam; scilicet ex divina natura, & humana factam unam naturam Christi, quae nec Deus pure est, nec purus homo. Sed hoc est falsum, quia tunc non esset homo. Et est etiam contra hoc, quod dicitur, quod *homo*

8. Nestorii. *factus est*. Destruitur etiam error Nestorii, qui dixit, Filium Dei unitum esse homini solum per inhabitationem. Sed hoc est falsum, quia tunc non esset homo, sed in homine. Et quod sit homo, patet per Apostolum Philip. 2. *Et habitu inventus ut homo*. Joan. 8. *Quid quaeritis me interficere, hominem?* &c.

Ex incarnat. 1. Firmatur nostra Fides. Possumus autem sumere ex his aliqua ad eruditionem. Primo enim confirmatur fides nostra. Si enim aliquis diceret aliqua de aliqua terra remota, & ipse non fuisset ibi, non crederetur ei, sicut si ibi fuisset. Antequam ergo veniret Christus in mundum, Patriarchae, & Prophetae, & Joannes Baptista dixerunt aliqua de Deo: sed tamen non ita crediderunt eis homines, sicut Christo, qui fuit cum Deo, immo unum cum ipso. Unde multum firma est fides nostra ab ipso Christo nobis tradita: Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam, unigenitus Filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit*. Et inde est, quod multa fidei secreta sunt manifesta nobis post adventum Christi, quae ante occulta erant.

erant. Secundo, ex iis elevatur spes nostra. Constat enim, quod Dei filius non pro parvo ad nos venit, sumens carnem nostram, sed pro magna utilitate nostra. Unde fecit quoddam commercium, scilicet quod assumpsit corpus animatum, & de Virgine nasci dignatus est, ut nobis largiretur suam deitatem, & sic factus est homo, ut hominem faceret Deum: Rom. 5. *Per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, & gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.* Tertio, ex hoc accenditur caritas. Nullum enim est tam evidens divinae caritatis indicium, quam quod Deus creator omnium factus est creatura; Dominus noster factus est frater noster; filius Dei factus est filius hominis: Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Et ideo ex hujus consideratione amor reaccendi debet, & inflammari ad Deum. Quarto, inducimur ad servandam puram animam nostram. In tantum enim natura nostra fuit nobilitata, & exaltata ex conjunctione ad Deum, quod fuit ad consortium divinae personae suscepta. Unde Angelus post incarnationem noluit sustinere, quod beatus Joannes adoraret eum, quod ante sustinuerat etiam a maximis Patriarchis. Ideo homo hujus exaltationem recolens, & attendens, debet dedignari vilificare se, & naturam suam per peccatum. Ideo dicit beatus Petrus, 2. Petri 1. *Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hoc efficiamur divinae consortes naturae, fugientes ejus, quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem.* Quinto, ex his inflammatur desiderium nostrum ad pervenien-dum

2. Elevatur spes.

3. Accenditur caritas.

4. Servatur puritas animae

5. Inflamatur desiderium ad Christ

dum ad Christum. Si enim aliquis rex esset frater alicujus, & esset remotus ab eo, desideraret ille, cujus frater esset rex, ad eum venire, & apud eum esse, & manere. Unde cum Christus sit frater noster, debemus desiderare, esse cum eo, & conjungi ei: Matth. 24. *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilae*. Et Apostolus desiderium habebat *dissolvi, & esse cum Christo*: quod quidem desiderium crescit in nobis considerando incarnationem ejus.

P*Assus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus*. Sicut necessarium est Christiano, quod credat incarnationem Filii Dei, ita necessarium, est quod credat passionem ejus, & mortem: quia sicut dicit Gregor. *Nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset*. Hoc autem, scilicet quod Christus pro nobis est mortuus, ita est arduum, quod vix potest intellectus noster capere: immo nullo modo cadit in intellectu nostro. Et hoc est, quod dicit Apostolus Actuum 13. *Opus operor ego in diebus vestris, opus, quod non credetis, si quis enarraverit vobis*. Et Abacuch. 1. *Opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cum narrabitur*. Tanta est enim gratia Dei, & amor ad nos, quod plus ipse fecit nobis, quam possumus intelligere. Non tamen debemus credere, quod Christus ita sustinuerit mortem, quod deitas mortua sit; sed quod humana natura in ipso mortua sit. Non enim mortuus est secundum quod Deus erat, sed secundum quod homo: & hoc patet per tria exempla. Unum est in nobis. Constat enim, quod cum homo moritur, in separatione animae a corpore non moritur anima, sed

Christi passio, & mors.

Ad humanitatem referenda.

sed ipsum corpus, seu caro: sic & in morte Christi non est mortua divinitas, sed natura humana. Sed si Judaei non occiderunt divinitatem, videtur, quod non magis peccaverunt, quam si occidissent unum alium hominem. Ad hoc est dicendum, quod dato, quod rex esset indutus una veste, si quis inquinaret vestem illam, tantum reatum incurreret, ac si ipsum regem inquinasset. Judaei licet non possent Deum interficere, tamen humanam naturam a Christo assumptam occidentes, sunt tantum puniti, ac si ipsam divinitatem occidissent. Item, sicut dictum est superius, filius Dei est Verbum Dei, & Verbum Dei incarnatum est, sicut verbum regis scriptum in charta. Si igitur aliquis dilaniaret chartam regis haberetur ac si dilaniaret verbum regis: pro tanto habetur peccatum Judaeorum, ac si occidissent Verbum Dei.

Judaeorum Christum scelus.

Sed quae necessitas, ut Verbum Dei pateretur pro nobis? Magna: & potest colligi duplex necessitas. Una est ad remedium contra peccata. Alia est ad exemplum quantum ad agenda. Ad remedium quidem, quia contra omnia mala, quae incurrimus per peccatum, invenimus remedium per passionem Christi. Incurrimus autem quinque mala. Primo, maculam. Homo enim cum peccat, deturpat animam suam; quia sicut virtus animae est pulchritudo ejus, ita peccatum est macula ejus: Baruc. 3. *Quid est Israel, quod in terra inimicorum es, coinquinatus es cum mortuis?* Sed hoc removet passio Christi. Nam Christus sua passione fecit balneum in sanguine suo, quo peccatores lavaret: Apocalyp. 1. *Lavit*

Mors Chr. 1. in remedium peccator.

Lavando maculam.

vit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Lavatur autem anima sanguine Christi in baptismo, qui ex Christi sanguine virtutem habet regenerativam. Et ideo cum aliquis se inquinat per peccatum, facit Christo injuriam, & magis peccat, quam ante: Hebr. 10. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit?* Secundo, incurrimus offensam Dei. Nam sicut carnalis diligit carnalem pulchritudinem, ita Deus spiritualem, quae est pulchritudo animae. Quando ergo anima per peccatum inquinatur, Deus offenditur, & odio habet peccatorem: Sapien. 14. *Odio sunt Deo impius, &*

Remittendo offensam.

impietas ejus. Sed Christi passio hoc removet, qui Deo Patri satisfecit pro peccato, pro quo ipse homo satisfacere non poterat, cujus caritas fuit major, & obedientia, quam peccatum primi hominis, & praevaricatio: Ro. 5. *Cum inimici essemus Deo, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus*. Tertio, incurrimus in infirmitatem. Nam homo semel peccando, credit postmodum a peccato posse continere. Sed totum contrarium accidit; quia per primum peccatum debilitatur, & fit pronior ad peccandum, & peccatum magis dominatur homini, & homo quantum de se est, ponit se in tali statu, ut non surgat, sicut qui in puteum se projicit, nisi ex divina virtute. Unde post quam homo peccavit, natura nostra fuit

Sanando infirmitatem.

debilitata, & corrupta, & tunc homo fuit pronior ad peccandum. Sed Christus hanc infirmitatem,

tem, & debilitatem diminuit, licet non totam deleverit. Tamen ita est homo ex Christi passione confortatus: & peccatum debilitatum, quod non tantum dominatur ei, & potest homo conari adjutus gratia Dei, quae confertur sacramentis, quae ex Christi passione efficaciam habent, ita quod potest resilire a peccatis. Apost. Rom. 6. *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati*. Nam ante passionem Christi pauci inventi sunt sine peccato mortali viventes; sed post, sine peccato mortali multi vixerunt & vivunt. Quarto, incurrimus reatum poenae: hoc enim exigit justitia Dei, ut quicumque peccat, puniatur. Poena autem pensatur ex culpa. Unde cum culpa peccati mortalis sit infinita, utpote contra bonum infinitum, scilicet Deum, cujus praecepta peccator contemnit, poena debita peccato mortali est infinita. Sed Christus per suam passionem abstulit nobis poenam hanc, & sustinuit ipse: 1. Pet. 2. *Peccata nostra*, id est, poenam peccati, *pertulit in corpore suo*. Nam passio Christi fuit tantae virtutis, quod sufficit ad expiandum omnia peccata totius mundi, etiam si essent centum millia. Et inde est, quod baptizati ab omnibus peccatis lavantur. Inde est etiam, quod Sacerdos peccata dimittit. Inde est etiam, quod quicumque magis passioni Christi se conformat, majorem consequitur veniam, & plus meretur de gratia.

Auferendo poenam,

Quinto incurrimus exilium regni. Nam qui offendunt reges, exulare coguntur a regno; sic & homo propter peccatum expellitur de Paradiso. Inde est quod Adam statim post peccatum *est*

Aperiendo Caelum.

ejectus de Paradiso, & clausa est janua Paradisi. Sed Christus sua passione januam illam aperuit, & ad regnum exules revocavit. Aperto enim latere Christi, aperta est janua Paradisi, & fuso sanguine ejus, deleta est macula, placatus est Deus, ablata est debilitas, expiata est poena, exules revocantur ad regnum. Et inde est, quod statim latroni dicitur: *Hodie mecum eris in Paradiso*: hoc non est dictum olim. Non enim dictum fuit alicui, non Adae, non Abrahae, non David; sed hodie, scilicet quando aperta est janua, latro veniam petit, & invenit: Hebr. 10. *Habentes fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi*. Sic ergo patet utilitas ex parte remedii.

Chr. mors 2. In exemplum.

Sed non minor est utilitas quantum ad exemplum. Nam, sicut dicit beatus Augustinus, passio Christi sufficit ad informandum totaliter vitam nostram. Quicumque enim vult perfecte vivere, nihil aliud faciat, nisi quod contemnat, quae Christus in cruce contempsit, & appetat, quae Christus appetiit. Nullum enim exemplum virtutis abest a cruce. Si enim quaeras exemplum caritatis, *Majorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, Joan. 15. & hoc in cruce fecit Christus. Et ideo si pro nobis animam suam dedit, non debet nobis esse grave, quaecumque mala sustinere pro ipso: Ps. 115, *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi*? Si quaeris exemplum patientiae, excellentissima in cruce invenitur. Patientia enim ex duobus magna ostenditur: aut cum quis magna patienter suffert, aut cum ea suffert, quae

Caritatis.

Patientiae.

quae vitare posset, & non vitat. Christus autem magna in cruce pertulit: Threnorum 1. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor, sicut dolor meus*. Et patienter, quia *cum pateretur, non comminabatur*: 1. Petr. 2. Et Isa. 53. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obtumescet*. Item vitare potuit, & non vitavit: Matth. 26. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Magna est ergo Christi patientia in cruce: Hebraeor. 12. *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Jesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta*. Si quaeris exemplum humilitatis, respice crucifixum. Nam Deus judicari voluit sub Pontio Pilato, & mori: Job. 36. *Causa tua quasi impii judicata est*. Vere impii, quia *morte turpissima condemnemus eum*, Sap. 2. Dominus pro servo, & vita Angelorum pro homine mori voluit: Phil. 2. *Factus est obediens usque ad mortem*. Si quaeris exemplum obedientiae, sequere eum, qui factus est obediens Patri usque ad mortem: Rom. 5. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituentur multi*. Si quaeris exemplum contemnendi terrena, sequere eum, qui est *Rex Regum, & Dominus dominantium, in quo sunt thesauri sapientiae*, crucem amen nudatum, illusum, consputum, caesum, spinis coronatum, & felle, & aceto potatum, & mortuum. Igitur non afficiaris ad vestes, & ad di-

Humilitatis.

Obedientiae

Contemptus terrenorum.

divitias, quia *diviserunt sibi vestimenta mea*: non ad honores, quia ego *ludibria, & verbera expertus sum*: non ad dignitates, quia *plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti meo*: non ad delicias, quia *in siti mea potaverunt me aceto.* Augustinus supra illud Hebr. 12. *Qui posito sibi gaudio* &c. dicit, *Omnia bona terrena contempsit homo Christus Jesus, ut contemnenda monstraret.*

DEscendit ad inferos. Sicuti dictum est, mors Christi fuit in separatione animae a corpore, sicut & aliorum hominum: sed divinitas ita insolubiliter juncta fuit homini Christo, quod licet anima, & corpus separarentur ab invicem, ipsa tamen deitas perfectissime semper & animae, & corpori affuit: & ideo in sepulchro cum corpore fuit filius Dei, & ad inferos cum anima descendit. Sunt autem quatuor rationes, quare Christus cum anima ad infernum descendit. Prima, ut sustineret totam poenam peccati, ut sic totam culpam expiaret. Poena autem peccati hominis non solum erat mors corporis; sed etiam erat poena in anima, quia etiam peccatum erat quantum ad animam, quia etiam ipsa anima puniebatur quantum ad carentiam visionis divinae, pro qua abolenda nondum satisfactum erat. Et ideo post mortem descendebant omnes, etiam sancti patres, ante Christi adventum, ad infernum. Ut ergo Christus sustineret totam poenam peccatoribus debitam, voluit non solum mori, sed etiam secundum animam ad infernum descendere. Unde Psal. 87. *Aestimatus sum cum descendentibus in lacum. Factus sum sicut homo sine adju-*

Descendit ad inferos 1. Ut ferret totam poenam peccati.

adjutorio inter mortuos liber. Alii enim erant ibi ut servi, sed Christus ut liber. Secunda ratio est, ut perfecte subveniret suis amicis omnibus. Habebat enim amicos suos non solum in mundo, sed etiam in inferno. In hoc enim sunt aliqui amici Christi, in quantum habent caritatem: in inferno autem multi erant, qui cum caritate, & fide venturi decesserant, sicut Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, David, & alii justi, & perfecti viri. Et quia Christus suos visitaverat in mundo, & eis subvenerat per mortem suam, voluit etiam visitare suos, qui erant in inferno, & subvenire eis descendendo ad eos: Ecclesiast. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terrae, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino*. Tertia vero ratio est, ut perfecte de diabolo triumpharet. Tunc enim perfecte triumphat aliquis de aliquo, quando non solum vincit eum in campo, sed etiam invadit eum usque in domum propriam, & aufert ei sedem regni, & domum suam. Christus autem triumphaverat contra diabolum, & in cruce vicerat eum: unde ait Joan. 12. *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi*, scilicet diabolus, *ejicietur foras*. Et ideo ut perfecte triumpharet, voluit auferre sedem regni sui, & ligare eum in domo sua, quae est infernus. Et ideo descendit illuc, & diripuit omnia sua, & ligavit eum, & abstulit ei praedam suam: Coloss. 2. *Expolians principatus, & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*. Similiter etiam, quia potestatem, & possessionem acceperat Christus caeli, & ter-

2. Ut subveniret suis.

3. Ut de diabolo perfecte triumpharet.

rae, voluit etiam possessionem accipere inferni, ut sic secundum Apostolum ad Philipp. 2. *In nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, & infernorum.* Marc. ult. *In nomine meo daemonia ejicient* &c. Quarta ratio & ultima est, ut liberaret sanctos, qui erant in inferno. Christus enim, sicut voluit pati mortem, ut liberaret viventes a morte: ita etiam voluit descendere ad infernum, ut liberaret eos, qui erant ibi: Zach. 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Oseae 13. *Ero mors tua, o mors, ero morsus tuus, inferne.* Licet enim mortem totaliter destruxerit Christus, infernum tamen non omnino dextruxit, sed momordit: quia scilicet non omnes liberavit de inferno, sed illos tantum, qui erant sine peccato mortali. Et similiter sine peccato originali. A quo, quantum ad personam, liberati erant per circuncisionem: vel ante circuncisionem, qui salvati erant in fide parentum fidelium, quantum ad eos, qui non habebant usum rationis: vel per sacrificia, & in fide Christi venturi, quantum ad adultos. Sed erant ibi propter peccatum originale Adae, a quo, quantum ad naturam, non potuerunt liberari, nisi per Christum. Et ideo dimisit ibi illos, qui descenderunt cum peccato mortali, & incircumcisos parvulos. Et ideo dicit: *Ero morsus tuus, inferne.* Sic ergo patet, quod Christus descendit ad inferos, & propter quid.

4. Ut sanctos liberaret.

Qui in inferno remanserint.

Ex iis ad instructionem nostram possumus accipere quatuor. Primo, spem firmam de Deo: nam quantumcumque homo sit in afflictione, semper tamen

Ejus descen. 1. firmat spem.

tamen debet ſperare de Dei adjutorio, & in eo confidere. Nihil enim ita grave invenitur, ſicut eſſe in inferno. Si ergo Chriſtus illos, qui erant in inferno, liberavit, multum debet quilibet, ſi eſt amicus Dei, confidere, ut liberetur ab eo a quacumque anguſtia: Sap. 10. *Haec*, ſcilicet ſapientia, *venditum juſtum non dereliquit, deſcenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum.* Et quia ſpecialiter Deus juvat ſervos ſuos, multum debet eſſe ſecurus ille, qui ſervit Deo: Eccl. 34. *Qui timet Deum, nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipſe eſt ſpes ejus.* Secundo, debemus concipere timorem, & propellere praeſumptionem. Nam licet Chriſtus paſſus ſit pro peccatoribus, & ad infernum deſcenderit, non tamen liberavit omnes, ſed illos tantum, qui ſine peccato mortali erant, ut dictum eſt. Illos vero, qui in mortali deceſſerant, dimiſit. Et ideo nullus, qui cum peccato mortali illuc deſcendit, ſperet veniam. Sed tantum in inferno erit, quantum ſancti patres in paradiſo, ſcilicet in aeternum: Matt. 25. *Ibunt hi in ſupplicium aeternum, iſti autem in vitam aeternam.* Tertio, debemus habere ſollicitudinem. Nam Chriſtus deſcendit ad inferos pro ſalute noſtra: & nos frequenter debemus ſolliciti eſſe, illuc deſcendere, conſiderando ſcilicet poenas illas, ſicut faciebat ille s. Ezechias, dicens, Iſa. 38. *Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi.* Nam qui illuc frequenter per cogitationem deſcendit in vita, non deſcendit de facili in morte, quia hujuſmodi conſideratio retrahit a peccato. Videmus enim, quod homines hujus mun-

2. Praeſumptionem tollitur.

3. Curam ſalutis tribuit.

mundi cavent ſibi a maleficiis propter temporalem poenam. Quanto ergo magis debent ſibi cavere propter poenam inferni, quae major eſt & quantum ad diuturnitatem, & quantum ad acerbitatem, & quantum ad multiplicitatem? Eccleſiaſt. 7. *Memorare noviſſima tua, & in aeternum non peccabis*. Quarto, provenit nobis ex hoc exemplum dilectionis. Chriſtus enim deſcendit ad inferos, ut liberaret ſuos. Et ideo debemus illuc deſcendere, ut ſubveniamus noſtris. Ipſi enim nihil poſſunt; & ideo debemus eis ſubvenire, qui ſunt in purgatorio. Nimis eſſet durus, qui non ſubveniret caro ſuo, qui eſſet in carcere terreno. Multo ergo magis eſt durus, qui non ſubvenit amico, qui eſt in purgatorio, cum nulla ſit comparatio poenarum mundi ad illas: Job. 19. *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me.* 2. Machab. 12. *Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*. Subvenitur autem eis praecipue per tria, ſicut dicit Auguſtinus, ſcilicet per Miſſas, orationes, & eleemoſynas. Gregorius addit quartum, ſcilicet jejunium. Nec eſt mirum, quia etiam in mundo iſto poteſt amicus ſatisfacere pro amico. Intelligendum eſt tamen hoc de illis, qui ſunt in purgatorio.

4. Excitat pietatem in mortuos.

Suffragia pro mortuis.

TErtia die reſurrexit a mortuis. Duo ſunt homini neceſſaria ad cognoſcendum: ſcilicet gloria Dei, & poena inferni. Nam per gloriam illecti, & per poenas territi, cavent ſibi homines, & retrahuntur a pecatis. Sed haec ſunt valde difficilia homini ad cognoſcendum. Unde

de de gloria dicitur Sap. 9. *Quae in caelis sunt, quis investigavit?* Et hoc quidem difficile est terrenis; quia, ut dicitur Joan. 3. *Qui de terra est, de terra loquitur*. Sed non est difficile spiritualibus; quia, *qui de caelo venit, super omnes est*, ut dicitur ibidem. Et ideo Deus de caelo descendit, & incarnatus est, ut doceret nos caelestia. Erat etiam difficile cognoscere poenas inferni: Sap. 2. *Non est, qui agnitus sit reversus ab inferis*. Et hoc dicitur in persona impiorum. Et hoc non potest modo dici: quia sicut descendit de caelo, ut doceret caelestia, ita resurrexit ab inferis, ut nos de inferis educeret. Et ideo necesse est, ut credamus, quod non solum homo factus est, & mortuus, sed quod resurrexit a mortuis. Et ideo dicitur: *Tertia die resurrexit a mortuis*. Invenimus autem, quod multi surrexerunt a mortuis, sicut Lazarus, & filius viduae, & filia Archisynagogi. Sed resurrectio Christi differt a resurrectione istorum, & aliorum in quatuor. Prîmo quantum ad causam resurrectionis, quia alii, qui surrexerunt, non surrexerunt sua virtute, sed vel Christi, vel ad preces alicujus Sancti. Christus vero resurrexit propria virtute, quia non solum erat homo, sed etiam Deus: & divinitas Verbi numquam separata fuit nec ab anima, nec a corpore. Et ideo corpus animam, & anima corpus, cum voluit, resumpsit: Joan. 10. *potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*. Et licet mortuus fuerit, hoc non fuit ex infirmitate, nec ex necessitate, sed virtute, quia sponte. Et hoc patet, quia, cum *emisit spiritum, clama-*

Resurrectio Chr. ab inf. eduxit nos.

Differt ab aliis resurr.

1. In causa.

vit

vit voce magna, quod alii morientes nequeunt; quia ex infirmitate moriuntur. Unde Centurio dixit Matth. 27. *Vere Filius Dei erat iste.* Et ideo sicut sua virtute posuit animam suam, ita sua virtute recepit eam. Et ideo dicitur, quia resurrexit, & non quod fuerit suscitatus, quasi ab alio: Psal. 3. *Ego dormivi, & soporatus sum, & exurrexi*. Nec est hoc contrarium ei, quod dicitur Act. 2. *Hunc Jesum resuscitavit Deus*. Nam & Pater resuscitavit eum, & Filius, quia eadem est virtus Patris, & Filii. Secundo, differt quan-
2. In vita. tum ad vitam, ad quam resurrexit. Quia Christus ad vitam gloriosam, & incorruptibilem: Apost. Rom. 6. *Christus resurrexit a mortuis per gloriam patris*: Alii vero ad eandem vitam, quam prius habuerant, sicut patet de Lazaro, & de
3. In fructu. aliis. Tertio, differt quantum ad fructum, & efficaciam, quia virtute resurrectionis Christi resurgunt omnes: Matth. 27. *Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*. Apost. 1. Corinth. 15. *Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium*. Sed vide, quod Christus per passionem pervenit ad gloriam: Luc. 24. *Nonne sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* ut doceat nos, qualiter ad gloriam pervenire possimus. Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*.
4. In tempore. Quarto differt quantum ad tempus, quia resurrectio aliorum differtur usque ad finem mundi, nisi aliquibus ex privilegio ante concedatur, ut beatae Virgini, &, ut pie creditur, beato Joanni Evangelistae. Sed Christus resurrexit tertia die. Cujus ratio est, quia resurrectio, & mors, & na-

& nativitas Christi fuit propter nostram salutem: & ideo tunc voluit resurgere, quando salus nostra perficeretur. Unde si statim resurrexisset, non fuisset creditum, quod fuisset mortuus. Item, si multum distulisset, discipuli non remansissent in fide, & sic nulla utilitas fuisset in passione sua: Psal. 29. *Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Et ideo die tertia resurrexit, ut crederetur mortuus, & ut discipuli fidem non amitterent.

Possumus autem ex iis quatuor ad nostram eruditionem accipere. Primo, ut studeamus resurgere spiritualiter a morte animae, quam incurrimus per peccatum, ad vitam justitiae, quae habetur per poenitentiam: Apostolus Eph. 5. *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus*. Et haec est resurrectio prima: Apoc. 20. *Beatus, qui habet partem in resurrectione prima*. Secundo, quod non differamus resurgere usque ad mortem, sed cito, quia Christus resurrexit tertia die: Eccles. 5. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem* &c. quia non poteris cogitare, quae pertinent ad salutem, infirmitate gravatus. Et quia etiam perdis partem omnium bonorum, quae fiunt in Ecclesia, & multa mala incurris ex perseverantia in peccato. Diabolus etiam quanto diutius possidet, tanto difficilius dimittit, ut dicit Beda. Tertio, ut resurgamus ad vitam incorruptibilem, ut scilicet non iterum moriamur, idest, in tali proposito, quod ultra non peccemus: Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur* &c. & infra. *Ita & vos existima-*

Nostra resurrectio esse debet. 1. spiritualis

2. Prompta.

3. Ad vitam incorruptib.

mate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus: sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete
4. Ad vitam novam. *vos Deo tamquam ex mortuis viventes.* Quarto, ut resurgamus ad vitam novam, & gloriosam, ut scilicet vitemus omnia, quae prius fuerant occasiones, & causa mortis, & peccati: Roman. 6. *Quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitae ambulemus.* Et haec nova vita est vita justitiae, quae innovat animam, & perducit ad vitam gloriae, Amen.

ASCENDIT ad Caelos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Post Christi resurrectionem oportet credere ejus Ascensionem, quia in caelum ascendit die quadragesima. Et ideo dicit: *Ascendit* &c. Circa quod debes notare tria.
Ascensio Chr. sublimis fuit Primo scilicet quod fuit Sublimis, Rationalis, & Utilis. Sublimis quidem fuit, quia ascendit ad
1. super omnes caelos. caelos. Et hoc tripliciter exponitur. Primo super omnes caelos corporeos: Apostolus Eph. 4. *Ascendit super omnes caelos.* Et hoc primo incoepit in Christo: nam antea corpus terrenum non erat nisi in terra, intantum ut etiam Adam
2. Super omnes spiritus. fuerit in Paradiso terrestri. Secundo, ascendit super omnes caelos spirituales, scilicet naturas spirituales: Ephes. 1. *Constituens Jesum ad dexteram suam in caelestibus super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro, & omnia subjecit sub pedibus ejus.* Tertio, ascendit
3. Usque ad sedem Patris. us-

usque ad sedem Patris: Daniel. 7. *Ecce cum nubibus caeli quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit.* Et Marc. ult. *Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in caelum, & sedet a dextris Dei.* Non autem accipitur in Deo dextera corporaliter, sed metaphorice: quia intantum Deus dicitur sedere ad dexteram patris, idest ad aequalitatem patris: inquantum homo sedet ad dexteram patris, idest, in potioribus bonis. Hoc autem affectavit diabolus: Isa. 14. *In caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum. Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo*: sed non pervenit nisi Christus. Ideo dicitur: *Ascendit in caelum, sedet ad dexteram patris.* Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.* Secundo, Christi ascensio fuit rationalis, quia ad caelos: & hoc propter tria. Primo, quia caelum debebatur Christo ex sua natura. Naturale enim est, ut unumquodque revertatur, unde trahit originem. Principium autem originis Christi est a Deo, qui est super omnia: Joan. 15. *Exivi a patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad patrem.* Joan. 3. *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo filius hominis, qui est in caelo.* Et licet sancti in caelum ascendant, non tamen sicut Christus, quia Christus sua virtute, sancti vero attracti a Christo: Cant. 1. *Trahe me post te.* Vel potest dici, quia nemo ascendit in caelum nisi Christus, quia sancti non ascendunt, nisi inquantum sunt membra Chri-

Rationalis fuit 1. ex natura.

Christi, qui est caput Ecclesiae: Matth. 24. *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilae*. Secundo, debebatur Christo caelum ex sua victoria. Nam Christus est in mundum missus ad pugnandum contra diabolum, & vicit eum, & ideo meruit exaltari super omnia: Apoc. 3. *Ego vici, & sedi cum patre meo in throno ejus*. Tertio, ex sui humilitate. Nulla enim humilitas est ita magna sicut humilitas Christi, qui cum esset Deus, voluit fieri homo, & cum esset Dominus, voluit *formam servi accipere, factus obediens usque ad mortem*, ut dicitur Phil. 2. & descendit usque ad infernum, & ideo meruit exaltari usque ad caelum ad sedem Dei. Nam humilitas via est ad exaltationem: Luc. 14. *Qui se humiliat, exaltabitur*. Eph. 4. *Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes caelos*. Tertio, Christi ascensio fuit utillis. Et hoc quantum ad tria. Primo, quantum ad ductum, nam ad hoc ascendit, ut nos duceret. Sicut resurrexit ut nos resurgere faceret, ita ascendit ut nos duceret. Nos enim nesciebamus viam, sed ipse ostendit: Mich. 2. *Ascendit iter pandens ante eos*. Et ut nos securos redderet de possessione regni caelestis: Joan. 14. *Vado parare vobis locum*. Secundo quantum ad securitatem: ad hoc enim ascendit ut interpellaret pro nobis: Hebr. 7. *Accedens per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis*. 1. Joan. 2. *Advocatum habemus apud patrem Jesum Christum*. Tertio ut ad se corda nostra traheret: Matth. 6. *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*. Ut contemnamus temporalia: Apost. Colos. 3. *Si consurrexistis cum*

2. Ex victoria.

3. Ex humilitate.

Utilis fuit 1. quia ducit nos.

2. Securos reddit.

3. Trahit ad caelum corda.

cum Christo, quae sursum sunt, quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quae sursum sunt sapite, non quae super terram.

INde venturus est judicare vivos & mortuos. Ad officium regis,& Domini spectat judicare: Proverb. 20. *Rex,qui sedet in solio judicii,dissipat omne malum intuitu suo.* Quia ergo Christus ascendit in caelum, & sedet ad dexteram Dei, sicut dominus omnium, manifestum est, quod spectat ad eum judicium. Et ideo in regula catholicae fidei confitemur, quod *venturus est judicare vivos,& mortuos.*Hoc etiam dixerunt Angeli Act. 1. *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum.* Sunt autem tria consideranda de hoc judicio. Primum est forma judicii. Secundum est, quod judicium hoc est timendum. Tertium est, qualiter praeparemus nos ad hoc judicium. Quo ad formam judicii tria concurrunt, scilicet quis sit judex, qui judicandi, & de quibus sit. Christus autem est judex: Act. 10. *Ipse est,qui constitutus est a Deo judex vivorum& mortuorum:* sive accipiamus per mortuos, peccatores, & per vivos, recte viventes: sive per vivos ad literam illos, qui tunc vivent, & per mortuos omnes, qui mortui sunt. Est autem judex non solum inquantum Deus est, sed etiam inquantum homo. Et hoc propter tria. Primo, quia necessarium est ut judicandi judicem videant. Divinitas autem est, ita delectabilis, quod nullus potest sine gaudio eam videre. Et ideo nullus damnatus poterit eam videre, quia tunc gauderet. Et ideo necesse est, ut appareat in forma ho-

Formajudic. 1. Quoad judicem.

hominis, ut ab omnibus videatur: Joan. 5. *Potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est*. Secundo, quia ipse meruit hoc officium secundum quod homo. Ipse enim secundum quod homo, fuit injuste judicatus, & ex hoc Deus fecit eum Judicem totius mundi: Job. 36. *Causa tua quasi impii judicata est, causam, judiciumque recipies*. Tertio, ut cesset desperatio ab omnibus, si ab homine judicantur. Si enim solus Deus judicaret, homines territi desperarent: Lucae 21. *Videbunt filium hominis venientem in nube*. Judicandi vero sunt omnes qui sunt, fuerunt, & erunt: Apost. 2. Chorinth. 5. *Omnes non manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*. Est autem, sicut dicit Gregorius, quadruplex differentia inter judicandos. Aut enim judicandi sunt boni, aut mali. Malorum autem quidam condemnabuntur, sed non judicabuntur, sicut infideles, quorum facta non discutientur, quia, *qui non credit, jam judicatus est*, ut dicitur Joan. 3. Quidam vero condemnabuntur, & judicabuntur, sicut fideles, qui decesserunt cum peccato mortali: Apostolus Rom. 6. *Stipendia peccati mors*. Non enim excludentur a judicio propter fidem, quam habuerunt. Bonorum etiam quidam salvabuntur, & non judicabuntur, pauperes scilicet spiritu propter Deum, quinimmo alios judicabunt: Matth. 19. *Vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel*. Quod qui-

2. Quoad judicandos.

Differentiae judicandorum.

quidem non solum intelligitur de discipulis, sed etiam de omnibus pauperibus; alias Paulus, qui plus aliis laboravit, non esset de numero illorum. Et ideo intelligendum est etiam de omnibus sequentibus Apostolos, & de Apostolicis viris. Ideo Apost. 1. Corinth. 6. *An nescitis quoniam Angelos judicabimus?* Isa. 3. *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, & principibus ejus.* Quidam autem salvabuntur, & judicabuntur, scilicet morientes in justitia. Licet enim in justitia decesserint, in occupatione tamen temporalium in aliquo lapsi sunt, & ideo judicabuntur, sed salvabuntur. Judicabuntur autem de omnibus factis bonis, & malis: Ecclesiastes 11. *Ambula in viis cordis tui, & scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.* Ecclesiastic. 12. *Cuncta, quae fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum sit.* De verbis etiam otiosis: Matth. 12. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* De cogitationibus: Sap. 1. *In cogitationibus impii interrogatio erit.* Et sic patet forma judicii.

3. Quoad facta.

Est autem judicium illud timendum propter quatuor. Primo, propter judicis sapientiam. Scit enim omnia, & cogitationes, & locutiones, & operationes: quoniam *omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus*, ut dicitur Hebr. 4. Proverb. 16. *Omnes viae hominum patent oculis ejus.* Ipse etiam scit verba nostra: Sap. 1. *Auris zeli audit omnia.* Item, cogitationes nostras. Jerem. 17. *Pravum est cor hominis, & inscrutabi-*

Judicium timendum. 1. Ob judicis sapientiam.

tabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda, & probans renes, qui do unicuique juxta viam suam, & juxta fructum adinventionum suarum. Ibi erunt testes infallibiles, scilicet propriae hominum conscientiae. Apostolus Rom. 2. *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium in die, cum judicabit Deus occulta hominum.* Secundo, propter judicis potentiam, quia omnipotens est in se: Isa. 40. *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet.* Item, omnipotens est in aliis, quia omnis creatura erit cum eo: Sap. 5. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Et ideo dicebat Job 10. *Cum sit nemo, qui de manu tua possit eruere.* Psalm. 138. *Si ascendero in caelum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Tertio, propter operis inflexibilem justitiam. Nunc enim est tempus misericordiae, sed tempus futurum erit solum tempus justitiae: & ideo nunc est tempus nostrum, sed tunc erit solum tempus Dei: Psalm. 74. *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Proverb. 6. *Zelus, & furor viri non parcet in die vindictae, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Quarto, propter judicis iram. Aliter enim apparebit justis, quia dulcis, & delectabilis: Isa. 33. *Regem in decore videbunt:* aliter malis, quia iratus & crudelis, in tantum ut dicant montibus, *Cadite super nos, & abscondite nos ab ira agni,* ut dicitur Apocal. 6. Haec autem ira non dicit in Deo commotionem animi, sed effectum irae, poenam scilicet pecca-

2. Potentiã.

3. Inflexibilitatem.

4. Iram.

catoribus inflictam, scilicet aeternalem. Origenes: *Quam angustae erunt peccatoribus viae in judicio. Desuper erit judex iratus* &c. Contra autem hunc timorem debemus quatuor habere remedia. Primum est bona operatio: Apostolus Rom. 13. *Vis non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa.* Secundum est confessio, & poenitentia de commissis, in qua tria debent esse, scilicet dolor in cogitatione, pudor in confessione, & acerbitas in satisfactione: quae quidem expiant poenam aeternam. Tertium est eleemosyna, quae omnia mundat. Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Quartum est caritas, scilicet amor Dei, & proximi, quae quidem *caritas operit multitudinem peccatorum*, ut dicitur 1. Petr. 4. & Proverb. 10.

Remedia ad judicium. 1. Bona opera. 2. Poenitentia. 3. Eleemosyna. 4. Caritas.

CRedo in Spiritum sanctum. Sicut dictum est, Verbum Dei est Filius Dei, sicut verbum hominis est conceptio intellectus. Sed quandoque homo habet verbum mortuum; scilicet quando homo cogitat, quae debet facere, sed tamen voluntas faciendi non adest ei: sicut quando homo credit & non operatur, fides ejus dicitur *mortua*, ut dicitur Jac. 2. Verbum autem Dei est vivum: Hebr. 4. *Vivus est sermo Dei.* Et ideo necesse est, quod Deus habeat secum voluntatem, & amorem. Unde Augustinus in lib. de Trinit: *Verbum, quod insinuare intendimus, cum amore notitia est.* Sicut autem Verbum Dei est Filius Dei, ita amor Dei est Spiritus sanctus. Et inde est, quod tunc homo habet Spiri-

Spiritus sanctus, amor Dei.

tum sanctum, quando diligit Deum. Apostolus Rom. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Fuerunt autem aliqui, qui male sentientes de Spiritu sancto, dixerunt: quod erat creatura: & quod erat minor Patre, & Filio: & quod erat servus, & minister Dei. Et ideo sancti ad removendum hos errores addiderunt quinque verba in alio Symbolo de Spiritu sancto. Primum est, quod licet sint alii spiritus, scilicet Angeli, sunt tamen ministri Dei, secundum illud Apostoli Hebraeor. 1. *Omnes sunt administratorii spiritus*. Sed Spiritus sanctus Dominus est: Joan. 4. *Spiritus est Deus*. Et Apostolus 2. Corinth. 3. *Dominus autem spiritus est*. Et inde est, quod *ubi est spiritus Domini, ibi est libertas*, ut dicitur 2. Corinth. 3. Cujus ratio est, quia facit diligere Deum, & aufert amorem mundi: & ideo dicitur, *In Spiritum sanctum Dominum*. Secundum est, quia in hoc est vita animae, quod conjungitur Deo, cum ipse Deus sit vita animae, sicut anima vita corporis. Deo autem conjungit Spiritus sanctus per amorem, quia ipse est amor Dei, & ideo vivificat: Joan. 6. *Spiritus est, qui vivificat*. Unde dicitur: *Et vivificantem*. Tertium est, quod Spiritus sanctus est ejusdem substantiae cum Patre, & Filio, quia sicut Filius est Verbum Patris, ita Spiritus sanctus est amor Patris, & Filii, & ideo procedit ab utroque. Et sicut Verbum Dei est ejusdem substantiae cum Patre, ita & amor cum Patre, & Filio. Et ideo dicitur: *Qui ex Patre, Filioque procedit*. Unde & per hoc patet, quod non est creatura. Quartum est, quod est aequa-

Tres errores in Spiritum sanctũ.

Refellitur 1.

Refellitur 2.

aequalis Patri, & Filio quantum ad cultum: Joan. 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.* Matth. ult. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Et ideo dicitur: *Qui cum Patre, & Filio simul adoratur.* Quintum, per quod manifestatur, quod sit aequalis Deo, est quia sancti Prophetae locuti sunt a Deo. Constat autem, quod Prophetae fuerint locuti ab eo. Sed Petrus dicit 2. Pet. 1. quod *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Isa. 48. *Dominus Deus misit me, & spiritus ejus:* unde hic dicitur: *Qui locutus est per Prophetas.* Per hoc autem destruuntur duo errores. Error scilicet Manichaeorum, qui dixerunt, quod vetus testamentum non erat a Deo, quod falsum est, quia per prophetas locutus est Spiritus sanctus. Item, error Priscillae, & Montani, qui dixerunt, quod Prophetae non sunt locuti a Spiritu sancto, sed quasi amentes.

Refellitur 3.

Error Manich. Prisc. & Montan.

Provenit autem in nobis multiplex fructus a Spiritu sancto. Primo, quia purgat a peccatis. Cujus ratio est: quia ejusdem est reficere, cujus est constituere. Anima autem creatur per Spiritum sanctum, quia omnia per ipsum facit Deus. Deus enim diligendo suam bonitatem causat omnia: Sap. 11. *Diligis omnia, quae sunt* &c. Dionys. in 4. c. de divinis nomin. *Divinus amor non permisit eum sine germine esse.* Oportet ergo, quod corda hominum per peccatum destructa reficiantur a Spiritu sancto. Psalm. 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terrae.* Nec mirum, si spiritus purgat, quia

Fructus Spiritus sancti 1. Remissio peccatorum.

omnia peccata dimittuntur per amorem: Luc. 7. *dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Prov. 10. *Universa delicta operit caritas*. Item 1. Petr. 4. *Caritas operit multitudinam peccatorum*. Secundo, illuminat intellectum; quia omnia, quae scimus, a Spiritu sancto scimus: Joan. 14. *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis*. Item 1. Joan. 2. *Unctio docebit vos de omnibus*. Tertio, juvat, & quadammodo cogit servare mandata. Nullus enim posset servare mandata Dei, nisi amaret Deum: Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*. Spiritus autem sanctus facit amare Deum, ideo juvat: Ezech. 36. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri. Et faciam ut in praeceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini*. Quarto, confirmat spem vite aeternae, quia est sicut pignus haereditatis illius: Apostolus Eph. 1. *Signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae*. Est enim quasi arrha vitae aeternae. Cujus ratio est: quia ex hoc debetur vita aeterna homini, inquantum efficitur filius Dei, & hoc fit per hoc, quod fit similis Christo. Assimilatur autem aliquis Christo per hoc, quod habet spiritum Christi, qui est Spiritus sanctus. Apostolus Rom. 8. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum*

2. Illuminatio mentis.

3. Observantia mandat.

4. Confirmatio spei.

ado-

adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Et Galat. 4. *Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra, clamantem, abba pater.* Quinto, consulit in dubiis, & docet nos, quae sit voluntas Dei: Apoc. 2. *Qui habet aures audiendi, audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis.* Isa. 50. *Audiam eum, quasi magistrum.* Consilium.

SAnctam Ecclesiam catholicam. Sicut videmus, quod in uno homine est una anima, & unum corpus, & tamen sunt diversa membra ipsius, ita Ecclesia catholica est unum corpus, & habet diversa membra. Anima autem, quae hoc corpus vivificat, est Spiritus sanctus. Et ideo post fidem de Spiritu sancto jubemur credere sanctam Ecclesiam catholicam. Unde additur in Symbolo: *Sanctam Ecclesiam catholicam.* Circa quod sciendum est, quod Ecclesia est idem quod congregatio. Unde Ecclesia sancta idem est quod congregatio fidelium; & quilibet Christianus est sicut membrum ipsius Ecclesiae: de qua dicitur Ecclesiast. 51. *Appropiate ad me, indocti, & congregate vos in domum disciplinae.* Ecclesiae definitio.

Haec autem Ecclesia sancta habet quatuor conditiones. Quia est una. Quia est sancta. Quia est catholica, idest universalis. Quia est fortis, & firma. Quantum ad primum sciendum est, quod licet diversi haeretici diversas sectas adinvenerint, non tamen pertinent ad Ecclesiam, quia sunt divisi in partes, sed Ecclesia est una: Cant. 6. *Una est columba mea, perfecta mea.* Causatur autem unitas Ecclesiae ex tribus. Primo, ex unitate Ejusquatuor dotes. 1. Est una. Fide.

fidei. Omnes enim christiani, qui sunt de corpore Ecclesiae, idem credunt: 1. Corinth. 1. *Id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata:* Et Eph. 4. *Unus Deus, una fides, unum baptisma*.

Spe. Secundo, ex unitate spei: quia omnes firmati sunt in una spe perveniendi ad vitam aeternam. Et ideo dicit Apostolus Ephes. 4. *Unum corpus, unus spiritus, sicut vocati estis in una*

Caritate. *spe vocationis vestrae*. Tertio, ex unitate caritatis: quia omnes connectuntur in amore Dei, ad invicem in amore mutuo: Joan. 17. *Caritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus*. Manifestatur autem hujusmodi amor si verus est, quando membra pro se invicem sunt sollicita, & quando invicem compatiuntur: Ephes. 4. *In caritate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus connexum, & compactum per omnem juncturam subministrationis secundum operationem in mensura uniuscujusque membri augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate*. Quia quilibet de gratia sibi collata a Deo debet proximo servire. Unde nullus debet contemnere, nec pati ab ista Ecclesia abjici, & expelli, quia non est nisi una Ecclesia, in qua homines salventur, sicut extra arcam Noe nullus salvari potuit.

Circa secundum sciendum, quod est etiam alia congregatio, sed malignantium: Psalm. 25. *Odivi Ecclesiam malignantium* &c. sed haec

2. Est sancta. est mala. Ecclesia vero Christi est sancta: Apostolus 1. Corinth. 3. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*. Unde dicitur: *Sanctam Ecclesiam*.

siam. Sanctificantur autem fideles hujus congregationis ex tribus. Primo enim, quia sicut Ecclesia cum consecratur, materialiter lavatur, ita fideles loti sunt sanguine Christi: Apoc. 1. *Dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. Hebr. 13. *Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum*. Secundo, ex inunctione, quia sicut Ecclesia inungitur, sic & fideles spirituali inunctione unguntur, ut sanctificentur, alias non essent christiani. Christus enim idem est, quod unctus. Haec autem unctio est gratia Spiritus sancti: 2. Corinth. 1. *Qui unxit nos Deus*. Apostolus 1. Corinth. 6. *Sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi*. Tertio, ex inhabitatione Trinitatis. Nam ubicumque Deus inhabitat, locus ille sanctus est. Unde Genes. 28. *Vere locus iste sanctus est*. Et Psalm. 92. *Domum tuam decet sanctitudo, Domine*. Quarto, propter invocationem Dei. Jerem. 4. *Tu autem in nobis es, Domine, & nomen tuum invocatum est super nos*. Cavendum est ergo ne post talem sanctificationem polluamus animam nostram, quae templum Dei est, per peccatum. Apostolus 1. Corinth. 3. *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*.

Ex lotione. Inunctione. Inhabitatione Trinitat. Dei invocatione.

Circa tertium sciendum est, quod Ecclesia est catholica, idest universalis. Primo quantum ad locum; quia est per totum mundum, contra Donatistas: Rom. 1. *Fides vestra annuntiatur in universo mundo*. Marc. ult. *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae*. Unde antiquitus Deus erat notus tantum in Judaea, nunc autem per totum mundum. Habet

3. Est universalis. Quoad locū.

Habet autem haec Ecclesia tres partes. Una est in terra, alia est in caelo, tertia est in purgatorio. Secundo, est universalis quantum ad conditionem hominum, quia nullus abjicitur, nec dominus, nec servus, nec masculus, nec foemina: Gal. 3. *Non est masculus, neque foemina.* Tertio, est universalis quantum ad tempus. Nam aliqui dixerunt, quod Ecclesia debet durare usque ad certum tempus. Sed hoc est falsum, quia haec Ecclesia incoepit a tempore Abel, & durabit usque ad finem saeculi: Matth. ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Sed post consummationem saeculi remanebit in caelo.

Quoad personas.

Quoad tempus.

4. Est firma. Quia bene fundata.

Circa quartum sciendum est, quod Ecclesia Dei est firma. Domus autem dicitur firma, primo si habet bona fundamenta. Fundamentum autem Ecclesiae principale est Christus: Apostolus 1. Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Secundarium vero fundamentum sunt Apostoli, & eorum doctrina; & ideo firma est. Unde in Apocal. dicitur, quod *civitas habebat duodecim fundamenta, & erant ibi scripta nomina duodecim Apostolorum*, Apoc. 21. Et inde est, quod dicitur Ecclesia, *Apostolica*. Exinde etiam quod ad significandum firmitatem hujus Ecclesiae B. Petrus dictus est vertex. Secundo apparet firmitas domus, si conquassata non potest destrui. Ecclesia autem numquam potuit destrui, nec a persecutoribus: immo persecutionibus durantibus, magis crevit, & qui eam persequebantur, & quos ipsa persequebatur, deficiebant: Matth.

Quia nequit destrui.

Matth. 21. *Qui ceciderit super lapidem istum confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum*. Nec ab erroribus: immo quanto magis errores supervenerunt, tanto magis veritas manifestata est: 2. Tim. 3. *Homines mente corrupti, reprobi circa fidem, sed ultra non proficientes* &c. Nec a tentationibus daemonum. Ecclesia enim est sicut turris, ad quam fugit quicumque pugnat contra diabolum: Proverb. 18. *Turris fortissima nomen domini*. Et ideo diabolus principaliter conatur ad destructionem ejus, sed non praevalet, quia Dominus dixit Matth. 16. *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*. Quasi dicat: Bellabunt adversum te, sed non praevalebunt. Et inde est, quod sola Ecclesia Petri, in cujus partem venit tota Italia, dum discipuli mitterentur ad praedicandum, semper fuit firma in fide. Et cum in aliis partibus vel nulla fides sit, vel sit commista multis erroribus, Ecclesia tamen Petri & fide viget, & ab erroribus munda est. Nec mirum, quia Dominus dixit Petro: Luc. 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*.

S*Anctorum communionem*. Sicut in corpore naturali operatio unius membri cedit in bonum totius corporis, ita in corpore spirituali, scilicet Ecclesia. Et quia omnes fideles sunt unum corpus, bonum unius alteri communicatur: Apost. Rom. 12. *Singuli autem alter alterius membra*. Unde & inter alia credenda, quae tradiderunt Apostoli, est, quod communio bonorum fit in Ecclesia. Et hoc est, quod dicitur: *Sanctorum communionem*. Inter alia vero membra Ecclesiae prin-

Communio bonorum in Ecclesia.

principale membrum est Christus, quia est caput: Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius*. Bonum ergo Christi communicatur omnibus christianis, sicut virtus capitis omnibus membris. Et haec communicatio fit per Sacramenta Ecclesiae, in quibus operatur virtus passionis Christi, quae operatur ad conferendam gratiam in remissionem peccatorum.

Est a Christo

Per sacramenta.

Hujusmodi autem Sacramenta Ecclesiae, sunt septem. Primum est Baptismus, qui est regeneratio quaedam spiritualis. Sicut enim vita carnalis non potest haberi, nisi homo carnaliter nascatur, ita vita spiritualis, vel gratiae non potest haberi, nisi homo renascatur spiritualiter. Haec autem generatio fit per baptismum: Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Et est sciendum, quod sicut homo non nascitur, nisi semel, sic & semel tantum baptizatur. Unde & sancti addiderunt: *Confiteor unum baptisma*. Virtus autem baptismi est, quod purgat ab omnibus peccatis & quantum ad culpam, & quantum ad poenam. Et inde est, quod nulla poenitentia imponitur baptizatis, quantumcumque fuerint peccatores, & si statim moriantur post baptismum, immediate evolant in vitam aeternam. Inde est etiam, quod licet soli Sacerdotes ex officio baptizent, ex necessitate tamen cuilibet licet baptizare, servata tamen forma baptismi, quae est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Sumit autem hoc Sacramentum virtutem a passione Christi: Roma-

Baptismus.

Ejus Unitas.

Virtus.

Minister.

manor. 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus*. Et inde est, quod sicut Christus fuit tribus diebus in sepulcro, ita fit trina immersio in aqua.

Secundum Sacramentum est Confirmatio. Sicut enim in illis, qui corporaliter nascuntur, necessariae sunt vires ad operandum, ita spiritualiter renatis necessarium est robur Spiritus sancti. Unde & Apostoli ad hoc, quod essent fortes, receperunt Spiritum sanctum post ascensionem Christi: Luc. 24. *Vos autem sedete in civitate, quousque induamini virtute ex alto*: hoc autem robur confertur in sacramento confirmationis. Et ideo illi, qui habent curam puerorum, debent multum esse solliciti, quod confirmentur, quia in confirmatione confertur magna gratia. Et si decedat, majorem habet gloriam confirmatus, quam non confirmatus, quia hic habuit plus de gratia.

Cõfirmatio. Virtus. Pueris conferenda.

Tertium Sacramentum est Eucharistia. Sicut enim in vita corporali, postquam homo natus est, & vires sumpsit, necessarius est ei cibus, ut conservetur, & sustentetur: ita in vita spirituali post habitum robur necessarius est ei cibus spiritualis, qui est corpus Christi: Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Et ideo secundum ordinationem Ecclesiae quilibet christianus semel in anno debet recipere corpus Christi, digne tamen, & munde; quia, ut dicitur 1. Corinth. 11. *Qui manducat, & bibit indigne*, scilicet cum conscientia peccati mortalis, de quo non est confessus, vel non pro-

Eucharistia. Virtus. Tempus, & modus eam sumendi.

proponit abstinere, *judicium sibi manducat, & bibit*.

Poenitentia. Quartum sacramentum est Poenitentia. Contingit enim in vita corporali, quod quandoque quis infirmatur, & nisi habeat medicinam, moritur, & ita in vita spirituali quis infirmatur per peccatum; unde necessaria est medicina ad recuperandam sanitatem, & haec est gratia, quae confertur in poenitentiae sacramento: Psalm. 102. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas*. In poenitentia autem tria debent esse. Contritio, quae est dolor de peccato cum proposito abstinendi. Confessio peccatorum cum integritate. Et satisfactio, quae est per bona opera.

Virtus.

Partes.

Unctio extr. Quintum sacramentum est extrema Unctio. In hac enim vita sunt multa, quae impediunt, propter quae homo non potest perfecte consequi purgationem a peccatis. Et quia nullus potest intrare vitam aeternam, nisi sit bene purgatus, necessarium fuit, aliud Sacramentum, quo homo purgaretur a peccatis, & liberaretur ab infirmitate, & praepararetur ad introitum regni caelestis, & hoc est Sacramentum extremae Unctionis. Sed quod non semper curet corporaliter, hoc est, quia forte vivere non expedit saluti animae: Jac. 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiae, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei*. Sic ergo patet, quod per quinque Sacramenta, quae praedicta sunt, habetur perfectio vitae.

Virtus.

Sed

Sed quia necessarium est, quod hujusmodi Sacramenta conferantur per determinatos ministros, ideo fuit necessarium Sacramentum Ordinis, cujus ministerio hujusmodi Sacramenta dispensarentur. Nec est attendenda ad hoc eorum vita, si aliquando ad mala declinant, sed virtus Christi, per quam ipsa Sacramenta efficaciam habent, quorum ipsi dispensatores sunt. Apostolus 1. Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*: & hoc est sextum Sacramentum, scilicet Ordinis. Ordo, & ejus munus.

Septimum sacramentum est Matrimonium, in quo si munde vivunt homines, salvantur, & possunt sine peccato mortali vivere. Sed interdum declinant conjugati ad venialia, quando eorum concupiscentia non fertur extra bona matrimonii, & si efferatur extra, tunc declinant ad mortale. Per haec autem septem Sacramenta consequimur peccatorem remissionem, & ideo hic statim subditur: *Remissionem peccatorum*. Per hoc etiam datum est Apostolis dimittere peccata. Et ideo credendum est, quod ministri Ecclesiae, ad quos derivata est hujusmodi potestas ab Apostolis, & ad Apostolos a Christo, in Ecclesia habeant potestatem ligandi, atque solvendi. Et quod in Ecclesia sit plena potestas dimittendi peccata, sed gradatim, scilicet a Papa in alios praelatos. Matrimonium. Effectus omnium sacr.

Sciendum est etiam, quod non solum virtus passionis Christi communicatur nobis, sed etiam meritum vitae Christi, & quicquid boni fecerunt omnes sancti communicatur in caritate Communio bonorum ex vitae Christi, & ss. merito.

tate existentibus, quia omnes unum sunt: Psalm. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te*. Et inde est, quod qui in caritate vivit, particeps est omnis boni, quod fit in toto mundo, sed tamen specialius illi, pro quibus specialius fit aliquod bonum. Nam unus potest satisfacere pro alio, sicut patet in beneficiis, ad quae plures congregationes admittunt aliquos. Sic ergo per hanc communionem consequimur duo: unum scilicet, quod meritum Christi communicatur omnibus: aliud quod bonum unius communicatur alteri. Unde excommunicati per hoc, quod sunt extra Ecclesiam, perdunt partem omnium bonorum, quae fiunt: quod est majus damnum, quam damnum alicujus rei temporalis. Est etiam aliud periculum, quia constat, quod per hujusmodi suffragia impeditur diabolus, ne possit nos tentare: unde quando quis excluditur ab hujusmodi suffragiis, diabolus facilius vincit eum. Et inde est, quod in primitiva Ecclesia, cum aliquis excommunicabatur, statim diabolus vexabat eum corporaliter.

Excommunicati.

C*Arnis resurrectionem*. Spiritus sanctus non solum sanctificat Ecclesiam quantum ad animam, sed virtute ejus resurgent corpora nostra: Rom. 4. *Qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum a mortuis*. Et 1. Corinth. 15. *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum*. Et ideo credimus secundum fidem nostram, resurrectionem mortuorum futuram. Circa quam quatuor consideranda occurrunt. Primum est, utilitas, quae ex fide resurrectionis provenit. Secundum est, qualitas resur-

Utilitates humanae resurrectionis.

resurgentium quantum ad omnes in generali. Tertium, quantum ad bonos. Quartum quantum ad malos in speciali. Circa primum sciendum, quod ad quatuor est nobis utilis fides, & spes resurrectionis. Primo, ad tollendum tristitias, quas ex mortuis concipimus. Impossibile est enim, quod homo non doleat de morte cari sui: sed per hoc, quod sperat, eum resurrecturum, multum temperatur dolor mortis: 1. Thessalonicen. 4. *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri; qui spem non habent*. Secundo, aufert timorem mortis. Nam si homo post mortem non speraret aliam vitam meliorem, sine dubio mors esset valde timenda, & potius deberet homo quaecumque mala facere, quam incurrere mortem. Sed quia credimus, esse aliam vitam meliorem, ad quam perveniemus post mortem, constat, quod nullus debet mortem timere, nec timore mortis aliqua mala facere: Hebraeor. 2. *Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti*. Tertio, reddit sollicitos, & studiosos ad bene operandum. Si enim vita hominis esset tantum ista, in qua vivimus, non inesset hominibus magnum studium ad bene operandum: quia quicquid faceret, parvum esset, cum ejus desiderium non sit ad bonum determinatum secundum certum tempus; sed ad aeternitatem. Sed quia credimus, quod per haec, quae hic facimus, recipiemus bona aeterna in resurrectione, ideo studemus bona operari; 1. Corinth. 15. *Si in hac vita*

1. Tollit tristitiam.

2. Aufert timorē mort.

3. Movet ad bonum opus.

vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Quarto, retrahit a malo. Sicut enim spes praemii allicit ad bonum operandum, ita timor poenae, quam credimus malis reservari, retrahit a malo: Joan. 5. *Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem judicii*.

4. Retrahit a malo.

Qualitates communes hum. resurr. 1. Identitas.

Circa secundum sciendum est, quod quantum ad omnes, quadruplex conditio attendi potest in resurrectione. Prima est ad identitatem corporum resurgentium, quia idem corpus, quod nunc est & quantum ad carnem, & quantum ad ossa resurget; licet aliqui dixerint, quod hoc corpus, quod nunc corrumpitur, non resurget: quod est contra Apostolum. Ait enim 1. Corinth. 15. *Oportet, corruptibile hoc induere incorruptionem*: & quia sacra Scriptura dicit, quod virtute Dei idem corpus ad vitam resurget, Job. 19. *Rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum*.

2. Incorruptibilitas.

Secunda conditio erit quantum ad qualitatem; quia corpora resurgentia erunt alterius qualitatis, quam nunc sint, quia & quantum ad beatos, & quantum ad malos corpora erunt incorruptibilia; quia boni erunt semper in gloria, & mali semper in poena eorum: 1. Corinth. 15. *Oportet, corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*. Et quia corpus erit incorruptibile, & immortale, non erit usus ciborum, & venereorum: Matth. 22, *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in caelo*. Et hoc est contra Judaeos, & Saracenos: Job. 7. *Non revertetur*

tetur ultra in domum suam. Tertia conditio quantum ad integritatem, quia omnes & boni, & mali resurgent cum omni integritate, quae ad perfectionem hominis pertinet. Non enim erit ibi caecus, vel claudus, nec aliquis defectus: Apostolus 1. Corinth. 15. *Mortui resurgent incorrupti*, idest, impassibiles quantum ad corruptiones praesentes. Quarta conditio est quantum ad aetatem, quia omnes resurgent in aetate perfecta, idest triginta trium, vel duorum annorum: cujus ratio est, quia qui nondum pervenerunt ad hoc, non habent aetatem perfectam, & senes hanc jam amiserunt; & ideo juvenibus, & pueris addetur quod deest, senibus vero restituetur: Eph. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi*.

3. Integrit.

4. Aetas perfecta.

Circa tertium sciendum est, quod quantum ad bonos erit specialis gloria; quia sancti habebunt corpora glorificata, in quibus erit quadruplex conditio. Primo est claritas: Matthaei 13. *Fulgebunt justi sicut sol in regno patris eorum*. Secunda est impassibilitas: 1. Corinth. 15. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*. Apoc. 21. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abjerunt*. Tertia est agilitas: Sap. 3. *Fulgebunt justi, & sicut scintillae in arundineto discurrent*. Quarta est subtilitas: 1. Corinth. 15. *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*; non quod omnino sit spiritus, sed quia erit totaliter spiritui subjectum.

Qualitates corpor. Beatorum.

1. Claritas.

2. Impassibilitas.

3. Agilitas.

4. Subtilitas

Qualitates corpor. Damnatorum.

1. Obscuritas.

Circa quartum sciendum, quod damnatorum conditio contraria erit conditioni beatorum, quia erit in eis poena aeterna, in qua est quadruplex mala conditio. Nam corpora eorum erunt obscura: Isa. 13. *Facies combustae vultus eorum*. Item,

2. Passibilitas.

passibilia, licet numquam corrumpantur; quia semper in igne ardebunt, & numquam consummabuntur: Isa. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Item, erunt

3. Gravitas.

gravia. Anima enim erit ibi quasi catenata: Psal. 149. *Ad alligandos reges eorum in compedibus*. Item erunt quodammodo carnalia & anima, & corpus: Joel. 1. *Computruerunt jumenta in stercore suo*.

4. Foeditas.

V*Itam aeternam. Amen*. Convenienter in fine omnium desideriorum nostrorum, scilicet in vita aeterna finis datur credendi in Symbolo, cum dicitur: *Vitam aeternam. Amen*. Contra quod dicunt illi, qui ponunt, animam interire cum corpore. Si enim hoc esset verum, homo esset ejusdem conditionis cum brutis: & istis convenit illud Psal. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Anima enim humana assimilatur Deo in immortalitate; ex parte autem sensualitatis assimilatur bestiis. Cum ergo credit quis, quod anima moriatur cum corpore, recedit a Dei similitudine, & bestiis comparatur; contra quod dicitur Sap. 2. *Neque mercedem speraverunt justitiae, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum: quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suae fecit illum*.

Animae immortalitas.

Est

Est autem primo considerandum in hoc articulo, quae vita sit vita aeterna. Circa quod sciendum, quod in vita aeterna primum est, quod homo conjungitur Deo. Nam ipse Deus est praemium, & finis omnium laborum nostrorum: Gen. 15. *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Consistit autem haec conjunctio in perfecta visione: 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.* Item consistit in summa laude: Augustinus in 22. de Civ. Dei. *Videbimus, amabimus, & laudabimus.* Isa. 51. *Gaudium, & laetitia invenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.* Item, in perfecta satietate desiderii. Nam ibi habebit quilibet beatus ultra desiderata, & sperata. Cujus ratio est: quia nullus potest in vita ista implere desiderium suum, nec umquam aliquod creatum satiat desiderium hominis. Deus enim solus satiat, & in infinitum excedit; & inde est, quod non quiescit nisi in Deo. Augustinus in 1. confes. *Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Et quia sancti in patria perfecte habebunt Deum, manifestum est, quod satiabitur desiderium eorum, & adhuc gloria excedet. Et ideo dicit Dominus Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Augustinus: *Totum gaudium non intrabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabunt in gaudium.* Psal. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Et iterum: *Qui replet in bonis desiderium tuum* &c. Quicquid enim delectabile est, totum est ibi superabundanter. Si enim appetantur delectationes, ibi erit summa, & perfectissima dele-

Vita aeterna, conjunctio Deo.

1. In visione

In laude.

2. In satietate desider.

Delectationum.

delectatio, quia de summo bono scilicet Deo: Job. 22. *Tunc super omnipotentem deliciis afflues*. Psalm. 15. *Delectationes in dextera tua usque in*
Honorum. *finem*. Item, si appetuntur honores, ibi erit omnis honor. Homines praecipue desiderant esse reges quantum ad laicos: & Episcopi, quantum ad clericos; & utrumque erit ibi: Apoc. 5. *Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes*. Sap. 5. *Ecce quomodo computati sunt inter filios*
Scientiae. *Dei*. Item, si scientia appetitur, ibi erit perfectissima; quia omnes naturas rerum, & omnem veritatem, & quicquid volemus, sciemus, & quicquid volemus habere, habebimus ibi cum ipsa vita aeterna: Sapien. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*. Proverb. 10. *Desiderium*
3. In securitate. *suum justis dabitur*. Tertio, consistit in perfecta securitate; nam in mundo isto non est perfecta securitas, quia quanto quis habet plura, & magis eminet, tanto plura timet, & pluribus indiget: sed in vita aeterna nulla est tristitia, nullus labor, nullus timor: Prov. 1. *Abundantia perfruetur, malorum timore sublato*. Quar-
4. Sanctorũ societate. to, consistit in omnium beatorum jucunda societate, quae societas erit maxime delectabilis, quia quilibet habebit omnia bona cum omnibus beatis: nam quilibet diliget alium sicut seipsum: & ideo gaudebit de bono alterius sicut de suo. Quo fit, ut tantum augeatur laetitia, & gaudium unius, quantum est gaudium omnium: Psal. 86. *Sicut laetantium omnium habitatio est in te*. Haec autem, quae dicta sunt, & multa ineffabilia habebunt sancti, qui erunt in patria.

Mali vero, qui erunt in morte aeterna, non

non minus habebunt de dolore, & poena, quam boni de gaudio, & gloria. Exaggeratur autem poena eorum. Primo ex separatione Dei, & omnium bonorum; & haec est poena damni, quae respondet aversioni, quae poena major est, quam poena sensus: Matth. 25. *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores*. In vita enim ista mali habent tenebras interiores, scilicet peccati, sed tunc habebunt etiam exteriores. Secundo ex remorsu conscientiaae: Psal. 49. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam*. Sap. 5. *Prae angustia spiritus gementes*: & tamen haec poenitentia, & gemitus erit inutilis, quia non propter odium mali, sed propter dolorem poenae. Tertio, ex immensitate poenae sensibilis, scilicet ignis inferni, qui animam, & corpus cruciabit, quae est acerbissima poenarum, sicut dicunt sancti, & erunt sicut semper morientes, & nunquam morituri. Unde dicitur mors aeterna, quia sicut moriens est in acerbitate poenarum, sic & illi, qui sunt in inferno: Psal. 48. *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos*. Quarto, ex desperatione salutis. Nam si eis daretur spes liberationis a poenis, eorum poena mitigaretur: sed cum subtrahitur eis omnis spes, poena efficitur gravissima: Isa. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Sic ergo patet differentia inter bene operari, & male; quia bona opera ducunt ad vitam, mala autem trahunt ad mortem: & propter hoc homines deberent frequenter reducere haec ad memoriam, quia ex hoc provocarentur ad bonum, & retraherentur a malo. Unde

Mortis aeternae poena 1. Ex separatione Dei.

2. Remorsu cōscientiae.

3. Cruciatu ignis.

4. Desperatione salutis.

de & ſignanter in fine omnium ponitur: *Vitam aeternam*, ut ſemper magis memoriae imprimatur, ad quam vitam nos perducat Dominus Jeſus Chriſtus, Deus, benedictus in ſaecula ſaeculorum. Amen.

Explicit Opuſculum S. Th. ſuper Symbolo Apoſtolorum.



EJUS-



EJUSDEM S. DOCTORIS OPUSCULUM

Super Oratione Dominica.



Ater noster. Inter alias orationes oratio Dominica principialior invenitur. Habet enim quinque excellentia, quae in oratione requiruntur. Debet enim esse oratio secura, recta, ordinata, devota, & humilis. Secura quidem, ut cum fiducia adeamus ad thronum gratiae ejus, ut dicitur Hebr. 4. *In fide etiam non dificientes*. Dicitur enim Jacob. 1. *Postulet autem in fide nihil haesitans*. Rationabiliter autem haec oratio est securissima: est enim ab advocato nostro formata, qui est sapientissimus petitor, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae*, ut dicitur ad Collossens. 2. De quo dicitur 1. Joan. 2. *Advocatum habemus apud patrem*. Unde dicit Cyprianus in libro de oratione Dominica: *Cum Christum habeamus advocatum apud patrem pro peccatis nostris, quando pro delictis nostris petimus, advocati nostri verba proponamus*. Ulterius securior ap-

Orationis conditiones.

Orat. Dom. 1. Secura.

apparet ex hoc, quod ipse, qui orationem exaudit cum patre, docuit nos orare, secundum illud Psalm. 90. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum*. Unde dicit Cyprianus: *Amica, familiaris, & devota est oratio, Dominum de suo rogare*: unde ab hac oratione nunquam sine fructu receditur. Nam per eam venialia dimittuntur, ut dicit Augustinus. Debet etiam esse oratio nostra

2. Recta. recta, ut petat orans a Deo, quae sibi conveniunt. Nam Damascenus dicit: *Oratio est petitio decentium a Deo*. Multoties enim non exauditur oratio, quia indecentia postulantur: Jacob. 4. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis*. Scire autem quid sit petendum, difficillimum est, cum difficillimum sit scire, quid sit desiderandum. Ea enim, quae licite petuntur, in oratione licite desiderantur: & ideo Apostolus dicit ad Roman. 8. *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus*. Ipse autem Christus doctor est: nam ipsius est docere, quid nos orare oporteat. Nam discipuli dixerunt ei Lucae 11. *Domine, doce nos orare*. Ea ergo, quae ipse orare docuit, rectissime postulantur. Unde Augustinus: *Quaecumque autem verba dicamus, nihil aliud dicimus, quam quod in ista oratione dominica positum est, si recte, & congruenter oramus*.

3. Ordinata. Debet etiam esse ordinata, sicut desiderium; cum oratio sit desiderii interpres. Est autem hic debitus ordo, ut spiritualia carnalibus, caelestia terrenis, desiderando, & orando praeferamus, secundum illud Matth. 6. *Primum quaerite regnum Dei &c.* Hoc Dominus in hac oratione servare docuit, in qua primo petuntur caelestia, & postmodum

modum terrena. Debet etiam oratio esse devota, quia pinguedo devotionis facit, sacrificium orationis esse Deo acceptum, secundum illud Psal. 62. *In nomine tuo levabo manus meas: sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea*. Devotio autem plerumque propter prolixitatem orationis obtunditur. Unde Dominus superfluam orationis prolixitatem docuit vitare, dicens Matth. 6. *Orantes autem nolite multum loqui*. Et Augustinus dicit ad Probam: *Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseveret intentio*. Unde Dominus hanc orationem brevem instituit. Consurgit autem devotio ex caritate, quae est amor Dei, & proximi; quorum utrumque in hac oratione ostenditur. Nam ad insinuandum divinum amorem, vocamus eum Patrem: ad insinuandum autem amorem proximi communiter pro omnibus oramus dicentes: *Pater noster* &c. *Et dimitte nobis debita nostra* &c. ad quod proximorum dilectio nos inducit. Debet etiam oratio esse humilis, secundum illud Psal. 101. *Respexit in orationem humilium*. Et Luc. 18. de pharisaeo & publicano. Et Judith. 9. *Humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio*. Quae quidem humilitas in hac oratione servatur. Nam vera humilitas est, quando aliquis nihil ex suis viribus praesumit, sed totum ex divina virtute impetrandum expectat.

4. Devota.

5. Humilis.

Nota insuper, quod tria bona facit oratio. Primo enim est efficax, & utile remedium contra mala. Liberat enim a peccatis commissis: Psal. 31. *Tu remisisti impietatem peccati mei: pro hac*

Liberat a peccatis.

hac orabit ad te omnis sanctus. Sic latro in cruce oravit, & remissionem obtinuit, quia audivit a Christo, *Hodie mecum eris in Paradiso*, Luc. 23. Sic publicanus oravit, *& justificatus descendit in domum suam*, Luc. 18. Liberat etiam a timore peccatorum, supervenientium a tribulationibus & tristitiis: Jacob. ult. *Tristatur quis in vobis? oret aequo animo*. Liberat etiam a persecutionibus, & inimicis: Psal. 108. *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam* Secundo, est efficax, & utilis ad omnia desideria obtinenda: Marc. 11. *Omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis*. Et si non exaudimur, hoc est, quia non instanter petimus, *Oportet enim semper orare, & numquam deficere*, Luc. 18; vel quia non petimus id, quod magis expedit ad salutem. Augustinus: *Bonus Dominus, qui saepe non tribuit, quod volumus, ut tribuat, quod mallemus*. Et hoc reperitur de Paulo, qui ter petiit a se removeri stimulum, & non est exauditus. Tertio est utilis, quia facit nos familiares Deo: Psalm. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. Dicit ergo:

A peccatorum timore.

A persecutionibus.

Est efficax ad obtinend.

Est utilis.

P*Ater*. Nota hic duo; quomodo scilicet pater sit, & quid debemus ei, quia pater est. Dicitur autem *pater* ratione specialis creationis, quia creavit nos ad imaginem, & similitudinem suam, quam aliis creaturis inferioribus non impressit: Deut. 32. *Ipse est pater tuus, qui fecit, & creavit te*. Item, ratione gubernationis. Quamquam enim omnia gubernet, nos tamen gubernat ut Dominos, alia ut servos: Sap. 14.

Deus creatione Pater.

Gubernatione.

Tua,

Tua, pater, providentia cuncta gubernat. Et Sap. 12. *Et cum magna reverentia disponis nos*. Item, ratione adoptionis, quia aliis creaturis dedit quasi munuscula, nobis autem haereditatem, & hoc, quia filii: sed *si filii, & haeredes*. Apostolus Rom. 8. *Non accepistis spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater*. Debemus autem nos ei tria. Primo, honorem: Mal. 1. *Si ego pater, ubi est honor meus?* qui consistit in tribus, in laudis datione, quo ad Deum: Psal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me*, quae non solum debet esse in ore, sed etiam in corde: Isa. 29. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*. In corporis puritate quo ad seipsum: 1. Corinth. 6. *Glorificate, & portare Deum in corpore vestro*. In judicii aequitate, quo ad proximum: Psal. 9. *Honor regis judicium diligit*. Secundo, debemus ei imitationem, quia pater est: Jer. 3. *Patrem vocabis me & post me ingredi non cessabis*: quae perficitur in tribus; in dilectione: Ephes. 5. *Estote imitatores Dei sicut filii carissimi, & ambulate in dilectione*: & hoc oportet esse in corde. In miseratione: dilectio enim debet esse cum miseratione: Luc. 6. *Estote misericordes*; & hoc debet esse in opere. In perfectione, quia dilectio, & miseratio debet esse perfecta: Matth. 5. *Estote perfecti, sicut & pater vester caelestis perfectus est*. Tertio, debemus ei obedientiam: Heb. 12. *Multo magis obtemperabimus patri spiritum*: & hoc propter tria. Primo, propter dominium. Ipse enim est Dominus: Exod. 24. *Omnia,*

Adoptione.

Deo debetur 1. honor laude, puritate, aequitate

2. Imitatio dilectione miserat; perfection.

3. Obedientia ob domin; exempl; commod,

Omnia, quae locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes. Secundo, propter exemplum, quia verus filius *factus est* patri *obediens usque ad mortem*, ut dicitur Phil. 2. Tertio, propter commodum: 2. Reg. 6. *Ludam ante Dominum, qui elegit me*. Quarto, debemus ei patientiam in castigationibus: Proverb. 3. *Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias, cum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi*.

4. patientia.

Proximis debentur duo.

NOster. Ex hoc autem ostenditur, quod duo debemus proximis. Primo amorem, quia fratres nostri sunt: nam omnes sunt filii Dei. 1. Joan. 4. *Qui non diligit fratrem suum, quem videt &c.* Item, reverentiam, quia filii Dei sunt: Malach. 2. *Numquid non pater unus omnium nostrum? Numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo decipit unusquisque vestrum fratrem suum?* Rom. 12. *Honore invicem praevenientes*. Et hoc propter fructum, *quia ipse factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae*, Hebr. 5.

QVi es in caelis. Inter cetera, quae oranti sunt necessaria, fiducia plurimum valet: Jac. 1. *Postulet autem in fide, nihil haesitans*. Unde Dominus nos orare docens, ea praemittit, ex quibus in nobis fiducia generetur, scilicet ex benign-tate patris. Unde, *pater noster* dicit, secundum illud Luc. 11. *Si vos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis pater vester caelestis de caelo dabit spiritum bonum petentibus se?* Et ex magnitudine

po-

potestatis. Unde dicit: *Qui es in caelis*. Unde Psal. 122. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in caelis*. Potest autem hoc ad tria pertinere. Primo quidem ad orantis praeparationem, quia dicitur Eccl. 18. *Ante orationem praepara animam tuam*, ut intelligatur, *in caelis*, hoc est, in caelesti gloria, secundum illud Matth. 5. *Merces vestra copiosa est in caelis*. Et haec praeparatio debet esse per caelestium imitationem, quia filius debet imitari patrem. Unde dicitur 1. Cor. 15. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem caelestis*. Item per caelestium contemplationem, quia homines solent frequentius cogitationem dirigere, ubi habent patrem & alia, quae diligunt, secundum illud Matth. 6. *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*. Unde dicebat Apostolus Phil. 3. *Nostra conversatio in caelis est*. Et per celestium intentionem, ut ab eo, qui in caelis est, non nisi caelestia quaeramus, secundum illud Col. 3. *Quae sursum sunt quaerite ubi Christus est*. Secundo, potest pertinere, quod dicitur, *qui es in caelis*, ad audientis facilitatem; quia propinquus est nobis, ut intelligatur, *qui est in caelis*, idest in sanctis, in quibus Deus habitat, secundum illud Jer. 14. *Tu in nobis es, Domine*. Sancti enim caeli dicuntur, secundum illud Psalm. 18. *Caeli enarrant gloriam Dei*. Habitat autem Deus in sanctis per fidem: Ephes. 3. *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris*. Per dilectionem: 1. Joan. 4. *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo*. Per mandatorum impletionem: Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & pa-*

Deus in caelis dicitur.

1. Ad orantis praeparationem.

Caelestia imitando, cõtemplan; intendendo.

2. Ad audientis facilitatem.

Deus in sanctis habitat.

& pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus &c. Tertio, potest pertinere quod dicitur, *Qui es in caelis*, ad efficaciam exaudientis, ut per caelos, corporeos caelos intelligamus, non quod corporalibus caelis includatur, secundum illud 3. Reg. 8. *Caelum, & caeli caelorum te capere non possunt*; sed ut significetur, quod Deus est perspicax in consideratione, utpote qui de alto videt: Psal. 101. *Prospexit de excelso sancto suo*: & quod sublimis est in potestate, secundum illud Psal. 102. *Dominus in caelo paravit sedem suam*: & quod stabilis est in aeternitate, secundum illud Psal. 101. *Tu autem in aeternum permanes? & anni tui non deficient*. Unde & de Christo dicitur Psal. 88. *Thronus ejus sicut dies caeli*. Et Philosophus dicit in 1. de caelo, quod propter incorruptionem caeli, omnes posuerunt caelum esse locum spirituum.

3. Ad ejus efficaciam.

Per hoc ergo, quod dicitur, *qui es in caelis*, datur nobis fiducia orandi, quantum ad tria. Quantum ad potestatem, et quantum ad familiaritatem ejus, a quo petitur, et quantum ad congruitatem petitionis. Potestas enim ejus, a quo petitur, insinuatur, si per caelos intelligantur caeli corporei. Et quamvis ipse locis corporalibus non comprehendatur, cum scriptum sit Jer. 23. *Caelum & terram ego impleo*, tamen dicitur esse in caelis corporeis ad insinuandum duo, scilicet potentiae ejus virtutem, & sublimitatem naturae. Primum quidem est contra illos, qui dicunt, omnia ex fato caelestium corporum ex necessitate accidere, secundum quam opi-

Collectio praedictorum.

Fatalistae.

opinionem inutile esset aliquid a Deo orando petere. Sed hoc stultum est, cum Deus in caelis sic esse dicatur, ut caelorum Dominus, & stellarum, secundum illud Psalm. 120. *Dominus in caelo paravit sedem suam*. Secundum vero contra illos est, qui in orando aliquas sibi corporeas phantasias de Deo proponunt, & fingunt: ideo dicitur esse in caelis, ut per id, quod in sensibilibus rebus est altissimum, ostendatur divina sublimitas omnia excedens, etiam hominum desiderium, & intellectum. Unde quicquid cogitari, vel desiderari potest, est minus, quam Deus. Propter quod dicitur in Job. 36. *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram*. Psal. 112. *Excelsus super omnes gentes Dominus*. Isa. 40. *Cui similem fecistis Deum*? Familiaritas autem Dei ostenditur, si per caelos sancti accipiantur. Quia enim propter ejus altitudinem aliqui dixerunt, quod humana non curat, oportet considerare, quia nobis est vicinus, immo intimus, quia dicitur esse in caelis, idest in sanctis, qui caeli dicuntur, secundum illud Psalm. 18. *Caeli enarrant gloriam Dei*. Jer. 14. *Tu in nobis es, Domine*. Hoc enim affert fiduciam orantibus quantum ad duo. Primo, quantum ad propinquitatem Dei, secundum illud Psal. 144. *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum*. Unde Matth. 6. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum*, scilicet cordis. Secundo, quia per patrocinium aliorum sanctorum possumus impetrare, quod petimus, secundum illud Job. 5. *Ad aliquem sanctorum convertere*. Jac. 5. *Orate pro invicem, ut salvemini*. Idoneitatem etiam, & congruitatem accipit oratio

Antropomorphitae.

ex hoc, quod dicitur esse in caelis, secundum quod per caelos spiritualia bona, & aeterna intelliguntur, in quibus est beatitudo propter duo. Primo, quia per hoc excitatur nostrum desiderium ad caelestia. Tendere enim debet illuc desiderium nostrum, ubi patrem habemus, quia illic est haereditas nostra: Col. 3. *Quae sursum sunt quaerite*. 1. Pet. 1. *In haereditatem immarcescibilem, conservatam in caelis* Secundo, quia per hoc informatur ut sit vita caelestis, ut simus conformes patri caelesti, secundum illud 1. Cor 15. *Qualis caelestis, & tales caelestes*: & haec duo faciunt idoneum ad petendum, scilicet desiderium caeleste, & vita caelestis, ex quibus oratio congrua fit.

Prima petitio.

S*anctificetur nomen tuum*. Haec est prima petitio, in qua petitur, ut nomen ejus in nobis manifestetur, & declaretur. Est autem nomen Dei primo mirabile, quia in omnibus creaturis mirabilia operatur: unde Dominus in Evangelio Marc. ult. *In nomine meo daemonia ejicient* &c. Secundo, est amabile: Act. 4. *Non est aliud nomen datum sub caelo, in quo oporteat, nos salvos fieri*. Salus autem est ab omnibus diligenda. Exemplum de beato Ignatio, qui in tantum nomen Christi dilexit, quod, cum Trajanus requireret ab eo, ut nomen Christi negaret, respondit, quod de ore ejus removeri non posset. Et cum ille minaretur, sibi caput abscindere, & Christum de ejus ore removere, dixit: *Et si de ore ab-*

Nomen Dei 1. Mirabile.

2. Amabile.

Exemplum s. Ignatii M.

abstuleris, numquam tamen de corde eripere poteris: hoc enim nomen cordi meo inscriptum habeo, & ideo ab ejus invocatione cessare non valeo. Quod audiens Trajanus, & probari cupiens, servi Dei abscisso capite, cor ejus extrahi jussit, & inventum est habens nomen Christi in se scriptum litteris aureis. Posuerat enim super cor suum hoc nomen quasi signaculum. Tertio, est venerabile: Apostolus Philip. 2. *Ut in nomine Jesu omne genuflectatur, caelestium, terrestrium, & infernorum*. Caelestium, quantum ad Angelos, & beatos: terrestrium, quantum ad mundanos, qui hoc faciunt ex amore adipiscendae gloriae, vel timore fugiendae poenae: & infernorum, quo ad ad damnatos, qui hoc faciunt ex timore. Quarto, inexplicabile, quia a narratione ejus deficiunt omnes linguae: & ideo explicatur aliquando per creaturas, unde dicitur lapis ratione firmitatis: Matth. 16. *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*. Item ignis, ratione purificationis; quia sicut ignis metalla purificat, ita Deus purificat corda peccatorum. Unde Deuteron. 4. *Deus tuus ignis consumens est.* Item lux, ratione illuminationis, quia sicut lux illuminat tenebras, ita nomen Dei illuminat tenebras mentis: Psal. 17. *Deus meus illumina tenebras meas*. Unde istud nomen petimus manifestari, ut cognoscatur, & teneatur sanctum. Sanctum autem tripliciter dicitur. Sanctum enim idem est, quod firmum. Unde omnes beati, qui in caelo sunt, sancti dicuntur, quia sunt aeterna felicitate firmati. In mundo non possunt esse sancti, quia sunt continue mobiles. Augusti-

3. Venerabile.

4. Inexplicabile.

Figuris signatur.

Sanctum dicitur.

1. firmum.

stinus: *Defluxi, Domine, a te, & erravi nimis, devius factus sum a stabilitate tua*. Secundo, sanctum idem est, quod non terrenum: unde sancti, qui in caelo sunt, nullum habent affectum terrenum. Unde Apostolus Philip. 3. *Omnia arbitratus sum, ut stercora* &c. Per terram autem designantur peccatores. Primo, ratione germinis. Terra enim si non colitur, spinas, & tribulos germinat, sic anima peccatoris nisi colatur per gratiam, non germinat nisi tribulos, & punctiones peccatorum: Genes. 3. *Spinas, & tribulos germinabit tibi*. Secundo, ratione caliginis. Terra enim caliginosa est, & opaca. Sic etiam peccator caliginosus, & opacus est: Genes. 1. *Tenebrae erant super faciem abyssi*. Tertio, ratione conditionis. Terra enim est elementum siccum, quod spargitur, nisi contineatur ab aquae humiditate, nam Deus posuit terram super aquam, juxta illud Psal. 135. *Qui firmavit terram super aquas*; quia ex humiditate aquae continetur ariditas, vel siccitas terrae, sic peccator animam habet siccam, & aridam, juxta illud Psal. 142. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*.

2. Non terrenum.

3. Sanguine tinctum.

Item, tertio dicitur sanctum, idest sanguine tinctum: unde sancti, qui sunt in caelo, sancti dicuntur, eo quod sunt sanguine tincti, juxta illud Apoc. 7. *Isti sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine agni*. Item, Apoc. 1. *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*.

* *Supplendum est in calce hujus petitionis, quod exemplaria non habent: scilicet ejus convenientiam cum dono timoris; quam S. Doctor non vi-*

videtur omisisse, propterea quod in ceteris petitionibus id praestitit.

Ex ejus comment. in cap. 6. Matth.

Per hanc petitionem pervenimus ad beatitudinem, de qua Dominus ait Matth. 5: *Beati pauperes spiritu*. Quia secundum August. ista beatitudo pertinet ad donum timoris, quod timor maxime filialis facit habere reverentiam ad Deum; & propterea divitias contemnit. Ideo humiliat se homo propter nomen Dei mirabile, venerabile, tremendum, ineffabile, & tamen amabile: propter quod dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*. Inde est quod Spiritus efficit in nobis primo timorem. Beatitudo, & donum ad hanc petition.

Secunda petitio.

ADveniat Regnum tuum. Sicut dictum est, Spiritus sanctus facit, nos recte amare, desiderare, & petere; & efficit in nobis primo timorem, per quem quaerimus, quod *nomen Dei sanctificetur*. Aliud donum est, quod est donum pietatis. Et est proprie pietas, dulcis & devotus affectus ad patrem, & ad omnem hominem in miseria constitutum. Cum ergo Deus sit pater noster, ut patet; non solum debemus eum revereri, & timere, sed etiam ad eum habere debemus dulcem, & pium affectum. Hic autem affectus facit, nos petere, quod *adveniat Regnum Dei*. Tit. 2. *Pie, & juste vivamus in hoc saeculo expectantes beatam spem, & adventum gloriae magni Dei*. Posset autem quaeri. Regnum Dei semper fuit, quare ergo petimus, Petere regnum Dei, pietas facit.

 quod

quod veniat? Et ideo dicendum est, quod hoc potest tripliciter intelligi. Primo, quia aliquando rex habet jus regni solum, seu dominii, & tamen nondum dominium ipsius regni est declaratum, quia nondum homines regni sunt ei subjecti. Tunc ergo apparebit primo ejus regnum, seu dominium, quando homines regni erunt sibi subjecti. Deus autem ex se, & sua natura est Dominus omnium, & Christus secundum quod Deus, & etiam secundum quod homo habet a Deo, quod sit Dominus omnium: Daniel. 7. *Dedit ei potestatem, & honorem, & regnum*. Oportet ergo, quod sibi sint omnia subjecta. Hoc autem nondum est, sed erit in finem: 1. Cor. 15. *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*. Et ideo petimus & dicimus, *Adveniat regnum tuum*. Et hoc quantum ad tria: scilicet ut justi convertantur, peccatores puniantur, & mors destruatur. Nam homines dupliciter subjiciuntur Christo; aut voluntarii, aut inviti. Cum enim voluntas Dei sit ita efficax, quod oporteat penitus illam compleri, & Deus velit, quod omnia subjiciantur Christo; alterum duorum erit necessarium: ut scilicet aut homo faciat voluntatem Dei subjiciendo se mandatis ejus, & hoc faciunt justi: aut Deus faciet de omnibus voluntatem suam puniendo eos, & hoc faciet peccatoribus, & inimicis suis. Et hoc erit in fine mundi: Psal. 109. *Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum*. Et ideo sanctis est datum quaerere, quod *adveniat Regnum Dei*, scilicet quod ipsi totaliter subjiciantur ei. Sed peccatoribus est hor-

1. Ut sint omnia Deo subjecta.

Scilicet, ut justi convertantur.

Peccatores puniantur.

horribile, quia nihil aliud est quaerere, quod *adveniat Regnum Dei*, nisi quod de voluntate Dei subjiciantur poenis: Amos 5. *Vae desiderantibus diem Domini*. Sed & ex hoc destruitur mors. Cum enim Christus sit vita, non potest in regno ejus esse mors, quae est vitae contraria. Ideo dicitur 1. Corinth. 15. *Novissime autem inimica destruetur mors*. Et hoc erit in resurrectione: Phil. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostrae*. Destruatur mors.

Secundo, Regnum caelorum dicitur gloria Paradisi; nec mirum: nam regnum nihil aliud dicitur, nisi regimen. Ibi autem est optimum regimen, ubi nihil invenitur contra voluntatem regentis. Voluntas autem Dei est salus hominum, quia *vult omnes homines salvos fieri*. 1. Tim. 2. Et hoc potissime erit in Paradiso, ubi nihil erit saluti hominum repugnans: Matth. 13. *Auferentur de regno ejus omnia scandala*. In mundo autem isto sunt multa contra salutem hominum. Cum ergo petimus: *Adveniat regnum tuum*, oramus, ut simus participes regni caelestis, & gloriae Paradisi. Quod quidem regnum est valde desiderandum propter tria. Primo, propter summam justitiam, quae est in eo: Isa. 60. *Populus tuus omnes justi*. Hic enim mali sunt mixti bonis, sed ibi nullus malus erit, & nullus peccator. Item, propter perfectissimam libertatem. Hic enim non est libertas, quamquam omnes naturaliter desiderant eam: sed ibi erit omnimoda libertas contra omnem servitutem: Rom. 8. *Ipsa creatura liberabitur a corruptione*. Et non solum erunt ibi omnes liberi, sed

2. Ut caelum assequamur.

Optandum ob justitiam quae ibi est.

Ob libertatem.

erunt reges: Apoc. 5. *Fecisti nos Deo nostro regnum*. Cujus ratio est, quia omnes erunt ejusdem voluntatis cum Deo, & Deus volet, quicquid sancti volent; & sancti quicquid Deus voluerit. Unde cum voluntate Dei fiet voluntas eorum; & ideo omnes regnabunt, quia omnium voluntas fiet, & Dominus erit corona omnium: Isa. 28. *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriae, & sertum exultationis residuo populi sui*. Item, propter mirabilem afluentiam: Isa. 64. *Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti expectantibus te*. Psal. 102. *Qui replet in bonis desiderium tuum* &c. Et nota, quod homo inveniet omnia in solo Deo excellentius, & perfectus omni eo, quod in mundo quaeritur. Si delectationem quaeris, summam invenies in Deo. Si divitias, ibi omnem sufficientiam invenies, propter quam sunt divitiae; & sic de aliis. Augustinus in confessionibus: *Anima cum fornicatur ab te, quaerit extra te, quae pura, & limpida non invenit, nisi cum redit ad te*.

Ob desiderabilium copiam.

3. Ut non regnet in nobis peccatum.

Tertio modo, quia aliquando in mundo isto regnat peccatum. Et hoc est, quando homo est ita dispositus, quod statim sequitur, & prosequitur appetitum peccati: Apostolus Rom. 6. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore*. Sed debet Deus regnare in corde tuo: Isa. 52. *Sion regnabit Deus tuus*. Et hoc est, quando paratus es obedire Deo, & servare omnia mandata sua. Cum ergo petimus, quod *veniat regnum*, oramus quod non regnet in nobis peccatum, sed ipse Deus.

Beatitudo huj. petit.

Per hanc autem petitionem pervenimus ad beatitudinem, de qua dicitur Matth. 5. *Beati mites*.

Nam

Nam secundum primam expositionem, ex quo homo desiderat, quod Deus sit Dominus omnium, non vindicat se de injuria sibi illata, sed reservat eam Deo. Nam si vindicares te, non quaereres, quod adveniret regnum ejus. Secundum vero secundam expositionem, si tu expectas regnum ejus, idest gloriam Paradisi, non debes curare si perdis res mundanas. Item secundum tertiam expositionem, si tu petis, quod Deus regnet in te, & Christus; cum ipse fuerit mitissimus, & tu debes esse mitis: Matth. 11. *Discite a me, quia mitis sum.* Hebr. 10. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.*

Tertia petitio.

F*iat voluntas tua sicut in caelo, & in Terra.* Tertium donum, quod efficit in nobis Spiritus sanctus, dicitur donum scientiae. Ipse enim Spiritus sanctus non solum efficit in nobis donum timoris, & donum pietatis, quae est dulcis affectus ad Deum, ut dictum est, sed etiam facit hominem sapientem: & hoc petebat David in Psal. 118. dicens: *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* Et haec est scientia, qua homo bene vivit, quam docuit nos Spiritus sanctus. Inter alia autem, quae faciunt ad scientiam, & sapientiam hominis, potissima sapientia est, quod homo non innitatur sensui suo: Proverb. 3. *Ne innitaris prudentiae tuae.* Nam illi, qui praesumunt de sensu suo ita, quod non credunt aliis, sed sibi tantum, semper inveniuntur, & judicantur stulti: Proverb. 26. *Vidisti hominem*

Spiritus S. donum, scientia.

nem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens. Quod autem homo non credat sensui suo, procedit ex humilitate. Unde & locus humilitatis est sapientia, ut dicitur Prov. 11. Superbi autem sibi ipsis nimis credunt. Docet ergo hoc Spiritus sanctus per donum scientiae, ut scilicet non faciamus voluntatem nostram, sed voluntatem Dei. Et ideo propter hoc donum petimus a Deo, ut *fiat voluntas sua sicut in caelo, & in terra*. Et in hoc apparet donum scientiae. Unde hoc modo dicitur Deo, *fiat voluntas tua*: sicut si esset unus infirmus, & vellet aliquid a medico, non praecise vult, sed de voluntate medici; alias si tantum de voluntate sua vellet, esset stultus. Sic nos a Deo nihil petere debemus, nisi quod fiat de nobis voluntas sua, idest ut voluntas sua compleatur in nobis. Tunc enim est rectum cor hominis, quando concordat cum voluntate divina. Hoc Christus fecit: Joan. 5. *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me*. Christus enim secundum quod Deus, eandem voluntatem habet cum Patre, sed secundum quod homo, habet aliam voluntatem a Patre: & secundum hanc dicit, se non facere voluntatem suam, sed Patris; & ideo docet nos, orare, & petere: *Fiat voluntas tua*.

Haec docet, ut faciamus Dei voluntatem.

Exemplo infirmi.

Exemplo Christi:

Sed quid est, quod dicitur? Nonne in Psal. 113. dicitur, *Omnia quaecumque voluit, fecit?* Si omnia facit, quae vult in caelo & in terra, quid est hoc, quod dicit: *fiat voluntas tua sicut in caelo, & in terra?* Ad hoc sciendum est, quod Deus tria vult de nobis, & nos petimus, quod

haec

haec impleantur. Primum quidem, quod Deus vult de nobis, est, quod nos habeamus vitam aeternam. Quicumque enim facit aliquid propter aliquem finem, vult de illa re illud, pro quo facit eam. Deus autem fecit hominem, sed non pro nihilo: quia sicut dicitur in Psalm. 88. *Numquid vane constituisti omnes filios hominum?* Fecit ergo hominem propter aliquid, sed non propter voluptates, quia & bruta habent eas; sed ut habeat vitam aeternam. Vult ergo Dominus, ut homo habeat vitam aeternam. Quando vero aliquid consequitur illud, ad quod factum est, dicitur, quod salvatur: quando vero non consequitur, dicitur, quod res illa perditur. Deus autem fecit hominem propter vitam aeternam. Cum ergo consequitur vitam aeternam, salvatur; & hoc vult Dominus: Joh. 6. *Haec est voluntas patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam aeternam.* Haec autem voluntas jam completa est in Angelis, & in sanctis, qui sunt in patria, quia vident Deum, & cognoscunt, & fruuntur eo: sed nos desideramus, quod sicut voluntas Dei completa est in beatis, qui sunt in caelis, ita compleatur in nobis, qui sumus in terra. Et hoc petimus, cum oramus, *fiat voluntas tua* in nobis, qui sumus in terra, sicut in sanctis, qui sunt in caelo.

Deus vult 1. Nostram salutem.

Alia voluntas Dei de nobis est ut servemus mandata ejus. Quando enim aliquis desiderat aliquid, non solum vult illud, quod desiderat, sed omnia, per quae venitur ad illud: sicut medicus, ut consequatur sanitatem, vult etiam

2. Ut servemus ejus mandata.

etiam dietam, & medicinam, & hujusmodi. Deus autem vult, ut habeamus vitam aeternam; Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Vult ergo, ut servemus mandata: Rom. 12. *Rationabile obsequium vestrum, ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta*. Bona, quia utilis: Isa. 48. *Ego Dominus docens te utilia*. Beneplacens amanti, & si aliis non sit grata, amanti tamen est delectabilis: Psalm. 96. *Lux orta est justo, & rectis corde laetitia*. Perfecta, quia honesta: Matth. 5. *Estote perfecti, sicut & pater vester caelestis perfectus est*. Sic ergo, cum dicimus, *fiat voluntas tua*, oramus, ut impleamus mandata Dei. Haec autem voluntas Dei fit in justis, sed in peccatoribus nondum fit. Justi autem designantur per caelum, peccatores autem per terram. Petimus ergo, ut fiat voluntas Dei ita in terra, idest in peccatoribus, sicut in caelo, idest in justis.

Ad salutem Dei gratia, & studium hominis necessaria.

Notandum autem, quod ex modo loquendi datur nobis doctrina. Non enim dicit, fac, nec etiam, faciamus: sed dicit, *fiat voluntas tua*, quia ad vitam aeternam duo sunt necessaria, scilicet gratia Dei, & voluntas hominis. Et licet Deus fecerit hominem sine homine, non tamen justificat eum sine eo. Augustinus super Joan. *Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te*. Quia vult, quod homo cooperetur: Zach. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*. Apostolus 1. Cor. 15. *Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit*. Non ergo praesumas de te, sed confidas de gratia Dei: nec negligas, sed adhibeas studium tuum; & ideo

non

non dicit, faciamus, ne videretur, quod nihil faceret gratia Dei: nec dicit, fac, ne videretur quod nihil faceret voluntas; & conatus noster. sed dicit, *fiat*, per gratiam Dei, adhibito studio, & conatu nostro.

Tertium quod vult Deus de nobis est, ut restituatur homo ad statum, & dignitatem, in qua creatus fuit primus homo; quae tanta fuit, ut spiritus, & anima nullam repugnantiam sentiret a carne, & sensualitate. Quamdiu enim anima subjecta fuit Deo, caro ita subjecta fuit spiritui, ut nullam corruptionem mortis, seu infirmitatis, et aliarum passionum sentiret. Sed ex quo spiritus, & anima, quae erat media inter Deum, & carnem, rebellavit Deo per peccatum, tunc corpus rebellavit animae; & tunc mortem, & infirmitates sentire coepit, & continuam rebellionem sensualitatis ad spiritum: Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae*. Et Gal. 5. *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem*. Sic est continua pugna inter carnem,& spiritum; et homo continue deterioratur per peccatum. Est ergo voluntas Dei, ut homo restituatur ad statum primum, ut scilicet nihil sit in carne contrarium spiritui: 1. Thessal. 4. *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra*. Haec autem voluntas Dei non potest impleri in vita ista, sed complebitur in resurrectione sanctorum, quando resurgent corpora glorificata, et erunt incorruptibilia, et nobilissima: 1. Cor. 15. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*.

3. Ut restituamur in statum pristinum.

Est

Deus est in justorum anima, & corp.

Est tamen voluntas Dei in justis quantum ad spiritum per justitiam, et scientiam, et vitam; & ideo cum dicimus, *fiat voluntas tua*, oramus, ut etiam fiat in carne Nam hoc modo per caelum accipimus spiritum, per terram carnem, ut sit sensus: *Fiat voluntas tua* ita *in terra*, idest, in carne nostra, *sicut* fit *in caelo*, idest in spiritu nostro per justitiam. Per hanc autem petitionem pervenimus ad beatitudinem luctus, de qua Matth. 5. *Beati, qui lugent* &c. & hoc secundum quamlibet trium expositionum. Nam secundum primam desideramus vitam aeternam; unde pro ejus dilectione inducimur ad luctum: Psal. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*. Et hoc desiderium sanctorum est ita vehemens, quod propter hoc desiderant mortem, quae secundum se fugienda est: 2. Cor. 5. *Audemus, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & praesentes esse ad Deum*. Item, secundum secundam expositionem illi, qui servant mandata, sunt in luctu: quia licet sint dulcia animae, tamen carni sunt amara, quae continue maceratur: Psalm. 125. *Euntes ibant & flebant*, quantum ad carnem: *venientes autem venient cum exultatione*, quantum ad animam. Item secundum tertiam expositionem ex pugna, quae continue est inter carnem, & spiritum, provenit luctus. Non enim potest fieri, quin anima sauciетur ad minus per venialia a carne, & ideo, ut expietur, est in luctu: Psalm. 6. *Lavabo per singulas noctes*, idest obscuritates peccati, *lectum meum*, idest conscientiam meam. Et qui sic plorant perveniunt ad patriam, ad quam nos perducat &c.

Beatitudo huj. petitiõ.

Quar-

Quarta petitio.

P*Anem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Multoties accidit, quod aliquis ex magna scientia, & sapientia efficitur timidus: et ideo est ei necessaria fortitudo cordis, ne deficiat in necessitatibus: Isa, 40. *Qui dat lasso virtutem, & his, qui non sunt, fortitudinem, & robur multiplicat*. Hanc autem fortitudinem Spiritus Sanctus dat: Ezech. 2. *Ingressus est in me spiritus, & statuit me super pedes meos*. Est autem haec fortitudo, quam Spiritus sanctus dat, ut cor hominis non deficiat timore rerum necessariarum, sed credat firmiter, quod omnia, quae sunt ei necessaria, ministrentur sibi a Deo. Et ideo Spiritus sanctus, , qui hanc fortitudinem dat, docet nos petere a Deo: *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Unde Spiritus fortitudinis dicitur. Sciendum est autem, quod in tribus praecedentibus petitionibus petuntur spiritualia, quae hic inchonantur in hoc mundo; sed non perficiuntur, nisi in vita aeterna. Cum enim petimus, quod *sanctificetur nomen* Dei, petimus, quod cognoscatur sanctitas Dei. Cum vero petimus, *quod adveniat regnum Dei*, petimus, quod simus participes vitae aeternae. Cum autem oramus, quod *fiat voluntas* Dei, petimus, quod compleatur voluntas ejus in nobis. Quae omnia, etsi inchoentur in hoc mundo, non tamen possunt haberi perfecte, nisi in vita aeterna. Et ideo necessarium fuit aliqua petere necessaria, quae perfecte possent haberi in vita prae-

Petitio necessariorum est a dono fortitudinis

Ratio trium praecedent. petitionum.

praesenti. Et inde est, quod Spiritus sanctus docuit petere necessaria in vita praesenti, quae perfecte hic habentur. Simul etiam ut ostendat, quod etiam temporalia providentur nobis a Deo; et hoc est quod dicit: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. In quibus quidem verbis docuit nos vitare quinque peccata, quae consueverunt contingere ex desiderio rerum temporalium. Primum peccatum est, quod homo per immoderatum appetitum petit ea, quae statum, et conditionem ejus excedunt, non contentus his, quae decent eum. Sicut si desiderat vestes, non vult eas ut miles, si est miles, sed sicut comes: non ut clericus, si est clericus, sed sicut episcopus. Et hoc vitium retrahit homines a spiritualibus, inquantum nimis inhaeret eorum desiderium temporalibus. Hoc autem vitium docuit nos vitare Dominus, docens nos petere panem tantum, idest necessaria ad praesentem vitam secundum conditionem uniuscujusque. Quae omnia sub nomine panis intelliguntur. Unde non docuit delicata petere, non diversa, non exquisita, sed panem, sine quo vita hominis duci non potest, quia omnibus communis est: Ecclesiast. 29. *Initium vitae hominis panis, & aqua*. Apostolus 1. Timot. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*. Secundum vitium est, quod aliqui in acquisitione rerum temporalium alios molestant, et defraudant. Hoc vitium est adeo periculosum, quo est difficile, bona ablata restitui. *Non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, secundum Augustinum. Quod quidem vitium docuit nos vi-

Panis vitae necessarius.

Ejus petitio docet vitare 1. nimium studium terrenorum.

2. Fraudem.

vitare, docens nos petere *panem nostrum*, non alienum. Raptores enim non comedunt panem suum, sed alienum. Tertium est, superflua sollicitudo. Aliqui enim sunt, qui numquam sunt contenti de eo, quod habent, sed semper plus volunt; quod quidem immoderatum est: quia desiderium debet moderari secundum necessitatem: Prov, 30. *Divitias, & paupertatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria* &c. Et hoc monuit nos vitare, dicens: *Panem nostrum quotidianum*; idest unius diei, vel unius temporis. Quartum vitium est, immoderata voracitas. Sunt enim aliqui, qui tantum volunt consumere uno die, quod sufficeret pluribus diebus; et isti petunt non panem quotidianum, sed decem dierum: et ex hoc, quod nimis expendunt, contingit quod omnia consumunt: Proverb. 23. *Vacantes potibus, & dantes symbola, consumentur*.. Eccl. 19. *Operarius ebriossus non locupletabitur*. Quintum vitium est ingratitudo. Nam cum aliquis ex divitiis superbit, et non recognoscit a Deo ea, quae, habet, hoc est valde malum: quia omnia, quae habemus sive spiritualia, sive temporalia, a Deo sunt: 1. Paral. 29. *Omnia tua sunt, quae de manu tua accepimus*, Ideo ad removendum hoc vitium dicit: *Da nobis*; Et *panem nostrum*; ut sciamus, quod omnia nostra a Deo sunt. Sed de hoc habemus unum documentum: quia aliquando aliquis habet multas divitias, et ex eis nullam utilitatem consequitur, sed damnum spirituale, et temporale. Nam aliqui propter divitias perierunt: Ecclesi. 6. *Est & aliud malum, quod vidi sub sole*,

3. Anxietatem.

4. Voracitatem.

5. Ingratitudinem.

Ne divitiae noceant.

le,

le, & quidem frequens apud homines. Vir, cui dedit Deus divitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animae suae ex omnibus, quae desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. Item Eccles. 5. *Divitiae congregatae in malum Domini sui.* Debemus ergo petere, ut divitiae nostrae sint nobis ad utilitatem; et hoc petimus cum dicimus: *Panem nostrum da nobis*, id est, fac divitias nobis utiles. Job. 20. *Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Divitias, quas devoravit, evomet: & de ventre illius extrahet eas Deus.*

Ne animum turbent.

Aliud vitium est in rebus mundi, scilicet superflua sollicitudo. Nam aliqui sunt, qui hodie sollicitantur de rebus temporalibus, quae erunt usque ad unum annum. Et qui hoc habent, nunquam quiescunt: Matth. 6. *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus* etc. Et ideo Dominus docet nos petere, quod *hodie* detur nobis panis noster; idest ea, quae sunt nobis necessaria ad praesens tempus.

Panis Sacramentalis, & verbi Dei.

Invenitur quidem alius duplex panis, scilicet sacramentalis, et panis verbi Dei. Petimus ergo panem nostrum sacramentalem, qui quotidie in Ecclesia conficitur, ut sicut illud accipimus in sacramento, ita detur nobis ad salutem: Joan. 6. *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.* 1. Cor. 11. *Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit.* Item alius panis est verbum Dei: Matth. 4. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Petimus ergo, ut det nobis panem, idest verbum suum. Ex hoc autem provenit homini

mini beatitudo, quae est fames justitiae. Nam postquam spiritualia habentur, magis desiderantur, et ex hoc desiderio provenit fames, et ex fame satietas vitae aeternae.

Beatitudo huj. petit.

Quinta petitio.

E*T dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Inveniuntur aliqui magnae sapientiae, et fortitudinis: et quia nimis confidunt de virtute sua, non agunt sapienter, quae agunt, nec perducunt, quod intendunt, ad complementum; Proverb. 20. *Cogitationes consiliis roborantur*. Sed notandum, quod Spiritus sanctus, qui dat fortitudinem, dat enim consilium. Nam omne bonum consilium de salute hominum est a Spiritu sancto. Tunc autem consilium est homini necessarium, quando est in tribulatione, sicut consilium medicorum, cum aliquis infirmatur. Unde & homo, cum spiritualiter infirmetur per peccatum, debet quaerere consilium, ut sanetur. Consilium autem peccatori necessarium ostenditur Daniel. 4. cum dicitur; *Consilium meum placeat tibi, rex, Peccata tua eleemosynis redime*. Optimum ergo consilium contra peccata, est eleemosyna, & misericordia: & id est, quod Spiritus sanctus docet, peccatores petere, & orare: *Dimitte nobis debita nostra*. Debemus autem Deo illud, quod auferimus de jure suo. Jus autem Dei est, ut faciamus voluntatem suam, praeferendo eam voluntati nostrae. Auferimus ergo Deo ius suum, cum praeferimus voluntatem nostram vo-

Consilium Spiritu s. ad petend. veniam peccatorum.

Eleemosyn.

luntati suae, & hoc est peccatum. Peccata ergo sunt debita nostra. Est ergo consilium Spiritus sancti, ut petamus a Deo veniam peccatorum; & ideo dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*.

Haec petitio fit.

Possumus autem in his verbis tria considerare. Primum est, quare fit haec petitio. Secundum, quomodo impleatur. Tertium est, quid requiritur ex parte nostra, ut impleatur. Circa primum sciendum, quod ex hac petitione possumus duo colligere, quae necessaria sunt hominibus in vita ista. Unum est, quod homo semper sit in timore, & humilitate. Aliqui enim fuerunt ita praesumptuosi, qui dicerent, quod homo poterat vivere in mundo isto, ita quod ex se poterat vitare peccata. Sed hoc nulli datum est, nisi soli Christo, qui habuit spiritum non ad mensuram, & Beatae Virgini, quae fuit plena gratiae, in qua nullum peccatum fuit, sicut dicit Augustinus; *De qua*, scilicet Virgine, *cum de peccatis agitur, nullam volo fieri mentionem*. Sed de aliis sanctis nulli concessum est, quin ad minus veniale peccatum incurreret: Joan. I. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Et hoc etiam probatur per petitionem istam. Constat enim, quod omnibus sanctis, & hominibus convenit dicere: *Pater noster*, in quo dicitur, *Dimitte nobis debita nostra*. Ergo omnes recognoscunt, & confitentur se peccatores, vel debitores. Si ergo peccator es, debes timere, & humiliari. Aliud est; quod semper vivamus in spe. Quia licet simus peccatores, non debemus desperare, ne desperatio ducat nos ad majora, &

Ut simus in timore.

Ut vivamus in spe.

& diversa peccata, sicut dicit Apostolus Eph. 4. *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae* &c. Ergo multum est utile, quod semper speremus: quia quantumcumque homo sit peccator, debet sperare, quod Deus, si perfecte conteratur, & convertatur, dimittet ei. Haec autem spes firmatur in nobis, cum petimus: *Dimitte nobis debita nostra*. Sed hanc spem abstulerunt Novatiani, qui dixerunt, quod qui semel peccabant post baptismum, nunquam consequebantur misericordiam. Hoc autem non est verum, si verum dixit Christus dicendo; *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me*, Matth. 18. In quacumque ergo die petes, poteris consequi misericordiam, si roges cum poenitudine peccati. Sic igitur ex hac petitione consurgit timor, & spes, quia omnes peccatores contriti, & confitentes misericordiam consequuntur; et ideo necessaria fuit haec petitio.

Error Novatianorũ.

Circa secundum sciendum est, quod in peccato sunt duo scilicet culpa, qua offenditur Deus, et poena, quae debetur pro culpa. Sed culpa remittitur in contritione, quae est cum proposito confitendi, et satisfaciendi: Psalm. 31. *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei*. Non est igitur desperandum, ex quo ad remissionem culpae sufficit contritio cum proposito confitendi. Sed forte quis dicet. Ex quo dimittitur peccatum in contritione, ad quid necessarius est sacerdos? Ad hoc dicendum est, quod Deus in contritione dimittit culpam, et poena aeterna commutatur in temporalem; sed nihilominus manet adhuc obli-

Haec petitio impletur

Remissione culpae per contrition.

obligatus ad poenam temporalem. Unde si decederet sine confessione, non contempta tamen, sed praeventa, iret ad purgatorium, cujus poena, sicut dicit Augustinus, est maxima. Quando ergo confiteris, sacerdos absolvit te de hac poena in clavium virtute, cui te subjeceris in confessione. Et ideo dixit Christus Apostolis Jo. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* etc. Unde quando semel confitetur quis, dimittitur ei aliquid de poena hujusmodi: et similiter quando iterum confitetur: et posset toties confiteri, quod tota sibi dimitteretur. Invenerunt autem successores Apostolorum alium modum remissionis hujus poenae, scilicet beneficia Indulgentiarum, quae existenti in caritate tantum valent, quantum sonant, & quantum pronunciantur. Quod autem Papa hoc possit, satis patet: Nam multi sancti multa bona fecerunt, & tamen isti non peccaverunt ad minus mortaliter, & haec bona fecerunt in utilitatem Ecclesiae. Similiter meritum Christi, & Beatae Virginis sunt sicut in thesauro. Unde summus Pontifex, & illi, quibus ipse committit, possunt hujusmodi merita, ubi necesse est, dispensare. Sic ergo dimittuntur peccata non solum quantum ad culpam in contritione, sed etiam quantum ad poenam in confessione, & per indulgentias.

Remissione poenae per confessione.

Et per indulgentias.

Circa tertium sciendum, quod ex parte nostra requiritur, ut nos dimittamus proximis nostris offensas factas nobis. Unde dicitur: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; aliter Deus non dimitteret nobis: Eccl. 28. *Homo homini servat iram, &*

Haec petitio exigit, ut proximo dimittamus.

& a Deo quaerit medelam? Luc. 6. *Dimittite, & dimittemini*. Et ideo solummodo in ista petitione ponitur conditio, cum dicitur: *Sicut & nos dimittimus* &c. Si ergo non dimittis, non dimittetur tibi. Sed posses dicere: Ego dicam praecedentia, scilicet *dimitte nobis*, sed illud, scilicet, *sicut & nos* &c. tacebo. Ergo Christum decipere quaeris? sed certe non decipis. Nam Christus, qui hanc orationem fecit, bene recordatur ejus. Unde non potest decipi. Ergo si dicis ore, adimpleas corde. Sed quaeritur, utrum ille, qui non proponit dimittere proximo suo, debeat dicere: *Sicut & nos dimittimus* &c. Videtur quod non, quia mentitur. Dicendum, quod non mentitur, quia non orat in persona sua, sed Ecclesiae, quae non decipitur. Et ideo ponitur ipsa petitio in plurali. Sed sciendum, quod duobus modis dimittitur. Unus est perfectorum, ut scilicet offensus requirat offendentem: Psalm. 33. *Inquire pacem*. Alius est communiter omnium, ad quem tenentur omnes, ut scilicet petenti veniam tribuat: Eccles. 28. *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata solventur.* Ex hoc sequitur alia beatitudo: *Beati misericordes*. Misericordia enim facit, nos misereri proximo nostro.

Dimittendi duplex modus.

Beatitudo huj. petit.

Sexta petitio.

ET *ne nos inducas in tentationem*. Sunt aliqui, qui licet peccaverint, tamen desiderant veniam consequi de peccatis, unde & confitentur, & poenitent; sed tamen non adhibent totum studium,

dium, quod deberent, ut iterato in peccata non ruant. Quod quidem non est conveniens, ut scilicet ex una parte ploret quis peccata, dum poenitet; ex alia, unde ploret, accumulet dum peccat. Et propter hoc dicitur a Isa. 1. *Lavamini, mundi estote* &c. Et ideo, sicut supra dictum est, Christus in praecedenti docuit nos, petere veniam peccatorum. In hac vero docet nos petere, ut possimus vitare peccata; ut scilicet non inducamur in tentationem, per quam labamur in peccatis, cum dixit: *Et ne nos inducas* &c. Circa quod tria quaeruntur. Primo, quid sit tentatio. Secundo, qualiter homo tentatur, & a quo. Tertio vero, quomodo liberatur in tentatione. Circa primum sciendum est; quod tentare nihil aliud est, quam experiri, seu probare. Unde tentare hominem, est probare virtutem ejus. Experitur autem, seu probatur virtus hominis dupliciter, secundum quod duo exigit hominis virtus. Unum pertinet ad bene operandum, scilicet quod bene operetur: aliud est, quod caveat a malo: Psalm. 33. *Declina a malo, & fac bonum* &c. Probatur ergo virtus hominis quandoque quantum ad hoc, quod bene facit; quandoque vero quantum ad hoc, quod cessat a malo. Quantum ad primum probatur homo, utrum inveniatur promptus ad bonum, ut ad jejunandum, & hujusmodi. Tunc enim est virtus tua magna, quando promptus inveniris ad bonum. Et hoc modo Deus probat aliquando hominem, non quod lateat eum virtus hominis, sed ut eam omnes cognoscant, & detur omnibus in exemplum. Sic tentavit Deus Abra-

In peccata ne relabamur, petitio.

Tentatio quid.

Qualiter fit ad bonum.

Deus hoc modo tentat.

Abraham Genesis 22. & Job. Et ideo Deus saepe immittit tribulationes justis, ut dum patienter sustinent, appareat virtus eorum, & in virtute proficiant: Deuteron. 13. *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non*. Sic ergo Deus tentat provocando ad bonum. Quantum ad secundum, probatur virtus hominis per inductionem ad malum: & si bene resistit, & non consentit, tunc virtus hominis magna est: si vero homo succumbit tentationi, tunc virtus hominis nulla est. Hoc autem modo nullus tentatur a Deo, quia sicut dicitur Jac. 1. *Deus intentator malorum est* &c. Sed tentatur homo a propria carne, a diabolo, & a mundo. A carne dupliciter. Primo, quia caro instigat ad malum. Caro enim semper quaerit delectationes suas, scilicet carnales, in quibus est saepe peccatum. Qui enim immoratur delectationibus carnalibus, negligit spiritualia: Jac. 1. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua*. Secundo, tentat caro retrahendo a bono. Nam spiritus quantum esset de se, semper delectaretur in spiritualibus bonis, sed caro aggravans impedit spiritum: Sap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*. Rom. 7. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, & captivitatem me in lege peccati, quae est in membris meis*. Sed haec tentatio, scilicet carnis, est valde gravis, quia inimicus noster, scilicet caro, conjunctus est nobis: & sicut dicit Boetius, nulla pestis efficacior est ad nocendum, quam familiaris inimicus. Et ideo con-

Qualiter fit ad malum.

Deus hoc modo non tentat.

Sed tentat 1. Caro dupliciter.

contra eam vigilandum est: Matth. 26. *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*. Diabolus

2. Tentat diabolus.

fortissime tentat. Nam postquam conculcatur caro, insurgit alius, scilicet diabolus, contra quem est nobis magna colluctatio: Apostolus Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus principes, & potestates* &c. Unde & signanter dicitur tentator 1. Thessal. 3. *Ne forte tentaverit vos is, qui*

Callidissime.

tentat &c. In tentatione autem sua callidissime procedit. Ipse enim sicut bonus dux exercitus, qui obsidet aliquod castrum, considerat infirma ejus, quem impugnare vult, & ex illa parte, unde magis est homo debilis, tentat eum. Et ideo tentat de illis vitiis, ad quae homines, conculcata carne, magis proni sunt; ut de ira, de superbia, & de aliis spiritualibus vitiis: 1. Pet. 5. *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret*. Facit autem duo diabolus, dum tentat, quia non statim proponit illi, quem tentat, malum aliquod apparens, sed aliquid, quod habeat speciem boni, ut saltem in ipso principio per illud removeat eum aliquantulum a proposito suo principali, quia postmodum facilius inducit ipsum ad peccandum, quando illum vel modicum avertit. Apostolus 2. Corint. 11. *Ipse satanas transfigurat se in angelum lucis*. Deinde postquam induxit eum ad peccandum, sic alligat eum, ut non permittat, eum a peccatis resurgere: Job. 40. *Nervi testiculorum ejus perplexi sunt*. Sic ergo

3. Mundus tẽtat duplic.

duo facit diabolus: quia decipit, & deceptum detinet in peccato. Sed mundus dupliciter tentat.

tat. Primo, per nimium, & immoderatum desiderium rerum temporalium: Apostolus 1. Timoth. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas*. Secundo, per persecutores, & tyrannos terrendo: Job. 37. *Nos quoque involvimur tenebris*. 2. Tim. 3. *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*. Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*. Sic ergo patet, quid est tentatio, & qualiter tentatur homo, & a quo.

Sequitur videre, qualiter homo liberatur. Circa quod sciendum est, quod Christus docet nos rogare, non ut tentemur, sed ut non inducamur in tentationem. Nam si homo vincit tentationem, meretur coronam. Et ideo dicitur Jacob. 1. *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis*. Eccles. 1. *Fili, accedens ad servitutem Dei, praepara animam tuam ad tentationem*. Item, Jac. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae*: & ideo docet petere, ut non inducamur in tentationem per consensum: 1. Corint. 10. *Tentatio vos non apprehendat nisi humana*. Nam tentari humanum est, sed consentire, diabolicum est. Sed numquid Deus inducit ad malum, quia dicit: *Et ne nos inducas in tentationem*? Dico, quod Deus dicitur inducere ad malum, permittendo, inquantum scilicet propter multa peccata substrahit homini gratiam suam, qua sublata, homo labitur in peccatum: & ideo cantamus in Psal. 70. *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me, Domine*. Regit autem hominem, ne inducatur in tenta-

Non, tentari, sed vinci malum.

Deus ad malum tentat, permittēdo.

Regit in tētationib. per caritatem.

tentationem per fervorem caritatis: quia quaelibet caritas, quantumcumque parva, potest resistere cuilibet peccato: Cantic. 8. *Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem*. Item, per lumen, quo instruit nos de agendis: quia sicut dicit Philosophus, *omnis peccans est ignorans*. Psal. 31. *Intellectum tibi dabo, & instruam te*. Hoc autem petebat David, qui dicebat: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, praevalui adversus eum*, Psal. 12. Hoc autem habemus per donum intellectus. Et quia, cum non assentimus tentationi, servamus cor mundum, de quo Marc. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: ideo ex hoc pervenimus ad visionem Dei, ad quam nos perducat.

Per donum intellectus.

Beatitudo hujus petit.

Septima petitio.

SEd libera nos a malo. Supra docuit nos Dominus petere veniam peccatorum, & quomodo possumus vitare tentationes: hic vero docet petere praeservationem a malis, & haec petitio est generalis contra omnia mala, scilicet peccata, infirmitates, & afflictiones; sicut dicit Augustinus. Sed quia de peccato, & tentatione dictum est, dicendum est de aliis malis, scilicet adversitatibus, & afflictionibus omnibus hujus mundi, a quibus Deus liberat quadrupliciter. Primo, ne superveniat afflictio, sed hoc raro contingit: quoniam sancti in mundo isto affliguntur, quia, ut dicitur 2. Tim. 3. *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*. Sed tamen alicui Deus concedit

A caeteris malis petitur liberatio.

Deus liberat a malis. 1. Ea tollendo.

dit aliquando, ut non affligatur a malo; quando scilicet cognoscit eum impotentem, & non posse resistere: sicut medicus infirmo debili non dat violentas medicinas: Apoc. 3. *Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere, quia modicam habet virtutem*. In patria autem erit generale hoc, quia nullus affligetur ibi: Job. 5. *in sex tribulationibus*, scilicet praesentis vitae, quae per sex aetates distinguitur, *liberabit te, in septima non tanget te malum*. Apoc. 7. *Non esurient, neque sitient amplius*. Secundo liberat, quando in afflictionibus consolatur. Nam nisi Deus consolaretur, non posset homo subsistere: 2. Corin. 1. *Supra modum gravati sumus supra virtutem nostram*. 2. Corin. 7. *Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus*. Psal. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam*. Tertio, quia afflictis tot bona facit, quod tradunt mala oblivioni: Tob. 3. *Post tempestatem tranquillum facis*. Sic ergo afflictiones, & tribulationes hujus mundi non sunt timendae, quia facile tolerantur, & propter consolationem admistam, & propter brevitatem. Apostolus 2. Cor. *Id quod in praesenti est momentaneum, & leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis*, quia ex his pervenitur ad vitam aeternam. Quarto, quia tentatio, & tribulatio convertitur in bonum; & ideo non dicit: *Libera nos a* tribulatione, sed *a malo*; quia tribulationes sunt sanctis ad coronam. Et inde est, quod gloriantur de tribulationibus: Apost. Roman. 5. *Non solum*

2. Consolando.

3. Bona miscendo.

4. In meritũ vertendo.

solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur. Tob. 3. *In tempore tribulationis peccata dimittis.* Liberat ergo Deus hominem a malo, & tribulationibus, eas in bonum convertendo; quod est signum maximae sapientiae, quia sapientis est malum ordinare in bonum: & hoc fit per patientiam, quae habetur in tribulationibus. Ceterae vero virtutes bonis utuntur, sed patientia malis; & ideo solum in malis, idest in adversitatibus est necessaria: Proverb. 19. *Doctrina viri per patientiam noscitur.* Et ideo Spiritus sanctus per donum sapientiae facit nos petere, & per hoc pervenimus ad beatitudinem; ad quam ordinat pax; quia per patientiam pacem habemus, & in tempore prospero, & adverso: & ideo pacifici dicuntur filii Dei, quia sunt similes Deo. Quia sicut Deo nihil nocere potest, ita nec eis: quia nec prospera, nec adversa: & ideo *beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Amen,* est confirmatio universalis omnium petitionum.

Donũ, & beatitudo huj. petitionis.

Totius Opusculi compendium.

P*Ater noster.* Ut in summa exponatur. Sciendum est, quod in oratione Dominica continentur omnia, quae desiderantur, & omnia, quae fugiuntur. Inter omnia autem desiderabilia illud plus desideratur, quod plus amatur, & hoc est Deus: et ideo primo petis gloriam Dei cum dicis: *Sanctificetur nomen tuum.* A Deo autem desideranda sunt tria, quae pertinent ad te. Primum est, quod pervenias ad vitam aeternam,

nam, et hoc petis cum dicis: *Adveniat regnum tuum*. Secundum est, quod facias voluntatem Dei, et justitiam, et hoc petis cum dicis: *Fiat voluntas tua sicut in cuelo, & in terra*. Tertium est, ut habeas necessaria ad vitam, & hoc petis cum dicis: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Et de his tribus dicit Dominus Matth. 6. *Primum quaerite regnum Dei*, quantum ad primum: *& justitiam ejus*, quantum ad secundum: *et haec omnia adjicientur vobis*, quantum ad tertium. Illa autem, quae vitanda sunt, et fugienda, sunt illa, quae contrariantur bono. Bonum autem, quod primo desiderabile est, est quadruplex, ut dictum est. Et primum est gloria Dei, et huic nullum malum est contrarium: Job. 35. *Si peccaveris, quid ei nocebis? si juste egeris, quid donabis ei?* Nam et de malo inquantum punit, et bono inquantum remunerat, resultat gloria Dei. Secundum bonum est vita aeterna, et huic contrariatur peccatum, quia per peccatum perditur. Et ideo ad hoc removendum dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus* etc. Tertium bonum est justitia, et bona opera; et huic contrariatur tentatio, quia tentationes impediunt nos a bono operando. Et ad hoc removendum petimus: *Et ne nos inducas in tentationem*. Quartum bonuum sunt bona necessaria, et huic contrariantur adversitates, et tribulationes. Et ad hoc removendum petimus: *Sed libera nos a malo. Amen*.

Explicit Opusculum S. Th. super Oratione Dominica.

DE



EJUSDEM S. DOCTORIS

OPUSCULUM

Super Salutatione Angelica.

Angelicae salutationis partes.



VE, Maria, gratia plena: Dominus tecum. In ſalutatione iſta continentur tria. Unam fecit angelus: ſcilicet, *Ave, gratia plena: Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Aliam partem fecit Eliſabeth mater Joannis Baptiſtae, ſcilicet: *Benedictus fructus ventris tui.* Tertiam partem addidit Eccleſia, ſcilicet: *Maria.* Nam angelus non dixit: *Ave, Maria,* ſed, *Ave, gratia plena.* Et hoc nomen, ſcilicet Maria, ſecundum ſuam interpretationem convenit dictis Angeli, ſicut patebit. Eſt ergo circa primum conſiderandum, quod antiquitus erat valde magnum, quod Angeli apparerent hominibus: vel quod homines facerent eis reverentiam, habebant pro maxima laude. Unde & ad laudem Abrahae ſcibitur, quod recepit Angelos hoſpitio, quod exhibuit eis reverentiam, Gen. 18. Quod autem angelus face-

Homo Angelum reverebatur ante Incarnat.

faceret homini reverentiam, nunquam fuit auditum, nisi postquam salutavit Beatam Virginem reverenter dicens: *Ave*. Quod autem antiquitus non reverebatur hominem angelus, sed homo angelum, ratio est: quia angelus erat major homine, & hoc quantum ad tria. Primo, quantum ad dignitatem. Ratio est, nam angelus est naturae spiritualis: Psalm. 103. *Qui facit angelos suos spiritus* &c. Homo vero est naturae corruptibilis. Unde dicebat Abraham ibid. *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, & cinis*. Non ergo erat decens, ut spiritualis, & incorruptibilis creatura reverentiam exhiberet corruptibili, scilicet homini. Secundo, quantum ad familiaritatem ad Deum. Nam angelus est Deo familiaris, utpote assistens: Daniel. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*. Homo vèro est quasi extraneus, & elongatus a Deo per peccatum: Psal. 54. *Elongavi fugiens*. Ideo conveniens est, ut homo revereatur angelum, utpote propinquum, & familiarem regis. Tertio, praeminebat propter plenitudinem spendoris gratiae divinae. Angeli enim participant ipsum lumen divinum in summa plenitudine: Job. 25. *Numquid est numerus militum ejus, & super quem non surget lumen ejus?* Et ideo semper apparet cum lumine. Sed homines etsi aliquid participent de ipso lumine gratiae, parum tamen, & in obscuritate quadam. Non ergo decens erat, ut homini reverentiam exhiberet, quousque aliquis inveniretur in humana natura, qui in his tribus excederet angelos: & haec fuit Beata Vir-

Quia Angelus major. 1. dignitate.

2. Familiaritate div.

3. Gratia.

Angelus Mariam reveritus est.

Virgo. Et ideo ad designandum, quod in his tribus excedebat eum, voluit ei angelus revérentiam exhibere. Unde dixit: *Ave*. Unde Beata Virgo excessit angelos in iis tribus, & primo in plenitudine gratiae, quae magis est in Beata Virgine, quam in aliquo angelo. Et ideo ad insinuandum hoc, angelus ei reverentiam exhibuit, dicens: *Gratia plena*. Quasi diceret: Ideo exhibeo reverentiam, quia me excellis in plenitudine gratiae. Dicitur autem B. Virgo plena gratia quantum ad tria. Primo, qaantum ad animam, in qua habuit omnem plenitudinem gratiae. Nam gratia Dei datur ad duo, scilicet ad bonum operandum, & ad vitandum malum, & quantum ad ista duo perfectissimam gratiam habuit B. Virgo. Nam ipsa omne peccatum vitavit magis, quam alius quisquam sanctus post Christum. Peccatum enim aut est originale, & de isto fuit mundata in utero: aut mortale, aut veniale, & de istis libera fuit. Unde Canticorum 4. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te*. Augustinus in lib. de natura: *Excepta sancta Virgine Maria, si omnes Sancti, & Sanctae, cum hic viverent, interrogati fuissent, utrum sine peccato essent, omnes una voce clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Excepta, inquam, hac sancta Virgine, de qua propter honorem Domini, cum de peccato agitur, nullam prorsus volo quaestionem habere*. Scimus enim, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad peccatum ex omni parte vincendum, quae illum concipere, & parere meruit, quem con-

1. Quia plena fuit gratia quoad animam.

constat, nullum habuisse peccatum. Sed Christus excellit Beatam Virginem in hoc, quod sine originali conceptus, & natus est: Beata autem Virgo in originali est concepta, sed non nata. Ipsa etiam omnium virtutum opera exercuit, alii autem Sancti specialia quaedam; quia alius fuit humilis, alius castus, alius misericors: & ideo ipsi dantur in exemplum specialium virtutum, sicut Beatus Nicolaus in exemplum misericordiae &c. Sed Beata Virgo in exemplum omnium virtutum; quia in ea reperis exemplum humilitatis: Luc. 1. *Ecce ancilla*. Et post: *Respexit humilitatem ancillae suae*. Castitatis: *quoniam virum non cognosco*, & omnium virtutum, ut satis patet. Sic ergo plena est gratia Beata Virgo & quantum ad boni operationem, & quantum ad mali vitationem. Secundo, plena fuit gratia quantum ad redundantiam animae ad carnem, vel corpus. Nam magnum est in sanctis habere tantum de gratia, quod sanctificet animam, sed anima beatae Virginis ita fuit plena, quod ex ea refudit gratiam in carnem, ut de ipsa conciperet Filium Dei. Et ideo dicit Hugo de S. Victore: *Quia in corde ejus amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideo in carne ejus mirabilia faciebat, in tantum, quod de ea nasceretur Deus, & homo*. Lucae 1: *Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Tertio, quantum ad refusionem in omnes homines. Magnum enim est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum: sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de

Quoad corpus.

Quoad refusionem in omnes.

mundo, hoc esset maximum; & hoc est in Christo, & in Beata Virgine. Nam in omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa. Unde Canticorum 4. *Mille clypei*, idest remedia contra pericula, *pendent ex ea*. Item, in omni opere virtutis potes eam habere in adjutorium: & ideo dicit ipsa Ecclesiastici 24. *In me omnis spes vitae, & virtutis*. Sic ergo plena est gratia, & excedit angelos in plenitudine gratiae: & propter hoc convenienter vocatur

Mariae nomen.

Maria, quae interpretatur, illuminata in se. Unde Isa. 58. *Implebit splendoribus animam tuam*: & illuminatrix in alios, quantum ad totum mundum; & ideo assimilatur Soli, & Lunae.

2. Quia excelluit Angelos in familiar. div.

Secundo, excellit angelos in familiaritate divina, & ideo hoc designans angelus, dixit: *Dominus tecum*; quasi dicat, ideo exhibeo tibi reverentiam, quia tu familiarior es Deo, quam ego; nam *Dominus* est *tecum*. Dominus, inquit, Pater cum eodem Filio, quod nullus angelus, nec aliqua creatura habuit: Luc. 1. *Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Deus Filius in utero: Isa. 12 *Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel*. Aliter est ergo Dominus cum Beata Virgine, quam cum angelo; quia cum ea ut Filius, cum angelo ut Dominus. Dominus Spiritus sanctus, sicut in templo; unde dicitur: *Templum Domini, sacrarium Spiritus sancti*, quia concepit ex Spiritu sancto: Luc. 1. *Spiritus sanctus superveniet in te*. Sic ergo familiarior cum Deo est Beata Virgo, quam angelus: quia cum ipsa Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus

minus Spiritus sanctus, scilicet tota Trinitas. Unde cantatur de ea: *Totius Trinitatis nobile triclinium*. Hoc autem verbum, *Dominus tecum*, est nobilius verbum, quod sibi dici possit. Merito ergo angelus reveretur Beatam Virginem, quia mater Domini, & ideo domina est. Unde convenit ei hoc nomen, Maria, quod Syra lingua, interpretatur, Domina. Mariae nomen.

Tertio excedit angelos quantum ad puritatem, quia B. Virgo non solum erat pura in se, sed etiam procuravit puritatem aliis. Ipsa enim purissima fuit & quantum ad culpam, quia ipsa Virgo nec mortale, nec veniale peccatum incurrit. Item, quantum ad poenam. Tres enim maledictiones datae sunt hominibus propter peccatum. Prima data est mulieri, scilicet quod cum corruptione conciperet, cum gravamine portaret, & in dolore pareret. Sed ab hoc immunis fuit Beata Virgo, quia sine corruptione concepit, in solatio portavit, & in gaudio peperit Salvatorem: Isa. 35. *Germinans germinabit exultabunda, & laudans*. Secunda data est homini, scilicet quod in sudore vultus vesceretur pane suo. Ab hac immunis fuit Beata Virgo, quia ut dicit Apostolus 1. Corinth. 7: Virgines solutae sunt a cura hujus mundi, & soli Deo vacant. Tertia fuit communis viris, & mulieribus, scilicet ut in pulverem reverterentur. Et ab hac immunis fuit Beata Virgo, quia cum corpore assumpta est in caelum. Credimus enim, quod post mortem resuscitata fuerit, & portata in caelum: Psal. 131. *Surge, Domine, in requiem tuam, tu, & arca sanctificationis tuae*. Sic ergo immunis fuit

3. Quia excelluit ãgelos puritate.

A maledictis in Adamum, & Evá libera.

ab omni maledictione: & ideo benedicta in mulieribus, quia ipsa sola maledictionem sustulit, & benedictionem portavit, & januam paradisi aperuit. Et ideo convenit ei nomen, Maria, quae interpretatur, stella maris. Quia sicut per stellam maris navigantes diriguntur ad portum, ita christiani diriguntur per Mariam ad gloriam.

Mariae nomen.

Benedictus fructus ventris tui. Peccator aliquando quaerit in aliquo, quod non potest consequi, sed consequitur illud justus: Prov. 13. *Custoditur justo substantia peccatoris.* Sic Eva quaesivit fructum, & in illo non invenit omnia, quae desideravit. Beata autem Virgo in fructu suo invenit omnia, quae desideravit Eva. Nam Eva in fructu suo tria desideravit. Primo id, quod falso promisit ei diabolus, scilicet, quod essent sicut dii, scientes bonum, & malum: *Eritis*, inquit ille mendax, *sicut dii*, sicut dicitur Gen. 3. Et mentitus est, quia *mendax est, & pater ejus.* Nam Eva propter esum fructus non est facta similis Deo, sed dissimilis; quia peccando recessit a Deo salutari suo, unde & expulsa est de paradiso. Sed hoc invenit Beata Virgo, & omnes christiani in fructu ventris sui, quia per Christum conjungimur, & assimilamur Deo; 1. Joan. 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus* &c. Secundo in fructu suo Eva desideravit delectationem, quia bonus ad edendum: sed non invenit, quia statim cognovit se nudam, & habuit dolorem. Sed in fructu Virginis suavitatem invenimus, & salutem: Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, habet vitam aeternam.* Tertio fructus Evae erat pulcher aspectu: sed pulchrior fru-

Invenit in suo fructu, quae Eva quaesivit in vetito.

1. Similitudinem Deo.

2. Suavitatem.

fructus Virginis, *in quem desiderant angeli prospicere*. Psalm. 44. *Speciosus forma prae filiis hominum*: & hoc est, quia est *splendor paternae gloriae*. Non ergo potuit invenire Eva in fructu suo, quod nec quilibet peccator in peccatis. Et ideo, quae desideramus, quaeramus in fructu Virginis. Est autem hic fructus benedictus a Deo, quia sic replevit eum omni gratia, quod pervenit ad nos exhibendo ei reverentiam: Eph. 1. *Benedictus Deus, & pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo*. Ab Angelis: Apocalyps. 7. *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro*. Ab hominibus: Apostolus Philip. 2. *Omnis lingua confiteatur* &c. Psalm. 117. *Benedictus qui venit in nomine domini*. Sic ergo & Virgo benedicta: sed & magis *benedictus fructus ejus*.

3. Pulchritudinem.

Fructus Mariae benedictus a Deo.

Angelis.

Hominibus.

Explicit S. Th. Opusculum super Salutatione Angelica.

NIC. ESCHII

EXERCITIORUM SPIRITUALIUM

LIBELLUS.

IN EXERCITIA

Divina fere, & quae compendio hominem in Deum transferre queant, auctore Nicolao Eschio, magnae apud Brabantos existimationis, & pietatis viro

F. LAURENTII SURII

AD PIUM LECTOREM.

PRAEFATIO.

EA quae sequuntur exercitia, amice lector, cuidam celebris opinionis viro divinitus revelata, facili compendio hominem bona, ac ferventi voluntate praeditum, ad familiarem Dei amicitiam, stabilemque unionem, & ad ipsum perfectionis apicem perducunt: idque ita, ut neminem gravent, nemini, quo minus, quae sui sunt status ac muneris, exequi possit, ullum praestent impedimentum: quin potius mirum in modum hominem relevent, & aptum, atque idoneum efficiant ad externa internaque omnia, cum Deo & in Deo prospere administranda. Unde cum implacabili

cabili in nos odio stimulatus pestifer serpens, non desinat pios ab iis, quae possint illis saluti esse, innumeris pene machinationibus, dolis, ac molestiis avocare, id nobis monendus es, Christiane lector, ut ne qua illius fraude ab hisce tete exercitiis, revera divinis, atque utilissimis retrahi patiaris: sed contemptis omnibus, quae ille animo tuo ingerere possit, Dei clementiam precibus continuis pulses, ut horum tibi exercitiorum cultum, gustum, fructum, effectus largiatur. Quod ut impetrare sis idoneus, curandum tibi erit, ut perpetuo tibi ipsi observando invigiles, & ut ab orationis studio nunquam discedas. &c. *Vale.*



DE VIA PURGATIVA

EXERCITIUM PRIMUM.

Ut cognoscas Deum.



Rimo exercebis te in forti, perfecta, & profunda cognitione Domini Dei tui, quantum per gratiam Dei obtinere potueris. Hanc autem cognitionem magis impetrare conaberis fervidis desideriis, & devotis orationibus, quam arduis studiis, & laboribus externis. Dei enim donum est singulare, & preciosum valde. Quapropter saepe numero humili, & profundo corde ipsummet Deum tuum desiderabis possidere: orabisque, ut tibi manifestare dignetur seipsum, suamque voluntatem bene placentem, & perfectam. Attende ejus aeternam & infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem, & incomprehensibilem amorem. Considera, quid sit Dominus Deus tuus, Quis, Qualis, & Quantus. Nempe Deus altissimus super omnia, summa veritas, aeterna & immutabilis bonitas, vera & sempiterna substantia, & caritas infinita, qui in seipso adeo existit magnus & ineffabilis, ut multo melius & verius cognoscatur per ablationem, seu abnegationem omnium perfectionum & dignitatum, quae de eo

Quid sit Deus in se.

de eo cogitari, & dici queant, (ut est potentia, sapientia, bonitas, & similia) quam per eorundem affirmationem. Expende insuper, quod Deus est verus, proprius, naturalis locus, sedes, centrum, & vita animae tuae, in quo anima tua per suam ideam ab aeterno quievit, a quo tempore creationis effluxit, & in quem redire debet, & in eo & per eum quiescere. Alioquin in aeternum peribit.

Est centrum quoad animã

S. Trinitatis praesentia.

Sanctam quoque Trinitatem devotissime, adorabis & laudabis, hoc vel simili modo: O sanctissima Trinitas, tua dulcissima unitas per amorem fluat, obsecro, in me, & in omnes creaturas te laudare valentes. Contemplare Patrem esse, summum, aeternum, ineffabile, & incomprehensibile bonum, qui ex seipso profert bonum aeternum sibi coaequale, & consubstantiale, quod est ejus unicus Filius, qui duo infinita caritate, & complacentia sese invicem diligunt: & haec caritas Spiritus sanctus est. Assuesce saepius, immo & assidue ad dulcissimum Deum tuum, talemque ac tantum Dominum aspirare, & dicere: O Domine Deus meus, & omnia, ostende mihi teipsum, & sufficit mihi. O dulcissime Deus, infunde mihi lumen tuum, accende cor meum amore tuo, conforta infirmitatem corporis mei praesentia tua. Et similia multa, prout unctio docebit. Meditare etiam quomodo ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia, cui omnis honor, & gloria sit in secula seculorum. Amen.

Ex Deo, per Deũ, in Deo omnia.

Ceterum cum ex notitia, & clara cognitione Domini Dei creatoris nostri, omnia bona in

ani-

animam promanent, quae diabolus nobis invidens, tota malitiae suae virtute nititur impedire, & nos excaecare; atque ediverso ex ejus ignorantia omnis tentatio, amaritudo, & damnatio in nobis suboriantur; hinc danda tibi opera est, ut Domini Dei tui omni tempore dulciter, & amorose recorderis, & saltem haec tria, videlicet ejus essentiam sive bonitatem, praesentiam, & dilectionem assidue ob oculos mentis geras. Primo attende infinitam ejus nobilitatem, sublimitatem, justitiam, pulchritudinem, potentiam, sapientiam, bonitatem, caritatem, dulcedinem, liberalitatem, misericordiam, & alias innumeras ejus perfectiones, quae re vera adeo in immensum omnem creatum intellectum vincunt, ut quidquid de his creaturae simul omnes capere, aut dicere possint, minus sit, quam gutta una ad universum mare. Et hic tantus Dominus animam tuam ad suam similitudinem nobilissime creavit, sui ipsius per amorem capacem. Cui tres nobiles vires indidit, ut ipsum non solum in futura, sed etiam in praesenti vita per intellectum fide, & contemplatione cognosceres; per voluntatem tuam eligeres, & amares; & per memoriam in eo requiesceres, & unitus maneres, illique fideliter adhaereres, & ejus comparatione omnia alia pro nihilo duceres. Certe nisi a diabolo excaecatus esses, tanta in illum complacentia, & dilectione apereris, ut prae gaudio, & admiratione deficeres: laeta quoque, & tristia non curares, neque animadverteres: nec ad momentum quidem ab intuitu, & amore summi istius boni disjungi patereris.

1. Sumã Dei perfectio.

Se-

1. Praesentia Dei in te. Secundo, vide ingenti cum laetitia & gratitudine, ut idem tantus ac talis Dominus, ex aeterna caritate sua multo interius, veriusque sese tibi ubique locorum, & maxime in anima tua praesentem exhibeat, quam sis ipse tibi, ut te in esse conservet, regat, faciatque salvum ac beatum: atque ideo magna tibi indicta est necessitas probitatis, si dissimulare nolis, quum agas omnia coram oculis cuncta cernentis. Vide, inquam, carissimum Deum creatorem, & amatorem tuum, tibi perpetuo praesentem, & intentum: & ambula sicut casta sponsa, cum magno timore & reverentia, pudore & humilitate, obedientia & patientia, coram oculis altissimae majestatis ejus: indesinenter te praeparans, ut illi placeas: & suspirans, ut illum toto corde diligere, & amplecti valeas. O quanta gratiarum affluentia hinc tibi accresceret, si ita ageres!

3. Dilectio Dei erga te. Vide tertio, ut idem tantus Dominus, tam immensa & aeterna caritate, constanti gratuitaque dilectione perpetuo ad te conversus est, ut omnem etiam angelicum vincat intellectum, & desiderium. Tanta ejus erga immundum vermiculum dignatio, qua tibi intendit, adeoque tui curam gerit, acsi nulla alia, vel in caelis, vel in terris creatura superesset; et a tot et tantis malis, et periculis animae, et corporis te eripuit, et defendit, totque et tantis beneficiis gratis te praevenit, ornat, et prosequitur omni momento temporis, licet ingratissimum, ut vel exiguam illorum partem numerare nunquam sufficias. Ex hac etiam caritate liberrimam tibi vel momentis singulis ad se accedendi copiam praebet,

bet, adeo ut vel solo pio desiderio ipsum summum valeas bonum obtinere, et possidere, ipsique universas necessitates tuas, velut amico omnium fidelissimo, securissime pandere. Inter infinita autem praeconia, quae de Deo tuo scribenda, atque pensanda forent, juvabit te vel maxime, ut indesinenter mediteris Dei creatoris, et redemtoris tui bonitatem, pulchritudinem, pietatem, misericordiam, dulcedinem, amabilitatem, caritatemque perennem, et infinitam: ut per eas, velut per ignitos quosdam carbones, in cor tuum congerendos, ipse in easdem virtutes transformeris, et ad reddendam qualemcunque amoris vicem perpetuo accendaris. O si supradicta tria fideliter, et indesinenter exerceres, quam dulciter mane ad Deum tuum evigilares, quam cito ab omnibus vitiis, et passionibus, amaritudine quoque, et omni tentatione liberareris, et amore conditoris totus inebriatus, in virum alium mutareris! Immo totus in Deum transformareris: quia nullum isto sanctius, et fructuosius invenitur exercitium, quod D. Augustini, et aliorum Dei amicorum corda jaculo amoris medullitus interdum transfixit, quum illuminatis oculis attenderent stupenda amoris insignia, praesertim in incarnatione, vita, et passione illius, ceteraque innumera beneficia a tanto Domino sibi impensa; justoque perpenderent judicio caritatem illam nimiam, quia tantus Dominus sese nascens dedit nobis socium, convescens in edulium, moriens in precium, et regnas servat in praemium.

EXERCITIUM II.

Vt cognoſcas teipſum.

SEcundo exercebis te in profunda cognitione tui ipſius. Attende ergo quam nobiliter anima tua a Deo creata ſit ex nihilo, ad imaginem, & ſimilitudinem illius. Et quam miſera, foeda, & abominabilis facta ſit per peccatum originale. Et quod inde redemptus ſis per ineffabilem amorem, & duriſſimam ſatisfactionem Jeſu Chriſti. Poſtea teipſum iterum, & ſaepius maculaſti, & averſionem a ſummo bono feciſti per tuam propriam voluntatem, & actualia peccata; & factus es turpior, & vilior quavis irrationali creatura. Eja attende in quanta mala per peccata tua propria lapſus ſis; quodque ex teipſo nunquam inde reſurgere valebis, ſed in ſolo Deo poteris omnia. Nam per veram amoris ad Deum, & omnes virtutes, converſionem, licebit utique redire ad unionem Dei.

Creatio. Redemptio.

Attende, te idcirco a Deo creatum, uti ſemper eum ipſum diligere, contemplari, frui, poſſidere debeas, quodque hic poſitus ſis a Deo, ut ipſi fideliter ſervias, & gratias agas; ipſumque laudes, benedicas, & honores: ejus quoque gratiſſimam voluntatem in te, & in omnibus creaturis agnoſcas, & exequaris.

Finis creationis.

Conſidera, te hic ſecundum animam eſſe in terra aliena exulem, & peregrinum, multis laqueis, & hoſtibus circumdatum, & mille periculis expoſitum: qui ſi in Deo manſeris, nemo te laede-

In exilio vivis.

laedere poterit. Attende, quam incomprehensibiliter nobilis, pulchra, sapiens a Deo sit condita anima tua ad ipsius imaginem, & similitudinem. Factus es nihilo minus secundum corpus de limo terrae infirmus, miser, vilis, & egenus, ad omnia peccata & vitia pronus, tendensque semper ad interitum. Itaque vide, ne propter vilissimi corporis tui viles, & foedas, citoque transeuntes voluptates nobilissimam animam tuam cogas servire corpori, & ita ipsam cum corpore perdas, & aeternis ignibus addicas.

Considera diligenter omnes cogitationes, verba, & opera tua. An finis & scopus omnium virium, & sensuum tuorum semper ad Deum tendat, vel ad teipsum, sive ad creaturas: & videbis te nunquam satis teipsum humiliare, & emendare posse. His addere licebit quidquid tibi ad tuiipsius, & proprii nihili tui cognitionem conferre poterit. Attende saepius, quid, qualis, unde, et ubi sis, et quo abiturus. Vide hoc triplex nihilum tuum, videlicet quod per infinita, gravissimaque peccata tua nihil factus sis, et in inferno inferiori, si Deus voluerit, perpetuo torquendus, velut vas foetidum, et cibus ignium. Secundo, quod ex intima corruptione virum, et sensuum tuorum per pronitatem ad omne malum (quod committeres, nisi Deus te praeservaret) factus es abyssus tenebrosa, vas aptum in contumeliam, genitus per immunditiam, vivens in concupiscentia, moriturus in angustia. Tertio, quod comparatione Domini nostri Jesu Christi tu, et omnia nihil sunt, et ex nihilo producta, et ad nihilum reditu-

Quid sis.

Unde sis.

Quo tendas.

ditura, nisi continue a Deo conservarentur.

Ama contemni. Quapropter desidera contemni, despici, et ignorari ab omnibus hominibus, absque tamen tua culpa; et mundo gaudente, tu teipsum cum Christo afflige, et time semper et ubique Deum filiali timore. Humillima quoque profer, cogita, et age, semper credens, instare adventum sponsi tui caelestis, dicentis Mat. 25. *Ecce sponsus venit, exite obviam ei*; sicque in tuum semper resiliens nihilum, cum stupore admiraberis, quod Deus te patitur creaturam tam foedam, & ingratam ad momentum coram oculis suis versari.

Roga Deum ut noscas te. Clamabisque humiliter ad Dominum ex abysso miseriae tuae, invocans abyssum misericordiae illius cum frequenti perlustratione conscientiae tuae, quo sua singulari (qua ad hoc indiges) gratia tribuat tibi, clare dignoscere omnia tua vitia, passionesque, et propensiones vitiosas, et peccata universa, quae in viribus et sensibus tuis intus et foris haerent, et abscondita latent, animam tuam misere obcaecantia, et ad interitum trahentia: ut vel sic discas nosse teipsum. Nec tamen, etiamsi multum profeceris, ad pravitatis tuae videndum finem penetrare valebis. Adeo *pravum est cor hominis, & inscrutabile*, teste Propheta Hieremia 17. Cap.

EXERCITIUM III.

Ut per poenitentiam purgeris a peccatis.

TErtio exercebis te in generali contritione, confessione, & emendatione omnium peccatorum tuorum, deflens ea ex vero amore Dei, & profundo odio tui ipsius, & omnis peccati. Ut autem ad perfectum tui ipsius odium pertingere valeas, persuade tibi nullam in mundo creaturam esse, quae tantam Deo injuriam, & contemptum irrogarit, atque tu. Quapropter omni poena, & contumelia mundi, & inferni te dignum judicabis, pro multis gravibusque peccatis tuis, negligentia quoque multiplici, & ingratitudine tua. Cujus rei gratia voluntatem tuam adeo obfirmabis in Deo, ut paratus sis pati omnem injuriam, contumeliam, irrisionem, improperium, & vilipensionem, quam omnes craturae voluerint, aut potuerint tibi inferre. Immo etiam te resignabis ad sufferendum omnes poenas inferni pro peccatis tuis.

Defle tua peccata.

Ad poenam te exhibe.

Et ut ad purum pro peccatis tuis dolorem pervenias, statue te coram justissimo vultu Dei, bis in die, cogitans, te mortem aeternam meruisse, & cito judicium tuum in te pronunciandum esse: sperans nihilo minus, per orationem & laborem contritionis, veniam & gratiam apud misericordem Deum invenire: doleasque lamentabiliter, quod summae potestati, sapientiae, & bonitati Dei tantam injuriam, & contemptum exhibuisti, qui omni honore, & laude digni-

Modus flédi peccata.

dignissimus est; dicens hoc, vel simili modo: O Domine Deus meus, omnipotens, creator, & redemptor animae meae! ecce ego sum peccator ille vilissimus, & miserrimus, qui infinitam bonitatem, sanctitatem, & caritatem tuam innumerabiliter, & gravissime offendi, infinita mala commissi, & bona omisi. Hinc teipsam severe discutere, judicare, & punire curabis, ne a Domino judiceris: attendendo qualiter Dominum Deum fidelissimum patrem tuum in decem praeceptis, & in septem peccatis mortalibus, et in novem peccatis alienis, et in septem operibus misericordiae tam spiritualibus, quam corporalibus comptemseris, offenderisque. Denique de omnibus generatim peccatis tuis, et de quolibet speciatim assumas moerorem intimum, et tantum dolorem, quantum delectationis in peccatis persensisti; ex vera contritione, et profundo corde dicens: O Domine! obsecro te per sanctissimam tui conceptionem, nativitatem, conversationem, durissimum laborem, et omnem sacratissimi sanguinis tui effusionem, et omnem amaram passionem, et acerbissimam mortem tuam: remitte mihi omnia peccata mea. Obsecra quoque gloriosam Virginem misericordiae matrem, cum omnibus sanctis, per omnia, quae propter Deum sustinuerunt, ut Deum pro te interpellent, quo et veniam dare cunctis erratis tuis, et ita in seipso confirmare dignetur, ut nunquam ad peccata redeas. Enimvero tantum peccatorum odium tibi necessarium est, ut potius mortem obire velis, quam rursus vili peccato consentire. Cave autem, ne pusil-

Modus, petendi veniã.

pusillanimis fias, confide infinitae misericordiae Dei, qui paratus est in gratiam te recipere, et originali puritati restituere, si illi pro modulo tuo satis feceris pro peccatis tuis.

Secundo offeres Deo pro peccatis tuis animam tuam, et corpus, et quidquid habes, desiderando ea omnia consumere, et quasi in nihilum redigere pro honore ejus, Et ut efficacius animam tuam totam cum viribus suis Deo immolare valeas, ita cogitabis: O Domine! jam nolo deinceps quidquam gestare in memoria mea, nisi te Deum, meam originem, in quo ab aeterno fui, et ex quo emanavi: neque aliud cognoscere intellectu meo, quam te solum Deum meum, et omnes creaturas in te: neque aliud velle, aut desiderare in voluntate mea, quam solius gratissimae voluntatis tuae executionem. Corpus quoque tuum Deo offeres hostiam vivam, et perpetuam, quemadmodum in veteri testamento sacrificaturi ligna ponebant in altari, et hostiam desuper, supposito igne, cremabant in holocaustum: ita et tu in altari cordis tui ligna, id est corpus tuum offeres, quod spiritualiter moriatur necesse est: orabisque ferventer Dominum in hunc modum: O Domine! accende holocaustum meum, ut totum comburatur, et absumatur in amore tuo, ut tibi grata, et accepta hostia fiat ad aeternum honorem tuum. Offeres etiam Deo temporalem sustentationem tui, desiderando rebus huic necessariis non aliter uti, quam ad aeternum Dei honorem, et animae tuae salutem, nullam in ea tui ipsius oblectationem, et commodum spectans. Quin et desiderabis,

Offer te ad emendationem.

omnibus, si Deo placuerit, necessariis spoliari, pauperque, et nudus inveniri, sicut ipse pauper, et egenus fuit.

Modus subeundi poenam.

Tertio poenam corporalem cum discretione assumes, ex magno amore, juxta magnitudinem peccatorum tuorum. Statue ergo te coram cruento corpore Christi Jesu in cruce pendente, et undique vulneribus, atque doloribus propter peccata tua repleto; et in corde dicito: O Domine! si tuae gratissimae placitum esset voluntati, centies me crucifigi permitterem pro peccatis meis. Paratus sum in quolibet articulo corporis mei pati singularem poenam ad honorem nominis tui. Hinc propone quaelibet membra corporis tui, quibus ad peccatum usus es, de cetero tradere, et consumere ad summum Dei honorem: teque ad hoc compellere, et urgere, quantumvis durum, et molestum tibi fuerit, ut Deo pro peccatis tuis vicem qualemcumque reddere valeas in poenitentia, & afflictione, quam Deo una cum poenis, & laboribus status tui, in unione sanctissimae passionis suae, cum multis lacrymis, si eas habere potueris, quotidie offerre curabis: teque non satis dolere, toto corde dolebis, & poenitebit, teipsum pro meritis tuis sub omnibus hominibus in inferno inferiori collocando, quod filium Dei rursus crucifixeris, & toties conculcaveris, & sanguinem testamenti, in quo sanctificatus es, pollutum duxeris, & spiritui gratiae contumeliam feceris.

Loca, unde conscientiã examines.

Porro si clarius videre volueris abominationes tuas, sicuti in justissimo Dei judicio (nisi eas

tas hic deleueris) a te requirentur, matura discussione expende, qualiter, quoties, & quantum offendisti, & contemptu affecisti Dominum Deum tuum circa decem ejus praecepta: duodecim consilia Evangelica: duodecim articulos fidei: praecepta, & statuta Ecclesiae catholicae: vota, & instituta ordinis, status, & vocationis tuae: septem peccata mortalia: septem dona spiritus sancti: septem opera misericordiae corporalia, et spiritualia: novem peccata aliena: septem sacramenta Ecclesiae: gratias, et inspirationes bonas: incarnationis, passionis, et alia beneficia Dei, donaque naturae, fortunae, gratiae, et gloriae: virtutes theologicas, et morales: per tres potentias animae tuae: per quinque sensus, et membra corporis tui: in omni aetate, loco, statu, et officio in quibus vixisti: cogitatione, locutione, opere, omissione, temporis perditione: et ingratitudine contra Deum, sanctosque, et angelos ejus, et contra omnes cujuscumque status proximos tuos, videlicet contra justos Dei amicos, infirmos quoque, et peccatores, contra benefactores, et amicos, contra superiores, aequales, et inferiores, vivos et defunctos, animasque purgandas, et contra creaturas omnes: teipsum quoque, id est animam et corpus tuum; quomodo his omnibus abusus es in contumeliam creatoris, in injuriam proximi, et in damnationem animae tuae, ita quod nullum sit momentum vitae tuae, nec ullum Dei donum et beneficium, neque ullum opus bonum, in quo Deum toto corde pure, ut debueras, quaesivisti: quin potius subtili quodam

pro-

proprii amoris, commodi, voluntatis, aut delectationis veneno illud commaculasti, et quasi continue peccasti toto vitae tuae tempore, saltem omissione, aut imperfecta expletione, omnium, ad quae tenebaris, si secundum justitiam suam Deus judicare vellet, etiam si commissione nihil unquam mali perpetrasses. Igitur dum misericorditer expectat, praevenias faciem ejus in confessione, lavando per singulas peccatorum noctes lectum conscientiae tuae lacrymis tuis, ne intret in judicium cum servo suo: quia non justificabitur in conspectu ejus omnis vivens. Clariorem horum omnium explicationem pete ex libris, si non suppetit memoria. Vide saltem profunda consideratione, quam ineffabiliter deliqueris tam commissione, quam omissione circa duo illa praecepta: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c. *Et proximum tuum sicut teipsum*: qualiter illa impleveris, et inde reliqua peccata tua collige, deplange, et emenda, recogitando Deo omnes annos tuos in amaritudine animae tuae, donec in te descendere dignetur spiritus adoptionis filiorum, testimonium perhibens spiritui tuo, quod filius sis Dei: audiasque mellifluam ejus vocem, quod vere Deus pater in te complacet sibi. Vanum est enim tibi aliquam consolationem quaerere, sive ad contemplationem surgere, nisi prius manducaveris hunc panem doloris, et in te spiritus adoptionis filiorum delapsus sit.

EXERCITIUM IIII.

De mortificatione quinque sensuum.

QUarto te exercebis in crucifigendis, & mortificandis quinque sensibus tuis, qui valde debilitati sunt per lapsum primi parentis, & deinde multo amplius per tua propria peccata, & sensuum tuorum abusiones. Ut autem reduci possint ad primaevam simplicitatem, in qua fuerunt ante lapsum Adae, necesse est, ut sensus tuos, scilicet visum, auditum, gustum, loquelam, odoratum, tactum in crucifixa humanitate Jesu, juxta ejus exemplum, tanta vi includas & refroenes, quasi jam defunctus, & mundo totus mortuus esses: discasque continue in teipsum intro respicere, sicut hactenus foras respexisti: tradasque te in disciplinam dulcis Jesu, eligens illum in magistrum, & te totum illi ad obediendum in omnibus cogens, & resignans, ita ut tuum velle, & nolle perfecte a te abjicias, & Domino Deo carissimo magistro tuo in omnibus placere, & stricte obedire satagas. Hinc nihil tibi amplius agere licebit quantumlibet exiguum, absque ipsius permissu. Nam ad quodlibet verbum, quod loqui voles, ad quamque buccellam, quam sumpturus es, ad quemcumque oculi aspectum, & ad cujusvis membri, sive articuli motionem specialiter licentia corde ab eo tibi petenda erit. Quam si intus, teste conscientia seipsam non quaerente, obtinueris, tum demum licebit id agere, vel dicere, & alias non.

Reformatio tui.

Introspectio tui.

Ne-

Intentio ad Deum. Necessaria quoque & debita opera tua, licet de se nota sint Deo placere, singula tamen nova intentione ad laudem Dei perages, & offeres, in unione sanctissimorum operum & meritorum suorum, ad salutem omnium hominum. Inter dicendum autem, vel agendum aliquid foris, continue uno oculo respicias intus teipsum, advertasque quando tacendum, aut cessandum fuerit, ut tunc statim taceas, & cesses. Quapropter assuescas continue, ut omni hora, Deum medullitus, & ferventer obsecrare per seipsum, & per omnes perfectiones, & miserationes, quae in ipso sunt, immo quae ipse est, & per sanctam humanitatem suam, & per sanctos quinque sensus suos, qui tam fortiter obediebant rationi, & ab anima sua absorpti, & dirissimis poenis pro salute nostra afflicti erant, quasi sensus non habuisset; ut sensualitatem tuam, quam habuisti, habes, & habere poteris, absorbere dignetur in merita sanctissimorum sensuum suorum; sensusque tuos ita absorbere, unire, & sanctificare in sanctissima anima sua, quasi sensus non haberes, qui sensualitati locum dare possent. Et in hac inclusione, & unione ita cruci affixus maneas in Domino Jesu, ut nunquam inde egrediaris, ambulans reverenter honestis & maturis moribus, & gestibus corporis, & sensuum, semper & ubique in conspectu Dei praesentis. Et omni custodia Dominum Deum tuum, & quinque sensus tuos, cum tota anima tua custodias: sicque agas, ut putes te nihil videre, audire, sentire, olfacere, gustare, tangere, edere, vel bibere, nisi Dominum Deum tuum, & in omnibus pure Deum,

Oratio.

Custodia sui.

Deum, & non teipſum quaeras, & creaturis propter Deum, & in Deo, cum timore, & reverentia utaris. Et curam tui ipſius, & omnium rerum in omni etiam neceſſitate, & periculo, cum plena fiducia, in ipſius fideliſſimam providentiam jactes, qui omnia ſuaviter diſponet, & pugnabit pro te, reputeſque omnia creata extra Deum penitus eſſe nihil. Et ſic recipies mirabiles illuminationes, & influxus a Deo tuo, ſi pro illius amore teipſum, & omnia perfecte crucifigere, abnegare, & relinquere non dubitaveris.

Iſtud exercitium eſt fundamentum ſpiritualis vitae, quod oportet valde diu exercere, donec aſſueſcas teipſum in omnibus vincere, & abnegare, teque, & Deum obſervare, & cuſtodire, cum non ſit major labor, quam Deum, ejuſque voluntatem gratam, ac placitam perpetuo obſervare.

DE VIA ILLUMINATIVA.

EXERCITIUM V.

Ut tres animae vires reformes.

QUinto exerce te in profunda, & omnimoda circumciſione, reformatione, & mortificatione virium animae tuae, videlicet intellectus, voluntatis, & memoriae, quae valde debilitatae, & corruptae ſunt per lapſum primi parentis: a quo poſteaquam per mortem filii Dei Jeſu Chriſti redempti ſumus, eas rurſus a Deo

Corruptio potentiarũ.

Deo abalienavimus per nostra propria, & actualia peccata. Ut autem restitui possint in gradum pristinum, in quem Dominus noster Jesus Christus eas reduxit, & cujus gratia animae ab initio donatae fuere, necesse est, ut Deum conti-

Ora, ut sa- neris.

nue toto corde obsecrare, firmaque fiducia pulsare non cesses, uti per merita sanctissimarum virium benedictae, & crucifixae humanitatis suae purificare, reformare, regere, & illuminare dignetur vires animae tuae, ut stabili cognitione, amore, & cogitatione semper fluere possis in Deum, & omnia alia cognoscere, illisque uti in Deo.

Conare intellectu.

Ut autem id muneris obtineas, intellectus tuus multo, & continuo tibi labore acuendus est, ad intelligendum sublimiter, & profunde, quid Deus sit, & habeat. Cumque hoc pacto cognoveris, esse eum optimum, nobilissimum, sanctissimum, tum accedens voluntas amare conabitur eum, quem optimum intelligentia sua deprehendit.

Voluntate.

Sed voluntatem ipsam circumcidere, abstrahere, & crucifigere oportebit ab omnibus extra Deum, ut Deum solum toto, & nudo corde diligas, & desideres, ceteraque omnia propter Deum, & in Deo. Deinde voluntatem tuam fortissima unione adeo divinae conformabis voluntati, ut si illi placeret, infernum in te creare, aut in inferno te ponere, paratum te exhibeas pro sua aeterna gloria, & honore, tuisque peccatis, ad sufferendum illum per suam gratiam.

Memoria.

Tertio, memoriam tuam expedies, atque idoneam reddes ad fruendum in ea in aeternum Domino Deo tuo, absque omni medio. Haec enim

enim instar thalami munda servanda est ab omnibus imaginibus, & extraneis cogitationibus, & ornanda sanctis meditationibus,& virtutibus crucifixae vitae Christi, ut Deus in ea perpetuo & indesinenter valeat quiescere, quoties & quando, & quamdiu visum ipsi erit. Hinc eadem ipsa assuefacienda est amorosis, iisdemque perpetuis fere desideriis, & affectionibus sanctis erga Dominum Deum suum. ut ipse solus pure in ea, & ipsa in solo Deo suo nude semper includi, ac circumferri queat.

Ceterum in hoc exercitio diutius versaberis, Deum tuum pro auxilio, ut dixi, frequentius obsecrando. Idipsum quoque per sacratissimas gloriosae Virginis matris vires,& sanctorum devote efflagitabis. Quod si tam cito non impetraveris, (quum aliqui homines sint naturae viscosae, atque tenacis, & phantasmatibus deditae) noli taedio vinci, noli cessare: tantummodo persevera, & Domino fortiter confide, qui nusquam deseruit sperantes in se, quia summe bonus est, qui in simplicitate cordis melius invenitur, quia unus est; qui etiam per amorem,& sancta desideria citius obtinetur, quia Deus ipse amor infinitus est.

Mariae, & ss. precibus.

EXERCITIVM VI.

De XII. mortificationibus.

SExto exercebis te in plena mortificatione, & abnegatione omnium,quae tibi aliquod impedimentum,vel obstaculum praebere possent, quo

mi-

minus appropinques, & amorose conjungaris, ac uniaris Deo: hoc est, omnium, quae Deus non est, non vult, neque amat: quae satis explicantur per D. Henricum Herp, in XII. mortificationibus suis, in quibus meditando, et orando te diligenter exercebis, attendendo circa quaslibet sanctissimum exemplar crucifixi Jesu, illudque cordi tuo imprimendo, quousque inferiores animae tuae vires nullum de cetero impedimentum praestent superioribus, quo liberius fluere possint ad Deum, et in Deum.

1. Contemne terrena

Harum prima est perfecta mortificatio omnis affectus, sollicitudinis, et amoris ad res caducas, et fragiles, ut eas quieto corde resignare noveris in Dei beneplacitum, sive ea dederit, sive abstulerit: non desideres illa retinere, aut erogare, nisi pure ad Dei honorem: immo et omnia optabis relinquere, ut cor tuum imperturbatum, ac nudum Deo semper valeas offerre, et inter quosvis casus, secundum superiorem saltem rationem, quietus permanere. Hinc non solum superflua quaeque, et curiosa tibi sunt abjicienda: sed etiam in his, quae tibi necessaria videntur, nullo affectu requiescere licebit, si noles esse proprietarius coram Deo. Immo ipsam etiam naturae necessaria cum taedio, et nausea suscipere conaberis, ut eo melius pauperi Christo conformari, et intra nuda ipsius brachia evolare queas.

2. Abnega te ipsum.

Secunda est mortificatio omnium affectuum propriae quaesitionis, qua multi seipsos nimis amant, et in omnibus bonis, quae agunt, et malis, quae vitant, ex servili amore suam spectant, et aucupantur utilitatem, consolationem,

nem, et honorem, tam in externis, quam internis Dei donis, et bonis: suum quoque damnum, confusionem, et punitionem evadere quaerunt, tam in praesenti seculo, quam in futuro. Sua quoque opera, et exercitia reputant magna, caduntque ex donis Dei in superbiam, avaritiam, et gulam spiritualem. Verum contra haec gravissima pericula, studebis ex filiali amore, intentione recta, Dei in omnibus honorem, gratiam, et beneplacitum pure quaerere: et intentione simplici instituere, atque dirigere, et referre opera tua ad placendum, et coram Deo fruendum semper, quiescendumque in eo cum omnibus viribus tuis, absque multiplicitate, in amoroso quodam effluxu, et amanti inclinatione interni spiritus in Deum, illuminata Divina cognitione fide, spe, et caritate; quandoquidem hoc est fundamentum vitae spiritualis. Intentione quoque deiformi studebis etiam occultam consolationem spiritus non quaerere, sed omnem derelictionem, & adversitatem desiderare, ut unum cum Deo fieri, ipsoque Deo cum Deo perfrui merearis.

Tertia est mortificatio omnium affectuum propriae sensualitatis ultra rationabilem necessitatem, in delectatione cibi, potus, vestium, & aliarum rerum: in voluptate cogitationum, verborum, gestuum, & fabulationum cum hominibus, ex sensuali amore: in appetitu habendi curiosa, videndi pulchra, audiendi nova, & fruendi ubique sensuum vanitate. Haec, & omnia naturae solatia mortificabis per plenam aversionem ab omnibus, in quibus sensualitas solet 3. Rejice voluptates.

 quie-

quiescere; quia devotionem & spiritualia exercitia insipida reddunt, & difficilia: cavebisque tota virtute, ne aliquem affectum ad quodvis solatium, vel peccatum, licet minimum, in corde retineas, quem non funditus extirpare coneris, Ita enim expedit, ut sensualitas simpliciter moriatur, ne tota congeries bonorum operum pessum eat. Quarta est mortificatio omnis affectus amoris secularis (qui ut hominibus placeat, & ab illis commodum, vel honorem accipiat, seu ut illis non displiceat, neque ab illis confusionem, aut damnum sustineat, multa admittit, seu admittere paratus est vitia, & peccata, & plura facit virtutum opera) & amoris naturalis ad consanguineos: & acquisiti amoris ad amicos, pro eorum beneficiis; ita ut sine personarum acceptione in omnibus hominibus, & etiam in hostibus tuis, solum Deum, Deique imaginem, gratiam, & virtutes pure diligas, & nullius vitia palpes, ames, aut dissimules; sed omnium salutem toto corde sitias, omnem quoque inordinatum amorem, qui tibi inquietudinem, distractionem, & desiderium ad alicujus hominis praesentiam, vel amicitiam habendam generat, & cor tuum imaginibus depingit praesertim tempore orationis, aut quando te ad Deum convertis, tanquam venenum divini amoris cor tuum maculans, & inficiens, penitus enecabis; solum Deum amando, & ejus amore omnibus creaturis renunciando, ut divina imagine depingaris, ejusque amore sursum traharis, & in ejus abysso absorbearis. Quinta est mortificatio omnis affectus, & societatis rerum creatarum, & cogitationum

4. Cohibe affectus.

5. Pelle vanas cogitat.

num inanium, quae homini multipliciter incidere solent ex defectu fervoris, instar maris fluctuantis, licet affectui non inhaereant: cogitationum quoque noxiarum, quae cum oblectatione sensuali intro admittuntur, quae licet ad consensum peccati mortalis non perveniant, cor tamen maculant, Spiritum sanctum contristant, & ingens animae damnum inferunt. Porro tam istae, quam priores cogitationes ex nostra oriuntur incuria, & immortificatione, quod cor nostrum non studemus ad sanctas cogitationes etiam vi quadam cogere, sed illud ad superflua, & noxia permittimus evagari, non curantes tempus fructuose deducere. Ideoque dum nos introvertere volumus, cor innumeris distractionibus invenimus oneratum, quae nostrum profectum dissipant. Non solum igitur has, quas praediximus, sed etiam licitas quasdam cogitationes sive de temporali cura licita, sive de scrupulis conscientiae, sive de secretis & curiosis perscrutationibus, abscindere oportet per impressionem imaginis Jesu in cruce pendentis, ejusque profundissimae humilitatis, paupertatis, mansuetudinis, & omnium virtutum in exteriori homine, & imaginis infinitae caritatis ejus, qua omnia creavit, & te sic redemit, in interiori homine tuo, ut cognitiones tuae transeant in affectiones, & cognitio in amorem. Etenim amor operatur mortificationem naturae, vitam spiritus, operationem superiorum virium, influxum in Deum, & secessum ab omni creatura. Facies quoque affectuosam conversionem ad omnimodam solitudinem, non tantum secundum corpus, sed

multo amplius secundum cor, & affectiones, & ad simplicem cordis quietem, quae maxime nutrit amorosum in Deum effluxum. Nam solitudo, silentium, & arcta cordis custodia sunt fundamentum proficientis vitae.

6. Vita curas, & passiones.

Sexta est mortificatio omnis curae, quae non est de justa necessitate, utilitate, aut obedientia: omnium quoque passionum, immoderatae laetitiae, tristitiae, spei, timoris, amoris, odii, & pudoris, ut nihil extra Deum in corde tuo quiescat, & omnia externa opera tua, & occupationes, quas a te postulat necessitas, absque multiplicitate, et sollicitudine cordis perficias, cum resignato, et elevato intellectu, et affectu in Deum. Enimvero per distrahentem occupationem cordis, etiam in licitis, obscuratur intellectus, et tepescit affectus, ut omne spirituale exercitium tibi desipiat, et inferiores vires orationis tempore colligere vix, aut aegre possis. Quapropter si vis omnes tentationes faciliter vincere, stude omni tempore ferre internum, et elevatum animum, et desiderium in Deum, semper magis sequendo internum amoris exercitium, quam externa opera virtutum. Ad quod tamen nemo pervenire potest, nisi affectus ejus expeditus sit ab omni re infra Deum existente, et adeo in Deum raptus sit, ut seipsum contemnere sciat in omnibus propter amorem Dei. Nam purus amor facit spiritum purum, simplicem, et ab omnibus liberum, ut sine labore sese recipere possit in Deum. Ubi namque amor, ibi est oculus memoriae, et cordis affectus.

7. Tolle rancorem.

Septima est mortificatio omnis amaritudinis cor-

cordis, quae variis ex caussis oriri solet. Primo ex praesumptione propriorum meritorum, qua nonnulli proni fiunt ad temere judicandum, et aspernandum ceteros, falsa justitia pleni, quae indignationem parit, non compassionem. Secundo ex immortificatis eorum desideriis, quae inflammant eos ad murmurandum contra superiores suos, et alios, qui eorum vitiis non acquiescunt, sed resistunt. Tertio ex rancore, et odio propter aliquas praecedentes offensiones, propter quas facta illorum, quos odiunt, pervertere cupiunt, et invenire in illis, quod vituperent. Quarto ex invidia, qua alienas virtutes, quibus ipsi carent, extinguere vel obscurare quaerunt, ut illis praeferri, aut aequari possint. Quinto ex mala, et exasperata conscientia, qua instar basilisci alios laedere cupiunt, et secum ad peccata trahere, quibus gratiam Dei invident, et ex malitia, qua ipsi pleni sunt, omnia in pejus interpretantur, et peccant in Spiritum sanctum. Has et omnes alias amaritudines tam perfecte vinci, et consumi necesse est in suavitate divini amoris, ut etiam persecutores, et inimicos nostros tam pleno cordis amplectamur affectu, ac si nostri optimi forent amici, uti et revera sunt, quandoquidem ad grandia nos merita perducunt,

8. Fuge inanem gloriã.

Octava est mortificatio omnium affectuum vanae gloriae, propriae complacentiae, honoris, atque superbiae de teipso, de tuis verbis, et operibus, gratiis, et donis, idque per claram cognitionem tuae vilitatis, et desiderium omnis contemptus, ut soli Deo placere possis. Hinc om-

omnia bona soli divinae gratiae, filiali fidelitate adscribes, reputans te omnibus illis indignum, et cunctis viventibus viliorem, propter magnitudinem, turpitudinem, et multitudinem peccatorum tuorum, et ingratitudinis tuae. Secundo, propter infinita peccata, in quae incidisses, nisi sola Dei miseratio te praeservasset. Tertio, quia non est peccator in mundo, si tantas gratias, et occasiones benefaciendi habuisset, ut tu, qui non fidelius Deo servivisset, quam tu. Sicque Deo, cujus est omne bonum, eris gratus ex una parte, et teipsum valde humiliabis ex altera. His bene expensis, secundo loco desiderabis toto corde ab omnibus contemni, illudi, conculcari, et omnem confusionem amore Dei pleno affectu suscipias; quia haec est vita compendiosa ad maxima merita, qua tamen paucissimi ingredi volunt.

9. Ne quaeras consolationes.

Nona est mortificatio omnium affectuum, oblectationum internarum spiritualium, & sensualium, in gratia, devotione, dilectione, & dulcedine sensibili in viribus inferioribus animae: quae quidem non sunt vera sanctitas, vel caritas, sed sunt quaedam Dei dona, nobis ut fortius moriamur, non ut in illis quiescamus, in subsidium infirmitatis nostrae data. Porro quantum tibi ipsi in istis duodecim punctis morieris, tantum habes veri amoris, nec quidquam amplius. Immo omnia, quae a Deo desiderare potes, nec refers ad nudam tui mortificationem propter amorem Dei, permixta sunt cum natura, seipsam fere in omnibus, etiam in Deo, & in divinis quaerente adeo subtiliter, ut repulsa ab una par-

parte, mox occulte revertatur ad alteram, priusquam id ipsi deprehendere valeamus. Et ideo paucissimi seipsos vere agnoscunt,& perfecte evincunt. Deinde secundo loco morieris omni curiosae investigationi, speculationi, cognitioni, & visioni intellectus in rebus,& scientiis tum divinis, tum humanis, in quibus misere tempus & laborem suum multi perdunt, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes: quum vita perfecte Christiana non in alta scientia, sed in profunda humilitate, sancta simplicitate, & ardenti amore Dei fundetur, quo semper anhelare debemus ad moriendum nobis in omni derelictione, ut Deo perfecte uniri, & ab illo absorberi valeamus.

Decima est mortificatio omnis scrupulositatis cordis, per plenam confidentiam erga divinam bonitatem. Haec scrupulositas interdum vexat nonnullos propter inordinatum amorem sui, quo magis timent Dei vindictam, infernum & justitiam, quam ament ejus bonitatem. Et ideo ex servili timore sua cuncta agunt bona, & vitant mala. Quapropter non emendant fideliter defectus suos, ob quorum aculeos, & remorsum anguntur, nec Deo plene confidere possunt. Cum enim amor eorum ad Deum modicus sit, parvam generat confidentiam: sicut e diverso amor magnus magnam parit fiduciam. O beata spes! dummodo ex ea non tepescas, sed ad majorem tui mortificationem, & omnium adversitatum tolerantiam,& gratitudinem exciteris. 10. Ne angaris scrupulis.

Undecima est mortificatio omnis impatientiae cordis in omni externa adversitate, infamia, 11. Patiens esto.

mia, derisione, contumelia, damno rerum, infirmitate, & poena corporis, persecutione, & derelictione mentis, quae tibi permissione divina accidere possit, quibus Deus cariores suos amicos probare solet: idque ex maxima caritate, pro ipsorum aeterna salute. In quibus & ipse dominus Jesus multipliciter probatus est, qui mansueto corde omnem sustinuit contumeliam, irrisionem, verbera, sputa, flagella, & crucis tormenta: quin & pro inimicis suis oravit, nec poterant tanta illi tormenta inferre, quin multo plura desideraret pati ob Patris honorem, & animarum salutem. Igitur haec omnia tibi quoque: toleranda sunt in primis, ne corde, verbo, aut opere ullum prae te feras rancorem, sive vindictam: secundo; ne amaritudinem, sive tristitiam, quae ex proprio oritur amore, in corde geras; sed gravioribus te malis dignum arbitrans, omnia humiliter sufferas, teque ad omnem futuram adversitatem voluntarie offeras: & tertio, ut per patientiam affectionis, quo conformeris dominicae passioni, omnia adversa cum magno desiderio expectes, & suscipias, plura semper tolerare paratus. Hinc magnam obtinebis divini amoris abundantiam, cunctas animae tuae vires penetrantem: adeo ut dolorem non sentias, sed persecutores tuos, velut intimos amicos magno amore prosequaris.

12. Voluntatem resigna.

Duodecima est perfecta mortificatio omnis propriae voluntatis, cum plena tui resignatione ad omnem internam derelictionem, & pressuram sustinendam pro amore Dei. Quia igitur nihil homo pretiosius habet libero arbitrio, ex cu-

cujus abusu mox omnia pullulant vitia, ideo si illud Deo resignaverit, protinus, subverso hoc fundamento, corruent omnia vitiorum germina. Porro imperfectos juvat vovere alicui obedientiam, & se tradere alterius voluntati. Perfectis autem necesse est habere voluntatem submittendi se aliis, quando Deo placuerit. Omnibus autem hominibus expedit beneplacitam Dei voluntatem indesinenter intrinsecus observare & exequi. Obedientia igitur voti debet esse foris in operibus: & obedientia conformitatis intus in prompta voluntate conformandi se voluntati superioris sui; idque pure pro amore Dei, absque ullo respectu gratiae humanae, ita ut inde exoptet potius abjici, & contemni, quam laudari, aut muneris quidpiam capere. Tertia autem obedientia, quae dicitur unionis cum Deo, tam perfecte unit voluntatem nostram divinae voluntati, ut una jam sit voluntas effecta: ita ut quidquid Deus circa nos fieri permittit, etiam in omni interna pressura, & desolatione, totum ex constitutione immensi amoris, & misericordiae Dei provenire fateamur, & summo suscipiamus affectu, quantumvis etiam arduum, ignominiosum, aut molestum sit in tempore, & aeternitate, juxta exemplar dulcis Jesu, qui ab agonia in horto usque ad mortem crucis omni affluentia sensibilis gratiae, quasi inimicus Dei fuisset, undique destitutus erat, stans in maximis poenis, in nudo dumtaxat essentiali amore perfecte resignatus.

His duodecim mortificationibus adeptis, jam sponte absque ullo medio vires animae no-

ſtrae fluere poterunt,& quieſcere in Deo ſua origine. Verum ut clarius dignoſcas, qualiter verum amorem, et ſtabilem unionem inter Deum, & animae tuae vires poſſidere queas, videlicet in ornatu vitae activae per humilitatem, obedientiam, ceteraſque virtutes morales, & in ejuſdem profectu per fidem, ſpem, & dilectionem: atque in vita contemplativa ſpirituali per ignitas aſpirationes, & dona Spiritus ſancti, aliaque pia exercitia, obſerva diligenter quae in ſubjectis breviter explicata offendes.

AD VULNERA DOMINI JESU.

EXERCITIUM VII.

De odio omnium peccatorum, & acquiſitione virtutum omnium D. Jeſu.

Odi peccata

SEptimo exerceas te in vero, conſtantique odio omnium peccatorum, ita ut nunquam illa admittere velis, quantumvis etiam minuta fuerint, pro quocumque damno, vel ſcandalo, ſive tormento evadendo. Omne namque vitium extirpatum ſit oportet, antequam ſuccedat virtus, & antequam in cor Jeſu ad unionem ſpiritus intrare permittaris. Nihil ergo ita odies, ſicut peccatum etiam exiguum, quia dividit inter Deum, & animam tuam.

Cole virtutes.

Secundo exercebis te in aſſidua perquiſitione, & amore omnium, & ſingularum virtutum, quamlibet mirae, ac multiplices fuerint: immo ſi ſcires, ſingulas guttas maris eſſe virtutes, labo-

borandum tibi foret pro iis omnibus obtinendis, pro ſummo Dei honore. Enimvero totum corpus tuum Chriſto crucifixo ſemper, & ubique, quantum tibi poſſibile fuerit, conformando, virtutibus exornes, et crucifigas oportet, juxta exemplar corporis Chriſti Jeſu, qui ſemper crucifixus vixit, et crucifixus ex hoc ſeculo migrare voluit, idque ex ſuo infinito ad nos amore, qui ſemper in eo recens fuit, inſtar amoris novi ſponſi. Idcirco noſter amor ſemper recens eſſe debet erga ipſum, inſtar novi amoris, quem gerit fidelis ſponſa erga amantiſſimum ſponſum. Et ex iſto amore ſugere, et in nos attrahere debemus ex illius corpore has quinque nobiliſſimas virtutes cum filiabus ſuis, eaſque ita fortiter imprimere in animam, et corpus noſtrum, ut inſtar ſtellarum ſemper reluceant ex nobis.

Primam virtutem, videlicet veram humilitatem, portabis in pedibus tuis: rogabiſque dominum Jeſum per vulnera ſanctiſſimorum pedum ſuorum, et per infinitam humilitatem ſuam, quam ſemper exhibuit, praeſertim in aſſumpta humanitate, ut tibi concedat in omnibus tam humilem exiſtere, quantum ejus gratiſſima voluntas a te exigit. Hanc autem humilitatis virtutem tum demum perfecte adeptus eris, cum ſemper ingemiſcis, plangis, et contriſtaris, quoties tibi beneficium aliquod, aut honor exhibetur, quo te nimirum indignum recognoſces: et cum perfectum in te deſiderium omnis contemptus perſeverat inter omnia ſcandala, injurias, contumelias, poenas, et dolores, quae tibi irrogantur, quibus te digniſſimum judicabis.

1. Humilitatem.

Hu-

Et ejus filias.

Humilitas deinde parit tres filias, videlicet Obedientiam, Patientiam, Custodiam linguae. Verus obediens, non solum obedit suo superiori, et promissis, seu votis suis, sed etiam omnibus creaturis. Verus patiens portat, et suffert omnia pro honore et amore Dei, quantumvis aspera sint, quae Deus ipsi evenire permittit. Etenim attendit, quam patienter Dominus Jesus omnes suas cruces pertulerit nostra salute. Humilis interdum non multa-loquitur, quamvis sit sapiens, et eruditus, quia locutione non omnia obtinentur, meliusque fuerit bene vivere, et paucis dicere quod noris. Et ideo verus humilis parum loquitur, obediens, et patiens est, atque custodit linguam suam.

2. Sapientiam.

Secunda principalis virtus est vera sapientia, in omnibus cogitationibus, verbis, et operibus tuis exercenda: quae tam fortiter ac rationabiliter te gubernabit, ut nihil liceat tibi cogitare, loqui, neque agere, quantumvis etiam paruum sit, ut est articulum aliquem corporis movere, nisi ex vera ratione, et permissu Dei. Hanc sapientiae virtutem portabis in capite tuo, imprimesque caput tuum in transfixum caput Jesu Christi, obsecrando eum per dolorem sanctissimi capitis sui, ut tuum caput sua divina sapientia exornare velit, quantum ipsi visum erit, et sciverit tibi necessarium fore, pro suo summo honore, tuaque, et proximi tui salute. Enimvero sapientia maxime necessaria est ad omnem spiritualem vitam, ordine, ac juxta rationem instituendam, et consummandam.

Et ejus filias

Sapientia generat tres filias, videlicet Timo-

morem Domini, Discretionem, & Simplicitatem. Sapiens Deum nunquam offendit: quia qui peccat, sapiens non est: & ubicunque vera habitat sapientia, ibi etiam timor domini invenitur. Et hoc timore oportet nos semper ornatos esse, more filiali, non servili. Inde suapte sponte sequitur Discretio, quae medium virtutis, modumque, & mensuram in omnibus servare contendit, ne quid nimis, minusque justo agens, Deum offendat. Sancta autem simplicitas est, omnem duplicitatem, & multiplicitatem, & curiositatem vitare, & uni summo bono inhaerere, & omnia bona, & mala immediate a Deo, & non a creaturis recipere, & rursus in Deum referre, sapienterque in omnibus voluntatem & ordinationem Dei observare, Deoque, & omnibus creaturis propter Deum obedire, simpliciter & perfecte omnia in Deo resignato animo faciendo, cum suavitate, non cum impetu: quia Deus omnia operatur, si ei locum demus. Absque simplicitate sapientia esset nimis curiosa, & superba. Ubi autem verus timor, prudens discretio, & pura simplicitas possidentur, error, aut peccatum haud facile subrepere poterit.

Tertia principalis virtus est vera Caritas Dei. Hanc virtutem portabis in corde tuo: attendensque transfixum cor Jesu Christi, cor tuum in illud imprimes, obsecrabisque eundem per amorem divini cordis sui, & per humanum transfixum cor suum, ut per eadem largiri tibi dignetur perfectum sui amorem. 3. Caritatē.

Caritas Dei parit has tres filias: Fidem, Spem, & in omnibus virtutibus Perseverantiam. Et ejus filias

Sed

Sed hinc omnis noſtra exoritur defectio, quæ non perſeveramus, eo quod caritas noſtra ſatis magna non eſt, quae perſeverantiam parere poſſit. Nam qui ex vera caritate rem aggreditur, quantumvis arduam, & mirabilem, non ceſſabit donec eam obtinuerit: quia caritas gignit fidem, qua mira operari poſſumus, ſicuti etiam per ſpem firmam in Deum, qua habitamus confidentes in adjutorio altiſſimi, non in noſtris viribus.

4. Juſtitiam. Quarta virtus principalis eſt Juſtitia, quam portabis in manu tua dextera: attendeſque dexteram Jeſu Chriſti, quomodo propter juſtitiam clavis affixa fuit cruci: obſecrans ipſum ferventer per acerbiſſimam poenam, quam ſuſtinuit in vulnere manus ſuae dexterae propter juſtitiam, & per amorem, qui ipſum hanc ſuſtinere coegit, ut tibi dare dignetur veram juſtitiam in omnibus operibus tuis: ut reddas Deo, quae illi debentur, videlicet omnem honorem, & gloriam, & gratiarum actionem in omnibus cogitationibus, verbis, & operibus tuis: ſimiliter tuo ſuperiori, & aequali, & inferiori, quae illis debentur: & corpori tui in cibo, potu, veſtibus, & aliis neceſſariis non plus, nec minus, quam tenearis.

Et ejus filias. Juſtitia parit tres filias, Miſericordiam, Veritatem, & Gratitudinem. Juſtitia eſt mirabilis virtus, quae dat unicuique, quod illi debetur, & parit miſericordiam. Vera miſericordia primum miſeretur animae proximi, ut ſi verbi gratia, pauper eleemoſynam a te petierit, principio ipſi, ſi opportune potueris, & fructum ſperes, cognoveriſque illum aliquo vitio laborare,

aut

aut periclitari, ſpiritualem eleemoſynam impertiri teneris pro cibo animae, quae primo loco tibi paſcenda eſt, ubi defectum, vel penuriam patitur, quae melior eſt corpore. Juſtitia etiam veritatem parit, quae in omnibus Deum quaerit. Parit etiam gratitudinem. Nec enim fieri poteſt, quin juſtus gratias agat Deo, & omnibus, qui ipſi viam monſtrarunt ad Deum, & cooperati ſunt pro ſalute animae ſuae.

Quinta virtus eſt vera, & divina fortitudo in omnibus virtutibus adimplendis, & in omnibus vitiis eradicandis. Vera ſortitudo nihil curat, neque timet diabolum, nec homines, neque mundum, neque propriam carnem, ſed confidenter procedens, & pertranſiens, facile contemnere poteſt omnia propter Deum, a quo fortitudinem illam accepit. Quum autem tentatio aliqua hominem apprehenderit, qua pene in ruinam impellitur, tum divina fortitudo homini ſuccurrit, ſuggeritque dicens: quidnam vis agere? Vis Deum tuum offendere? Quorſum tendis? Ubi, & ſicuti jam bene es, ita permaneas, ne deteriora tibi contingant. Hanc verae fortitudinis virtutem portabis in ſiniſtra manu tua: attendenſque ſiniſtram manum Jeſu Chriſti, ipſum obſecrabis per dolorem hujus vulneris ſui,& per mirabilem fortitudinem, quam in omnibus operibus ſuis exhibuit, ut veram tibi fortitudinem infundere dignetur, quanta tibi neceſſaria eſt pro ejus ſummo honore, & tua ſalute. 5. Fortitudinem.

Fortitudo has tres generat filias, videlicet Caſtitatem, Sobrietatem, Paupertatem. Homo Et ejus filias

mo

mo fortis nusquam haeret, neque moratur, sed fortiter pertransit universa, quae in mundo sunt, quasi ad eum non pertinerent: neque veretur aquam adire, & ignem, divino adjutorio fretus, donec obtinuerit, quod desiderat. Homo fortis facile in omnibus contentus est, etiam frusto panis, vestitu simplici, & vili supellectili: quandoquidem studet aequabiliter Deo omni tempore adhaerere. Idcirco castitatem generat, quia omnem immunditiam Deo exosam detestatur. Sobrietatem quoque parit, quia nullam sciens admittit superfluitatem. Paupertatem autem producit, quia nullam omnino rem mundi vult possidere. Et revera paupertas voluntaria mirabile, & optimum est medium ad Deum possidendum.

Et has, quas praediximus, virtutes omnes domini nostri Jesu Christi, per totam vitam tuam ab ipso postulare, & tuo corpori, et animae imprimere debes: conformando te in his virtutibus domino Deo tuo pro te crucifixo, quantum tibi possibile fuerit: semper et ubique imaginem crucifixae vitae, et mortis suae in ipsis, quas praediximus, virtutibus, aut saltem in quinque illarum praecipuis contemplando, et imitando, teque in ejus cruce extendendo, et configendo: ita ut quocunque te vertas ad dextram, sive ad sinistram, semper unam ex virtutibus Jesu, in ea, quam tunc attendis, parte corporis tui videas collocatam, et tibi imitandam. Neque enim Dominus Jesus ullum suae mortis vult facere participem, qui propter ipsum carnem cum vitiis, et concupiscentiis suis crucifigere, et mori re-

recusaverit. Porro quamvis nostrae vilissimae carnis crucifixio, et mors nihil penitus sit comparatione crucis, et mortis Dei nostri, dignatur tamen mitissimus Dominus ex infinita pietate sua gratas habere modicas cruces, quas amore sui sponte tollimus, aut ipsius promissione per internas derelictiones, et tentationes, aut per externas injurias, pressuras, et dolores nobis impositas portamus. Nam aeque gratum illi est, undecunque super nos cruces ceciderint, modo propter ipsum nostrae propriae voluntati, sive cupiditati moriamur.

Istud vero VII. exercitium, una cum VIII. exercitio sequenti, postquam semel diligenter peregeris, et bene imbiberis, deinceps usque ad finem vitae tuae non deseres. Quinimo habitualiter in animo tuo omni loco, et tempore circumferes: et semel in die devote exercebis: et tempore tentationis, aut ariditatis, pro scuto, et excitamento fervoris arripere non negliges: ut sic Christum induere, in ipsum transformari, et per ejus humanitatem in divinitatem intrare merearis: ut tu de cetero maneas in Deo, et Deus in te. Inspice igitur, et fac omnia secundum exemplar, quod tibi in monte Calvariae monstratum est a monte montium, sancto sanctorum, summo sacerdote Christo Jesu, imprimendo perfectissimas virtutes ejus exteriori homini, et infinitam caritatem ejus tuo homini interiori,

IDEM EXERCITIUM

In orationis formulam practice redactum, mente tamen exercendum, pro virtutibus Jesu impetrandis.

Ad pedes Jesu.

O Dulcissime Domine Jesu Christe, obsecro te per vulnera, et dolorem sanctissimorum pedum tuorum, et per amorem, qui te hunc pro nobis sustinere coegit, et per profundissimam humilitatem tuam, quam semper exhibuisti, praesertim in assumpta humanitate tua, da mihi intimam cordis mei in conspectu tuo submissionem, qua tuae infinitae majestatis dignitatem, et humiliationem, et eregione extremae vilitatis meae abyssum, meumque nihilum clare cognoscens, omni tempore, sub omnibus creaturis, corde, et animo, et etiam quoties expedit, opere me profundissime humiliem, odiam, et adnihilem, et ab omnibus hominibus, velut turpissimum lutum platearum, contemni, et conculcari cupiam; et aliquid beneficii, aut honoris a creaturis recipere doleam, et refugiam. Humillima quoque verba proferam, et meam multiplicem culpam libenter absque ulla excusatione agnoscam. Et de mea virtute desperans, haec verba mihi medullitus infixa retineam, videlicet: Nihil sum: Nihil habeo: Nihil praeter unum concupisco; in vilissimum meum nihilum, in infernum inferiorem me justissime, et profundissime demergens, et collocans.

Petitio Humilitatis.

Da

Da etiam mihi imitari tuam simplicem obedientiam per flexibilem promptae voluntatis meae subjectionem, ita ut nunquam fatiger in abnegando meam propriam voluntatem, in subdendo carnem spiritui, & in observando, & adimplendo humiliter tuum beneplacitum intus, & in obediendo non solum superioribus meis, sed etiam omnibus creaturis, quantum licuerit foris: ita ut nihil unquam cum proprietate, & adhaesione faciam, sed perpetua quadam mentis submissione ad pedes tuos jacens, nihil de me, & creaturis omnibus in tempore, & aeternitate desiderem, nisi tuam sanctissimam nosse, & exequi voluntatem, dicendo semper in desiderio animae: Domine, quid me vis facere? omni mea voluntate in tuam voluntatem transfusa, penitus amissa, & ad nihilum redacta. Petitio Obedientiae.

Da quoque mihi imitari tuam stupendam patientiam, & mansuetudinem, qua omnem paupertatem, contumeliam, poenam, & dolorem de manu paternae providentiae tuae aequali, & grato animo suscipiam, & majoribus malis me dignissimum agnoscens, graviora semper pati desiderem, & adeo longanimiter ex desiderio conformitatis crucifixae vitae, & mortis tuae ea omnia sufferam, ut nihil in me notetur humanum, sed sit vita mea tecum abscondita in Deo. Petitio Patientiae.

Da mihi tui exemplo humilem taciturnitatem, qua intus tua verba diligenter auscultans, foris ab omni otioso, mendaci, & noxio verbo loquendo, vel audiendo stricte abstineam: & sola necessaria, & utilia paucis humiliter dicam, magisque curem bono exemplo docere, quam verbo. Custodiae linguae.

 Ad

Ad Caput Jesu.

Petitio Sapientiae.

O Dulcissime Domine Jesu Christe, obsecro te per acerbissimum dolorem vulnerati capitis tui, & infinitum amorem, qui hunc te subire coegit, imprime caput meum in spinis compunctum caput tuum: & exorna caput meum tua divina sapientia, quantum mihi expedit pro tua gloria, et mea salute; (nam haec virtus mihi ad spiritualem vitam maxime necessaria est): et per eamdem me foris, et intus ita gubernare digneris, ut nihil unquam cogitem, dicam, agam, aut patiar, quantumvis exiguum, nisi expensis primum illius circumstantiis, et fine, ex illuminata per te ratione, et interna tua licentia, hoc tibi placitum cognovero. Intellectum quoque meum per eandem clara tuae bonitatis, et voluntatis, et eregione meipsius, et omnium rerum vilitatis, ac nihili cognitione illustra. Et affectum meum tuae dilectionis, et dulcedinis gustu, insatiabili quoque te honorandi, et me contemnendi desiderio inebria: et terrena omnia mihi in amaritudinem converte, meque surdum, caecum, et mutum ad omnia, quae tu non es, potenter effice, tanquam mox ex hoc seculo migraturum.

Petitio Timoris Dei.

Da mihi filialem tui timorem, perpetuumque odium omnis peccati etiam minimi, strictamque mei interioris, et exterioris hominis custodiam, ut semper uno oculo introverso verba, et opera mea praecogitem, et ante singula tuum divinum auxilium devotus invocem: et

mox

mox ubi aliquid rationi contrarium deprehendero, statim cessem, ne gratiam tuam amittam, aut oculos tuae pietatis offendam.

Da mihi claram spirituum discretionem, qua omnes laqueos diaboli, proprias quoque naturae quaesitiones, errores, & excessus limpide cognoscere, & vitare, & universa, quae mihi incumbunt, prudenter advertere, recte discernere, & suis debitis modo, ordine, tempore exequi valeam: & inter plus, & minus, medium virtutis attingam. Petitio Discretionis.

Da mihi sanctam parvulorum simplicitatem, qua ab omni duplicitate, & multiplicitate, curiosa quoque perscrutatione in intellectu; proprio amore,& quaesitione in voluntate;cogitationibus, curis, & imaginibus in memoria denudatus, clausisque,& introversis sensibus,& viribus meis, sedulus mei ipsius inhabitator effectus, simplici cogitatione, & desiderio, uni tibi simplici Deo adhaeream, reverenterque in praesentia tua ambulem, sollicitus servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Et sic omnes cogitationes, verba, & opera mea diligenter observem, & ex simplici sub te, & aliis hominibus obedientia, absque adhaesione, in te, & per te perficiam. Et omnia accidentia bona, & mala de manu providentiae tuae immediate suscipiam, & referam in te: & ad singula me statim in meum nihilum introrecipiam, & tibi primum ex illis laudem debitam offeram: deinde attendens,quid per ea a me fieri velis, sive quorsum haec mihi serviant, aut me moveant, videlicet ut orem, aut gratias tibi agam pro aliis, aut pro me propter bona data; Petitio simplicitatis.

aut mala permissa, sive ablata: vel ut meipsum humilem, custodiam, & resignem, aut certe ut agnoscam, & emendem culpam, infirmitatem, aut negligentiam: sive ut aliud quippiam faciam: (nam sine caussa nihil mihi, aut ulli creaturae permittis accidere); haec, inquam, vigilanter advertens, aliquam ex singulis eventibus virtutem hauriam, et tuam voluntatem in omnibus sapienter, et simpliciter adimpleam, omnem propriam quaesitionem semper, et ubique repudiando.

Ad Cor Jesu.

O Dulcissime Domine Jesu Christe, obsecro te per ardentissimum divini cordis tui amorem, et per humanum transfixum cor tuum, et pressuras ejus, imprime cor meum in transfixum cor tuum, et reple illud perfectissima caritate, quae omnem privatum amorem erga meipsum, et creaturas in me funditus occidat: et sagitta tui igniti amoris adeo vulneret, et accendat, ut te dulcissimum Dominum Deum meum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente,, et ex omnibus viribus meis, pure propter bonitatem tuam, absque ulla retributionis contemplatione, perfectissime diligere, magna dimittere, operari, et pati valeam ex amore propter te, et in his perseverare usque in finem. Et flammigeris, infinitisque desideriis, et orationibus, pro perfecta mei abnegatione, et amorosa tecum unione obtinendis, ad te indesinenter suspirem, clamem, et pulsem: teque semper cogitem, te loquar, te esuriam, et sitiam,

Petitio Caritatis.

te

te quaeram, et inveniam, donec totus in te transformatus unus tecum ſpiritus fiam, in te perpetuo manens, et tu in me. Da mihi quoque eadem caritate diligere omnem hominem in te, et propter te, ſicut meipſum.

Da mihi fidem vivam, et fortem, quae mira, et grandia operetur pro honore tuo: atque intentionem rectam fidei lumine illuſtratam, quae in cunctis agendis, ſive tolerandis, ſimplicem purae mentis oculum ad tuam gloriam, et beneplacitum dirigat, et omnem quaeſitionem naturae ad ſeipſam reflexae protinus reſcindat, rejiciatque. Petitio Fidei. Intentionis.

Da mihi firmam ad te ſpem, et confidentiam; qua anima mea ſupra omnem labentium rerum viciſſitudinem in te levata, univerſos motus ſuos abſque ſollicitudine, et imaginum attractione, adeo pure in te manens exequatur, ut amoroſum in te influxum nunquam impediat, vel amittat; ſed etiam inter adverſa, et pericula quaecunque plena fiducia tuam providentiam longanimiter expectet: atque orationes ſuas propter infinitam bonitatem tuam exaudiendas humiliter ſperet, abſque haeſitatione ulla habitans in adjutorio, et protectione tua. Spei.

Da mihi ſtabilitatem, et perſeverantiam ex forti amore procedentem, qua continuo proficiendi ſtudio juxta ſanctiſſimae vitae tuae ſpeculum ſaepius attendendum, quae retro ſunt, oblitus, me in anteriora extendam, frequenter diſcutiam, et ſaepius diſtractus, novo fervore ad te revertar, et per aquam, et ignem tranſiens, uſque in finem perſeverem. Perſeverantiae.

Ad Dexteram.

Petitio Justitiae. O Dulcissime Domine Jesu Christe, obsecro te per acerbissimum dolorem, quem sustinuisti in vulnere manus tuae dexterae, et per infinitum amorem, qui hunc te sustinere coegit propter justitiam, pro nostri redemptione da mihi perfectam justitiam, qua tibi Deo meo omnem attribuam honorem, gloriam, et gratiarum actionem, atque obedientiam in omni cogitatione, verbo, et opere meo: et meis superioribus, aequalibus, et inferioribus, animae quoque, et corpori meo reddam, quae illis debentur. Omnia vero debita, quae juxta statum meum mihi solvenda incumbunt, tempore congruo summa cum devotione persolvam, et prohibita fugiam: atque pro omnibus peccatis, et negligentiis meis, poenitentiae, et amoris lacrymis quotidie meipsum mactans, in hoc saeculo per meritum passionis tuae expurger: sicque digne ambulem vocatione, qua vocatus sum, ut creaturam decet rationalem.

Petitio Misericordiae. Da mihi quoque imitari propensissimam misericordiam, compassionem, benignitatem, et liberalitatem tuam erga omnes homines etiam meos adversarios, ut nemini unquam irascar, sive succenseam: neminem odiam, judicem, contemnam, contristem, neque laedam; sed omnes sine personarum acceptione, materno affectu in te diligam, et honorem: omnibusque, praesertim afflictis, tentatis, et inimicis, fideliter serviam, benefaciam, et oratione, et subsidio quocun-

cunque pro viribus succurram: animarum salutem ante omnia sitiam, et quaeram, atque pro eorum malis intime doleam, et orem; et pro bonis gratias agam, sicut pro meipso fieri optarem.

Da mihi imitari tuam veritatem, et strenuum zelum contra mea, et aliorum vitia, qui pro tui honore, et animarum salute me totum comedat, et vitam meam, et opera cum corde, et verbis apte consentire faciat, et sanctissimae vitae tuae virtutibus ubique conformet. Petitio Veritatis, & Zelus.

Da mihi intimam gratitudinem, qua omnia beneficia abs te, et a creaturis mihi impensa humiliter recognoscam, digne ponderem; et summa devotione te laudando, tibique gratias agendo, tuae bonitati (ex qua manarunt) pure absque ulla subtractione adscribere illa, et accepta referre studeam, et me velut omnibus indignum, et abutentem, in profundum meum nihilum demergam, in nullo prorsus dono tuo vel modicum oblectari, aut requiescere praesumens. Gratitudinis.

Ad Sinistram.

O Dulcissime Domine Jesu Christe, obsecro te per dolorem, quem sustinuisti in sinistra mann tua, & per mirabilem fortitudinem tuam, quam exhibuisti in omnibus operibus tuis, infunde mihi tantam fortitudinem, quanta mihi necessaria est pro tua gloria, & mea salute, qua dominari valeam animo meo, viribus quoque, & sensibus meis, ita ut neque homines, neque daemones, nec mundum, nec carnem propriam timens, confidenter pertranseam, & conte- Petitio Fortitudinis.

te-

temnam universa, tanquam ad me non pertinentia, propter te, qui mihi hanc fortitudinem dedisti, & nunquam haeream, neque cessem, donec obtinuero, quod desidero, videlicet ut unus tecum spiritus fiam, & maneam.

Petitio Castitatis. Da mihi tuam amabilem imitari castitatem corporis, & puritatem cordis, qua omnem immunditiam vehementer detestans, universas cogitationes, & sensus meos ab omni peccato, & ejus occasionibus, & ab omni impuritate, & adhaesione creaturarum indesinenter custodiam, & ab immundis incidentiis, sine mora, forti ad te cordis conversione, quoties inciderint, integra voluntate semper recurram, atque sic nudo intellectu, & affectu tibi semper adhaeream.

Petitio Sobrietatis. Da mihi imitari tuam sanctissimam sobrietatem, qua omnes vires, & affectus animae, & sensus corporis mei ab omni inordinata delectatione, & superfluitate restringam, & mortificem: & sola necessaria, absque desideriis, cum magno tui timore, & affectus aversione moderate usurpem, supremis animae viribus in amorosa tui unione fortiter permanentibus, & ad te suspirantibus.

Petitio Paupertatis. Da mihi imitari quoque tuam voluntariam paupertatem, quae mirabili compendio hominem in Deum ducit, & da mihi per illam ab omni amore, adhaesione, & delectatione in donis tuis spiritualibus intrinsecus, & ab omni affectu rerum temporalium extrinsecus adeo nudum, & absolutum, & pauperem spiritu fieri, & manere, ut etiam rebus necessariis utar cum dolore, & fastidio: & nihil unquam possidere desiderem,

sed

ſed nudus intra nuda brachia tua crucifixus requieſcam, nihil in me reſervans, niſi intentionem tibi placendi, & locum dandi, quo id potero, modo perfectiſſimo.

IDEM, SED BREVIUS.

Ad vulnera pedum Jeſu.

GRatias tibi ago humillimè, Jeſu, pro incomprehenſibili amore, & dolore vulnerum ſanctiſſimorum pedum tuorum: ſimulque in ea projicio meipſum totum, et omnia peccata, et delicta totius anteactae vitae meae praeſertim omnem meam

1. Superbiam, vanam gloriam, et arrogantiam:
2. Voluntatem propriam, inobedientiam, irreverentiam erga te, tuoſque vicarios:
3. Impatientiam, iracundiam, et rancorem:
4. Loquacitatem, detractionem, vitiaque his cognata: ut aboleantur, et expientur precioſo ſanguine tuo; obſecrans te per ineffabilem humilitatem, obedientiam, patientiam, et taciturnitatem tuam, ut has eaſdem virtutes, et omnes earum ſpecies mihi largiri digneris: quo per gratiam tuam in cunctis deinceps verbis, cogitationibus, et operibus meis ſim vere

1. Humilis, ſubtus omnem creaturam, ad nihilum me redigendo:
2. Obediens, ſub te, et omni homine, propriam voluntatem meam abnegando:
3. Patiens, omnia adverſa de manu tua avide recipiendo:

4. Ta-

4. Taciturnus, solis tuis verbis in silentio intus auscultando:

Atque in omni vita, maxime terribili mortis hora, sit mihi certum in his sacris vulneribus refugium.

Ad Caput.

GRatias tibi ago, sapientissime Jesu, pro amore, et dolore sacrosancti capitis tui crudelissime spinis compuncti, et dire caesi: simulque in ejus innumera vulnera infirmum caput meum cum viribus, et sensibus meis, et omnia peccata, et delicta mea projicio, praesertim

1. Omnem proprii sensus, & prudentiae pertinaciam, sensuum abusum, & dissolutionem:
2. Timoris tui neglectum, adulationem, & timorem hominum:
3. Indiscretionem, & immoderationem meam multam:
4. Impuram intentionem, & propriam quaesitionem, vitiaque cuncta huc pertinentia: ut expientur precioso sanguine tuo. Obsecroque te per ineffabilem sapientiam, timorem, discretionem, & simplicitatem tuam, ut has easdem virtutes, & omnes earum species mihi largiri digneris: quo per gratiam tuam in cunctis deinceps cogitationibus, verbis, & operibus meis sim vere

1. Sapiens, nudis intellectu, & affectu tibi adhaerendo:
2. Pie metuens, ne te offendam, foris, & intus me observando.

3. Di-

3. Discretus, inter extrema medium virtutis attingendo;
4. Simplex, & introversus, in te uno habitando, teque solum pure quaerendo:
Atque in omni vita, praesertim mortis angustiis, sit mihi certum in tuo vulnerato capite refugium.

Ad dulcissimum cor Jesu.

GRatias tibi ago, amantissime Jesu, pro infinito amore, & dolore dulcissimi cordis tui lancea militari sub aspectu tristissimae matris tuae dire confossi: simulque in ipsum totius boni fontem, totum cor meum cum omnibus affectibus suis commendo, projicio, & resigno, atque una omnia peccata, & delicta mea, praesertim
1. Omnem amorem privatum, & vitiosum quarumlibet rerum creatarum; Sacramentorum, donorumque tuorum abusum, & negligentiam:
2. Diffidentiam, infidelitatem, et errores;
3. Temeritatem, pusillanimitatem, et desperationem:
4. Eorum, quae status mei sunt, incuriam, & instabilitatem, vitiaque cuncta huc pertinentia: ut aboleantur, et expientur precioso sanguine tuo. Obsecroque te per ineffabilem caritatem, fidem, spem, et constantiam tuam, ut has easdem virtutes tuas, et omnes earum species mihi largiri digneris; quo per gratiam tuam, in cunctis deinceps cogitationibus, verbis, et operibus meis sim vere

1. Fer-

1. Fervidus, te unum totis viribus diligendo, et suspirando:
2. In prosperis, et adversis plena fide, et spe tibi innitendo, et adhaerendo:
3. Stabilis, continuo proficiendi studio me extendendo:

Atque in omni vita mea, maxime tremenda mortis hora, sit mihi securum in hoc fidissimi cordis tui vulnere refugium.

Ad dexteram.

GRatias tibi ago, justissime Jesu, pro incomprehensibili amore, et dolore vulneris sanctissimae dexterae tuae: atque in ipsum me totum projicio, ac omnia peccata, et delicta mea: praesertim

1. Omnem meam injustitiam erga te, et creaturas tuas:
2. Cordis asperitatem, displicentiam, et invidiam:
3. Falsitatem, mendacium, et hypocrisim:
4. Ingratitudinem erga tua, et tuorum beneficia: ut aboleantur et expientur precioso sanguine tuo. Obsecroque te per ineffabilem justitiam, misericordiam, veritatem, et gratitudinem tuam, ut has easdem virtutes, et omnes earum species mihi largiri digneris: quo per gratiam tuam in cunctis deinceps cogitationibus, verbis, & operibus meis sim

1. Justus, unicuique jus suum tribuens:
2. Misericors, omni creaturae bene volens, et faciens:

3. Verax, et zelosus, me totum tuo exemplo conformans:

4. Gratus, te semper benedicens, et benefactoribus vicem retribuens:

Atque in omni vita mea, maxime pavenda mortis hora, sit mihi certum in hoc sacro vulnere refugium.

Ad laevam.

GRatias tibi ago, fortissime Jesu, pro incomprehensibili amore, et dolore vulneris sinistrae manus tuae: atque in ipsum me totum projicio, et omnia peccata, et delicta mea, praesertim

1. Omnem ignaviam, torporem, et temporis perditionem:

2. Impuritatem mentis, et corporis:

3. Intemperantiam cibi, potus, et aliorum necessariorum,

4. Avaritiam, et cupiditatem, vitiaque huc pertinentia: ut aboleantur, et expientur precioso sanguine tuo. Obsecroque te per ineffabilem fortitudinem, puritatem, temperantiam, et paupertatem tuam, ut has easdem virtutes, et omnes earum species mihi largiri digneris: quo per gratiam tuam, in cunctis deinceps cogitationibus, et verbis operibus meis sim vere

1. Fortis, nusquam haerens, sed caduca omnia despiciens:

2. Castus, sensus, et vires meas in puritate custodiens:

3. Sobrius, sola necessaria cum timore percipiens:
4. Pauper spiritu et rebus, in te solo quiescens: Atque in omni vita mea, praesertim tremenda mortis hora, sit mihi certum in hoc sacro vulnere tuo refugium.

Ut autem jam dicta omnia impetrare dignus sim, efficiat apud te, Deus meus, singulare praesidium infirmitatis nostrae dulcissima mater tua, semperque virgo Maria, cujus ista sanctissimis, ac nitidissimis manibus commendo, ut per eam admitti mereantur in conspectum tuum, mihique veniam reportent, & gratiam. Amen.

EXERCITIUM VIII.

De pleniori conformatione, & transformatione in Crucifixum.

Octavo exercebis te in integra, acutaque meditatione vitae, & passionis Christi, imprimendo vitam, passionem, & mortem ejus profunde in animam, & carnem tuam, ut semper, sicut lucerna, ex te relucere possint, & de illis semper cogites, & loquaris. Quia Christus Iesus per easdem nos redemit, quando diabolus nos ut servos possedit, ut nunc ad patrem pertineamus, qui nos per unigenitum filium suum emit, solvendo per eundem debita nostra, quibus illi eramus obligati. Et hujus maximi beneficii gratia perpetuo manemus illi debitores. Quod si debitum hoc grate, ac pie eidem solvere veli-

velimus, vitam, passionem, & mortem ipsius in animae nostrae vires, corporisque sensus, & carnem imprimamus, assumamus, & imitemur oportet, quasi unum cum vita, & passione ipsius effecti. Et sic debitum, quod ipse pro nobis solvit, illi utcunque rependimus. Ut autem perfecte idipsum implere valeas, necesse est, ut omnes cogitationes, verba, opera, & mores tuos adeo conformes cogitationibus, verbis, operibus, & moribus Jesu Christi, ut ubicunque visus, auditus, sive tactus fueris, nihil in te inveniatur, nisi quod fuit in Christo Jesu. Et tum demum videbitur in te, quod sis vere Christianus. Christo passo conformare.

Insuper quoniam illi similes sumus in humana natura, oportet ut nostram naturam ejus exemplo crucifigamus, eo quod ipsa peccatum sponte elegerit: quemadmodum idem nos hortatur in evangelio, dicens: *Abnega temetipsum, & tolle crucem tuam, & sequere me*. Per hoc enim jubet, ut corpus, naturam, & sensualitatem nostram per veras virtutes crucifigamus. Animas quoque nostras conformabimus tristissimae animae Christi, dolentes semper de inhonoratione Dei, animarum perditione, ac nostris, & omnium hominum peccatis: quia quantum in istis deficimus, tantum manemus Domino Deo nostro debentes. Certe fidelis amator Jesu tam profunde sese immergere, & imprimere debet in vitam, & passionem ejus, ut eandem semper sentiat sibi magis praesentem, & infixam, quam suam propriam crucem, & afflictionem. Immo si singulari poena ipse in aliquo Cum illo te crucifige.

membro torqueretur, magis tamen sentire deberet passionem Christi, quam dolorem, quem in praesentiarum in ejusmodi suo ipsius membro pateretur. Idcirco magno desiderio orare non desinet Dominum Jesum, ut ipsum per ardentem, elevatum, & resignatum spiritum, tristem, compatientem, & mortificatam animam, per afflictum, laboriosum, & excruciatum corpus suae sanctissimae crucifixae humanitati perfectissime conformare dignetur: et ad minus aliquo continuo dolore corporali omni momento tempore, ut suae passionis nunquam obliviscatur, ut ipse in eo requiescere, et operari delectetur absque ullo impedimento.

Beatissimam igitur Domini Jesu passionem exercere debemus primo ad imitandum, secundo ad compatiendum, tertio ad admirandum, quarto ad exultandum, quinto ad resolvendum, 1. Imitando. sexto ad quiescendum. Primo eam consideremus ad imitandum, quia ipsa est summa, et perfectissima Christiani hominis imitatio. Haec est enim summa, et sanctissima religio, et religiosa perfectio: haec est regula, et exemplar perfectioris omnis vitae, et virtutis, imitari Christum in passione, et morte sua. Sit ergo regula nostrae vitae passio Salvatoris, in qua tanto amplius consolemur, quanto perfectius Christo conformamur: et tanto amplius desolemur, quanto longius ab hoc exemplari, & regula separamur. Semper ergo, quantum in nobis est, optemus, ab omnibus conculcari, dejici, vilipendi, illudi, affligi, flagellari, & in divinis obsequiis ab omnibus exprobrari. Simus nudi cum nudo, & nihil omni-

omnino habere cupiamus; immo habere aliquid sit nobis gravissima poena, & dolor immensus: nihil vero habere, perfecta exultatio. Abhorreamus dulcia, & delectabilia degustare; & potius velimus vilibus, & amaris refici, & desideremus, quod quaelibet cibaria felleum potius, quam melleum nobis adferant saporem, quia Christus Jesus felle,& aceto pro nobis fuit potatus. Et ut breviter dicam, consideremus qualiter ipse in passione sua se habuit, & conformemus nos eidem pro modulo nostro, quantum poterimus: ea tamen servata ubique moderatione, ut ne excedamus mensuram infirmitatis nostrae.

Secundo exerceamus nos ad compatiendum Domino nostro innocentissimo, considerantes ipsius flagella; illusiones, & opprobria, & in corde nostro ruminantes, quanta fuit in ejus passione dejectio, & contemptus erga Dominum nostrum Jesum Christum, quantus dolor, quanta afflictio in corpore, & corde Jesu tam ratione propriae passionis, quam erga nos compassionis ob peccata nostra. Consideremus quanta tunc amaritudine repleta fuit angelorum dulcedo, quantumque aggravabat eum non tantum poenae illatio, & nostra ingratitudo, sed & assistentis matris afflictio, quam tenerrime diligebat, & quasi deficere prae compassionis dolore videbat. Ibi filius crucifigebatur cum matre, quia propter nimiam, & ardentissimam dilectionem ex compassione mutua erat nimia afflictio utriusque: idque maxime cum pro se invicem paterentur. Sciebat mater, quod filius pateretur pro se. i. matre, sicut pro reliquis redimen- 2. Compatiendo.

dis: sciebat filius, quod suus gladius matris animam ex compassione pertransiret. Unde passio filii erat passio matris. Eja ergo, Christiane, haec volve, ac revolve in corde tuo, & totum cor tuum reple conviciis,& poenis Domini, & sponsi tui, videns illum tanta innocenter propter te sustinere. Si enim illi per amorem bene unitus fueris, tunc valde compatieris eidem. Si autem non sentis dolorem capitis tui,quomodo es unum cum illo? Certe sicut plus compatiendum est capiti, quam ceteris membris: ita illi incomparabiliter plus compati debes, quam ulli etiam dilectissimo parenti, filio, vel amico, immo plus quam tibi ipsi, si haec omnia praedicta patereris. Nunc ergo, carissimi, felle, absynthio, & myrrha jugiter inebriemur, & sola ejus vulnera sentiamus, atque transfigant cordis nostri intima ejus convicia, flagella, & vulnera, nec in nobis quidquam remaneat, quod non perfundatur compassionis dolore, & intense affligatur.

3. Mirando. Tertio attendamus passionem Domini ad admirandum, considerantes, quis, quanta, & pro quibus passus est. Quis patitur? Nimirum filius Dei, summe potens, sapiens, & bonus, idque adeo, ut quidquid bonitatis, & nobilitatis ei attribuas, nihil sit respectu magnitudinis suae; omnia quantumlibet bona sint, & magna, velut favilla sunt, immo quaedam vanitas in comparatione illius. Quanta autem sunt quae patitur? Certe peregrinationem, fugam, famem, sitim, frigus, & aestum, tentationes, horrores, persecutiones, observationes, sputa opprobria, vincula, flagella, illusiones, & dolores, plagas, vul-

Marginalia: Quis passus. — Quanta.

vulnera, & mortem. Conspuitur enim gloria, condemnatur justitia, judex judicatur, offensus inculpatur, innocens infamatur, Deus blasphematur, Christus conculcatur, occiditur vita, obscuratur sol, luna denigratur, sidera disperguntur. Et haec omnia tolerat patienter, ut agnus, qui solo nutu omnem ingratam creaturam demergere posset in profundum inferni. Sed pro quibus tanta patitur? Pro vilissimis mancipiis, pro sceleratissimis inimicis, immo pro diabolicis viris, & per imitationem diaboli filiis, pro contemptoribus divinae majestatis, & divinae bonitati ingratis. Mirare igitur, quod talis, ac tantus, talia & tanta, pro vilissimis, & abjectissimis passus sit. Ceterum a quibus passus est? A suis electis, & praedilectis, quibus omnem benignitatem ostenderat, a vilissimis optimus, a stultis sapientissimus, (quia Dei verbum, et sapientia) ab impiis piissimus, a sanie foedissima splendor aeternus. In his omnibus in divinae benignitatis, et largitatis admirationem grata mente elevemur.

Pro quibus.

A quibus.

Quarto imprimamus nobis dominicam passionem ad exultandum. Exultare autem in ea debemus cum intima gratiarum actione de redemptione humana, restauratione angelica, et divina clementia. De redemptione humana sine dubio nimis gaudere debemus per Christi passionem, et mortem completa. Quis, quaeso, non exultabit, et gaudebit, cernens seipsum per hanc beatissimam passionem liberatum a morte aeterna, a culpae ignominia, a potestate diabolica? Et quis non exultabit in immensum,

4. Laetando.

Pro redemptione hum.

cernens Deum altissimum ipsum intantum diligere, ut tantae vilitati, et afflictioni subjecerit seipsum pro se redimendo? Non quod gaudebit de Domini sui abjectione, et passione, sed de ejus effectu, affectusque, et amoris manifestatione. Quis princeps in regno, vel imperio alicujus imperatoris, vel regis, cernens, tantum a Domino suo se diligi, ut paratus sit mori pro se, non magnopere gauderet, et exultaret? Quanto magis nos vilissimi homines, et nefarii peccatores, et servi mali gaudere debemus, et exultare, videntes regem regum, et Dominum dominantium, et creatorem nostrum Jesum nos tanto amore diligere, ut immolarit seipsum pro nobis in tam turpem, et vilissimam mortem? Gaudeamus igitur immensa exultatione, quod sine comparatione plus quemlibet nostrum diligit, quam quisque seipsum. Gaudeamus, et exultemus, quod per Christi passionem restaurata est angelica ruina. Magna jucunditas debet nobis inesse, quum videmus per Christi mortem tam nobile collegium reparari, ut fiat unum ovile, et unus pastor, et unum in uno. In hoc enim debet tota caelestis curia, et militans Ecclesia jure gratulari. O amabilis, et revera venerabilis passio Salvatoris! quae sic disjuncta conjungit, sequestrata conglutinat, et firmissime simul unit, stringitque vinculo consummati amoris, et felicitate gaudii sempiterni. Praecipue autem gaudere, et exultare debemus, videntes in supradictis omnibus miram, summamque clementiam Dei, et Domini nostri Jesu Christi. Et hanc puto summam esse gloriam bonorum

Pro reparatione Ang.

Pro clementia div.

norum tam hominum, quam angelorum, perfectius contemplari clementiam, et benevolentiam Dei, et immensitatem bonitatis ejus. Haec etiam debet esse cujusvis contemplantis exultatio maxime interna in ipsis animae medullis. Ubi enim, quaeso, magis apparet diffusio bonitatis divinae, et benignissimae clementiae dulcissimi, et amantissimi patris, et domini nostri Jesu Christi, quam in passione sua, ubi talia, ac tanta, tam turpia, & gravia sustinere voluit pro inimico suo liberando, et glorificando, pro vanitate quadam digna morte aeterna redimenda? In istud gaudium intret homo, et reficiatur magnificentia bonitatis divinae. *Accedat homo ad cor altum*, et in corde suo exaltetur excellentissima, et inenarrabilis clementia Christi passi.

Quinto etiam consideremus beatissimam Christi passionem ad cordium nostrorum resolutionem, et perfectam transformationem in ipsum. Quod fit, quando homo non solum imitatur, compatitur, admiratur, exultat, sed etiam totus homo convertitur in ipsum Dominum nostrum Jesum Christum crucifixum, ut jam quasi ubique, et semper sibi crucifixus occurrat. Immo tunc vere in ipsum resolvitur, quando exiens ex seipso, et omnia supergrediens, immo supra seipsum abstractus ab omnibus, totus est conversus in Dominum suum passum, ut nihil videat, nihil sentiat intra seipsum, nisi Christum crucifixum, illusum, probris affectum, et passum pro nobis ex amore. 5. Inhaerendo.

Sexto consideremus eamdem beatissimam Domini passionem ad quietem dulcoris interni, 6. Quiescendo.

quod fit, quando homo sic, ut dixi, resolutus, sitibundo corde eamdem passionem ruminare non cessat, et intrans secundum posse suum infinitum illum passionis thesaurum, humiliter et devote liquescit amore devoto, et fervida devotione, et ardenti dilectione deficit a se, et requiescit in Christo crucifixo. Sed quanto illi plus inhaeret, et innititur, tanto amplius devotissimo amore in se deficit, et liquescit: et quanto plus a se deficit per amorem, et devotionem, tanto amplius eidem dilecto pro se mortuo inhaeret, unitur, et requiescit in eo. Et sic mutuo sese augent adhaesio amoris, et devotio, donec sponsa, id est, anima tota absorbeatur ab ardentissimo illo camino amoris, et passionis sponsi praedilecti, in cujus amplexibus obdormiens requiescit. Meditare igitur domini passionem: imitando, ad purgationem mentis, et dilectionem: compatiendo, ad amorem et unionem: admirando, ad cordis elevationem: exultando, ad cordis dilatationem: resolvendo, ad perfectam conformationem: quiescendo, ad devotionis conservationem.

EXERCITIUM IX.

Ut quaeque superflua, & impedimenta abjicias.

NOno circumcide animam tuam severe ab omni cognitione, amore, et recordatione creaturarum, exceptis illis dumtaxat, quibus carere non potueris propter Deum, et in Deo utendis. Et custodi sensus tuos omni tempore stricte

stricte ab omni superfluitate, vanitate, et ocio. Et conserva corpus tuum semper in simplicitate, sobrietate, et paupertate. Et perfecte semel abjice omnia, quae tibi umquam medium aliquod praestare potuerint inter Deum, et animam tuam vel unico temporis momento. Ubi autem istud fructuose implere valeas, attende diligenter omnia media visibilia,& invisibilia, creaturasque sensibiles, et insensibiles,quae tibi media et impedimenta pepererunt,& adhuc parere possent, et tunc veram, integramque ab illis fac aversionem, abscissionemque,et perfectam tui ad Deum conversionem. Expendes quoque an in tali sis loco,et statu, in quo perfectus fieri queas: quem si nondum elegisti, adhuc eligas oportet. Abscindenda nihilominus, et resignanda tibi sunt omnia extrema, quibus uteris ultra veram, et justam necessitatem: qua sola paupertatis Christi amore contentus sis, videlicet binis, id est mutatoriis tunicis, et aliis iisque tantum necessariis vestibus, libris paucis, sobria refectione unica, vel bina in die, juxta temporis rationem, eligendo in omnibus viliora, ut humilis simplicitas ubique ex te, tuisque studiis reluceat. Nam exterior desiderata paupertas mirum in modum cooperatur vero profectui,& paci cordis, quando etiam necessariis libenter cares, illisque cogente necessitate cum taedio, et aversione affectus, in simplicitate uteris. Ad haec valde conducunt abdicatio omnis quaesitae delectationis, voti emissio, si consultum videbitur, creaturarum omnium fuga, ad Deum fortis adhaesio, obedientia simplex voci Dei, et su-

Adminicula perfectionis

et superioris tui, diligens custodia cordis, oris, et operum tuorum, et id genus alia, quae velut opportuna adminicula sunt assumenda; et impedimenta resecanda, testimonio conscientiae tuae, aut moderatoris tui; facta diligenti perscrutatione, ne intus aliquod stabile, et inhaerens vitium licet minimum, aut foris quidquam superfluum, aut curiosum tibi maneat. Nam illo stante, Spiritus sanctus perfecte in te operari nunquam poterit. Nam peccata etiam graviora, in quae ex improviso incidimus, et deplangimus, facilius remittit Deus, quam minimum vitium inhaerens, quod non agnoscimus, aut emendare non curamus.

EXERCITIUM X.

Ut omnem hominem diligas sicut teipsum.

DEcimo exerce te in vera dilectione omnium hominum juxta exemplum, & caritatem Jesu Christi, qui summa, & ardentissima dilectione, & desiderio omnibus sese totum impendit hominibus, docuitque, & praemonstravit illis viam salutis, & perfectionis, idque vera, & perfecta vita, sanctaque & divina doctrina. Dedit quoque seipsum voluntarie, & amorose in omnem poenam, contumeliam, & confusionem, quae propterea super ipsum cadere poterant. Quapropter si vere vitam ejus assumere volueris, ipsum in hoc imiteris oportet: ducasque semper sanctam, & deiformem vitam coram omnibus hominibus, ut per tuam vitam trahantur ad imitatio-

Doceas Opere.

tionem vitae Jesu Christi. Ostendes insuper, & docebis proximum tuum bonis exhortationibus viam salutis aeternae. Hinc interdum accedens ad proximum tuum loqueris cum eo de virtutibus, ex quibus melior fiat, ut attendere, & imitari velit vitam, & amorem Jesu Christi. Consideret quoque nobilitatem animae suae, quomodo Deus suam ipsius imaginem illi impressit, eam per seipsum redemit, quodque amor Dei vita sit animae, quemadmodum anima ipsa vita est corporis: & sicut corpus moritur migrante ex ipso anima, ita anima mortua est absque amore Dei. Haec, & alia proximis suggeres, quae Spiritus sanctus docebit, praesertim tibi commissis, vicinis, aut doctrinae capacibus: credens Deum animas illorum, quas salvare potueris, a te requisiturum tanquam membra tua. Neminem igitur judices, contemnas, contristes, aut laedas: sed dilige omnem hominem, tanquam teipsum, immo plusquam teipsum, utpote te meliorem. Quod ut citius obtineas, persuade tibi omnem hominem esse teipsum, quia sumus invicem membra; illique congaudeas, condoleas, servias, & benefacias. Opera quoque misericordiae corporalia & spiritualia toto corde impendas, sicut tibi ipsi. Quamobrem assuesce, quam cito senseris, aliquem motum displicentiae, aut amaritudinis contra quemcumque hominem, seu quodvis aliud vitium tibi incidere, statim levato dulciter in Deum corde, id a te repellere, tanquam virus diaboli, quo nititur caritatem in te necare, vel minuere, aut saltem tepidum facere, & a cursu proficiendi remorari. Nam ex nostra in-

Doceas verbo.

Vites contraria dilectioni.

interdum tepiditate contingit, quod noxiae cogitationes a nobis repulsae saepe redeunt, & magnum nobis spiritualis lucri impedimentum parturiunt, tametsi illis non consentiamus, quando dissimulamus totis nos viribus in anteriora extendere, & divinis nos desideriis continue pro viribus occupare: ideo ex nostra tepiditate aditum redeundi ad nos facile inveniunt hostes animarum nostrarum: quanquam etiam interdum non nostra culpa, sed solo Dei permissu ad nostri exercitationem hujusmodi nos cogitationes fatigent.

DE VIA UNITIVA

EXERCITIUM XI.

Ut vivas absque omni creatura, peccato, & delectatione.

UNdecimo exercebis te ad perfectam cum Deo tuo unionem obtinendam. Haec autem unio perfectam requirit denudationem & expoliationem ab omni creatura, ab omni peccato, & ab omni delectatione. Ab omni creatura in affectu, & intellectu, quantum possibile est, nudatus vivere satagas oportet; ita ut etiam a teipso & omnibus rebus ita nudus fieri, & permanere ferventer desideres, sicut nudus ante tribunal Christi stabis, & sicut anima tua nude, & pure ex Deo fluxit; ut sic absque ullo medio creatori valeas uniri. Vivas etiam absque peccato, aut si hoc vix possibile est, forti aversione ab omni peccato,

Exue creaturarum affectum.

Abstine a peccato.

to,& ferventi conversione ad omne bonum, quod Deus est, sic vivere desiderabis: quia omne peccatum, quamlibet minimum, impedit hanc unionem. Quapropter animam, & corpus tuum ita custodias, ut nullum membrum moveas, nisi in Deo. Vivas etiam necesse est absque omni delectatione. Et hoc similiter affectu, & desiderio supplebis, quod opere praestare non vales: quia quando delectationem aliquam habueris in teipso, Deus propterea negabit tibi delectationem, & suavitatem, quae ipse, & in ipso est. Talis autem vita sit tibi semper in desiderio, ut extremum posse tuum impendas huic viae. Et tunc per hoc exercitium invenies te in multis haerere, a quibus te immunem putaveras. Idcirco semper cavere stude, ne peccata etiam minima delectent te propter se. Pro te quidem desiderabis, quod panis non plus tibi sapiat, quam lapis: sed pro Creatoris panis gloria placebit tibi, quod panis plus sapiat, quam lapis: moxque debes in panis sapore, & delectatione transire ad Deum, & gustare creatorem panis. Et tunc fit tibi insipidus panis. Pari modo faciendum est cum omni delectatione, cui non est annexum per se peccatum: quia creatoris admirabilis suavitas delectationem infundit omnibus rebus creatis. Nullum ergo medium ex creaturis in te residere patieris, sed ab omnibus exutus, atque nudatus nudam divinitatem absque medio aliquo creaturae (ut est creatura) accedes, quia Deus absque medio te uti desiderat. Nec in hoc sanctorum invocatio (quae propter Deum, & in Deo fit) te impediet, quia

A delectationibus.

quia ipsi sunt unus spiritus cum eo. Praecipuum tamen tuum studium versabitur circa contemplationem Dei tui, quem videbis omnia bona in omnibus hominibus operantem, quantumvis etiam minuta, ut est movere articulum unum ad bonum. Nam haec ipsa motio Dei est, qui est vita animae. Igitur continua introversione stude, quantum potueris, vivere in omnimoda abstractione, & nuditate intellectus, & affectus ab omni creatura, peccato, & delectatione: quia haec tria fideliter, & diu exercitata faciunt hominem vere caelestem, & angelicum, ita ut liberrime frui possit Deo suo, prout sola experientia docebit. Idcirco intellectum tuum, & affectum semper magis purificare studeas omnibus phanthasmatibus, & imaginibus, exemplo crucifixi Jesu, magis eligens amara, quam dulcia, contumeliam, quam honorem, penuriam, quam abundantiam: ut sic puro corde Deo adhaerens, unus cum eo spiritus efficiaris. Aliter tamen exercitium istud usurpabit superior, aliter incipiens, aliter perfectus.

Ut autem facilius ad omnium rerum abnegationem, divinae bonitatis, & tuae indignitatis cognitionem, & fraternae dilectionis dulcedinem pertingas, & brevi tempore obtineas, quod multis annis, immo tota vita sua proprietarii magnis laboribus non percipiunt, revolvere satage in memoria tua studio indefesso, vel saltem habitu, & intentione tua circumfer binas has nobilissimas virtutes, videlicet humilitatem, & dilectionem, diutissime ruminando, & tibi imprimendo haec verba: Nihil sum: Nihil habeo:

Humilitatē cole.

beo:

beo: Nihil praeter verum concupisco. Humilitas vera dicit; Nihil sum, (ex conditione & vitio meo): Nihil habeo, (nam quidquid in creaturis, aut donis Dei extra Deum habeo, aut habere possem, quidquid video, audio, vel percipio, in me prorsus nihil est) impotens, insipiens, & nihil sum, nihil valeo, plenus peccato, & miseria: ideo de meipso penitus despero. Amor autem, sive dilectio Dei dicit: Nihil nisi unum solum Deum meum desidero. Confide ergo, o anima mea, Jesu Christo, & bonitati illius, & fige totam cogitationem, & desiderium tuum in consideratione ejus: quia quanto minus videris te habere a temetipso, tanto plus cupies habere amoris a Domino tuo Jesu Christo,

Est autem duplex humilitas. Una, quae ex agnitione peccatorum, & propriae vilitatis, ex dictamine rationis oritur, quam maxime erga proximum tuum exercere convenit, cujus comparatione te ad nihilum rediges, & omnibus hominibus viliorem, & inferiorem te ex animo reputabis: & tam pro illorum, quam tuis peccatis a Deo tuo tibi praesente humiliter veniam postulabis: ipsosque excusabis, non credens quod alii peccatores tantum a Deo sint elongati, quin saepe, etsi non semper, sese ad Deum convertant, & sinceriori ipsum affectu diligant, & honorent, & fidelius de peccatis suis doleant, & sese emendare proponant juxta gratiam sibi a Domino datam, quam tu. Nec credas inveniri hominem, si tot & tanta peccata commisisset, ut tu, totque gratias & beneficia a Deo recepisset, ut tu, qui non multo ferventius Deo serviret, quam

Quae oritur ex ratione.

quam tu. Quod si hoc pleno corde sentire non potueris, eo ipso te repures superbissimum, & omnibus aliis hominibus viliorem propter tuam hypocrisim, insanamque superbiam, Deo maxime odibilem: quae te revera excaecavit, ut teipsum non agnoscas, neque videas, quod, quo plura a Deo recepisti dona, eo graviora sint tua peccata, & negligentiae, & eo strictior a te exigetur ratio de singulis. Et hanc, ut dixi, humilitatem operatur dilectio per rationem, qua seipsum homo aestimat omni creatura viliorem, omnique tormento, & contumelia dignissimum. Estque incipientium, & proficientium; ac praecedere debet, & confirmare hanc sequentem humilitatem.

Quae oritur ex amore.

Alteram humilitatem, quae est perfectorum, operatur dilectio per semetipsam: quam in se sentit anima per visionem, & cognitionem spiritualem Jesu Christi. Enimvero quando Spiritus sanctus illuminat rationem in visione Jesu Christi ad considerandum perspicue sanctae humanitatis ejus humilitatem, & ad gustandum utcumque de bonitate divinitatis illius, mox anima tantam dilectionem, & gaudium percipit in illa visione spiritali (quae vera, sancta, & delectabilis est) quod obliviscitur sui ipsius, & omnium rerum, & tota innititur dulcissimo suo Jesu Christo ex tota dilectione, qua fertur ad considerandum eumdem. Non attendit hic sua peccata prius commissa, nec propriam indignitatem, sed pro nihilo putat seipsam cum omnibus peccatis, & bonis operibus, quae umquam fecit, ac si nulla alia res esset, nisi Dominus noster Jesus Christus.

Stu-

Stude ergo per considerationem humilitatis, & caritatis Jesu, vel plena fide, vel etiam sentiendo, teipsum non solum miserrimum, sed etiam quasi nihilum judicare, & cum omnibus tuis exercitiis, & operibus bonis transactis ad nihilum redigere, & ab omnibus denudare: & in paupertate spiritus sentire, te nihil esse, & omnia bona tua soli domino Jesu Christo adscribere, ut substantia tua sit tanquam nihil ante illum, non jam deinceps te existimans aliquid esse, quum nihil sis: quia comparatione haud dubio increatae, & incommutabilis divinae substantiae domini Jesu, (qui solus veram habet essentiam, & est omnia in omnibus) tu, & omnia nihil sunt. Nam omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo. Et hoc pacto non judicabis proximos tuos bonos, vel malos, sed aequaliter omnes creaturas respectu domini Jesu, ejusque humilitatis, et dilectionis, misericordiae, et gloriae senties tecum esse nihil, cum ex nihilo factae sint, et in nihilum redirent, si ab eo non conservarentur. Te quasi nihilum judices.

Quando ergo dilectio per donum Spiritus sancti aperit interiorem oculum ad considerandum hanc veritatem cum aliis circumstantiis, tunc anima vere fit humilis, quia videt seipsam sicut est. Et tunc non considerat se, nec innititur sibi ipsi, sed tota tendit in cognitionem, et dilectionem Jesu, stabili meditatione, et desiderio ipsum assidue considerans. Et tunc multo perfectius operatur magna opera tum interna, tum externa, quam antea solebat. Ista visio animam etiam confortat, et elevat tam mirabiliter, et

suaviter, quod non potest gaudere de hujus mundi aliquo gaudio, neque de ejus adversitate contristari; quia manet immobilis, et insensibilis ad omnia, in solo Jesu requiescere cupiens: habensque oculos suos semper ad ipsum: qui ab omnibus laqueis, et tentationibus evellit pedes ejus, destruitque omnes motus superbiae, et vitiorum valde occulte; protegens eam a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu, et daemonio meridiano; et per sanctam simplicitatem, quae est occulta quaedam semita, deducens eam ad stabilem secum unionem, qua manebit in Deo, et Deus in ea. Ut autem pro hac felici unione obtinenda ignitis aspirationibus, cum profundissima sui resignatione, continue laborare debeat, nihil nisi unum, quod solum est necessarium, desiderans, in sequentibus latius explicabitur.

EXERCITIUM XII.

De aspirationibus, resignatione, & postulatione.

DUodecimo fortiter te exercebis in exercitio quadriformi aspirantis, & unientis amoris, utens in tua operatione affectu potius quam intellectu: consurgensque magis per aspirationes ferventes, quam per meditationes.

Meditatio. Quod tamen ut obtineas, principio opus tibi erit meditatione devota colligere fasciculum quendam divini amoris ex beneficiis, quae Christus

ſtus tam ſecundum divinitatem, quam humanitatem ſuam tibi praeſtitit, ad inflammandam videlicet cordis tui igniculum; quorum maximum eſt ejus paſſio, cujus opus inſpicias ad compatiendum, modum ad imitandum, & cauſſam, id eſt caritatem illius ad te infinitam ad inflammandum cor tuum: donec aſſuefactus, tandem abſque praevia meditatione in primo reflexu mentis affectus tuus valide erga Deum incaleſcat quoties volueris. Et haec inflammatio eſt unicum inſtrumentum, & radix vitae contemplativae, unde conſurgit aſpiratio ad amorem unientem, qua ſcilicet fidelis anima aſpirat flammigeris deſideriis, ut per amorem uniri poſſit infinito amori, qui Deus eſt, & ab eo penitus abſorberi. Inflammatio.

Ut autem ad illius amoris conſuetudinem pervenias, aſſueſces omni loco, & tempore orationes ignitas, & ejaculationes ad Deum mille modis magno cum fervore emittere, atque ex humili, abſtracto, reſignatoque corde in cor Dei conjicere, ut det tibi perfectum tuipſius, & omnium rerum contemptum, teque totum unire, & abſorbere dignetur in immenſo amoris ſui incendio. Hoc namque exercitium unientis amoris initium eſt, & finis omnis perfectionis: quod cum magna violentia ſpiritus exercendum eſt, per quod omnes tentationes, & media inter Deum, & animam ſtatim auferuntur, & ipſa magno impulſu perurgetur feſtinare ad altiſſimam Dei ſimilitudinem, perfecta ſcilicet omnium vitiorum mortificatione, & virtutum adeptione: penetratque omnes tentationes, & occupationes, & quidquid infra Deum eſt, in Orationes jaculatoriae.

momento, & animam ante nudam Dei praesentiam constituit, cui sese immediate unire desiderat.

Diu pulsandum.

Attamen oportebit, te diu prae foribus stare, antequam Deus te volet ad unionem intromittere. Et tunc discrete pulsabis januam pietatis suae his quatuor exercitationum malleis, qui sunt: Offerre, Exigere, Conformare, & Unire: quibus dilectum tuum excitabis ad intromittendum te in unitatem Spiritus, servando te longanimiter in praesentia Dei per aspirationem unientis amoris. Nullum tamen unquam exercitium cum proprietate possidebis, sed quando senseris, te alia via per gratiam trahi, statim dimissis propriis, sequeris, & exercebis te juxta tractum Spiritus sancti.

1. Oblatione

Primo igitur in tua àd Deum conversione Deo liberaliter in holocaustum laudis offeres omnia, quaecumque spiritus Dei per inspirationem suam a te exigere potest, maxime perfectam abnegationem, & contemptum tuiipsius, abscissionem omnium sensualium oblectationum, quibus cor tuum inordinate posset affici, & maculari, licet sint res parvae, ut verba ociosa, vana societas, levitas, curiositas sensuum, & similia. Offeres etiam te ad mortificationem naturalium passionum, ut sunt inordinata tristitia, gaudium, ira, amor, odium, spes, timor, pudor. Etiam ad carendum voluntarie omni sensibili gratia, devotione, & donis Dei ad salutem proprie non necessariis. Similiter ad tolerandum prompta voluntate propter Deum, omnem adversitatem in fama, bonis, & amicis tuis,

tuis: omnem quoque aegritudinem, poenam, afflictionem, confusionem, & pressuram cordis: & generaliter ad universa, quae alicui in tempore accidere possint; resignabis te hilariter, & cupide. Insuper offeres te divino beneplacito, etiam si te ponere vellet ad tolerandum aeterne pro amore, & honore suo omnes poenas inferni, dumtaxat quo ad ipsas poenas, non autem quo ad amoris separationem instar damnatorum: hoc enim non licet. Et quamvis Deus istud nunquam ab amicis suis exigere possit, vult tamen, ut ad omnia etiam impossibilia sese resignent suo beneplacito sine retractione cordis: sicut Abraham fecit, ut probentur, quantum sibiipsis mori velint propter Deum. Hoc autem facile poteris, si teipsum agnoveris esse quasi vas perditum, peccatis plenum, quae Deus opt. max. sua infinita bonitate tibi auferre, & consumere paratus est, si te cum illis perfecte eidem resignare, & relinquere volueris, quum ipse sit mons quidam amoris, abyssus bonitatis, & fons caritatis. Quapropter nimis stolidus est, qui vile tugurium corporis, & animae suae illi offerre dubitat pro tabernaculo pretiosissimo, quod Deus est.

Cum vero in his omnibus te perfecte resignatum inveneris, tunc poteris plena fiducia ad aliud hujus exercitii membrum transire, quod est exigere, sicut Christus monet: *Petite, & accipietis*. Exiges igitur a Domino Deo tuo secundo loco non solum omne, quod habet, sed etiam omne, quod ipse est. Ante omnia enim petere debes ipsum nudum dilectum Deum tuum, ad

2. Petitione

ad fruendum eo ſolo in ſuo immenſo nudo amore: quia in nullo dono Dei licet homini fruendo requieſcere abſque peccato, quantumvis nobile, divinum ſit, praeterquam in ſolo Deo: ſed uti duntaxat debet donis Dei, ad hoc ut ad majorem ipſum perfectionem evehant, ac perducant. Nam quando in Dei donis quieſcit, ſtatim incipit tepeſcere a deſiderio proficiendi. Poſt hoc exiges a Deo tuo puriſſimam intellectus illuminationem ad cognoſcendum pleniſſime divinum beneplacitum: atque ad illud exequendum offeres te tam prompte, atque perfecte ſine tetractione cordis, ſicut umbra movetur ad motum corporis unde ſit, juxta exemplar, & ſimilitudinem vitae Chriſti. Secundo ad cognoſcendum plene teipſum, hoc eſt, incomprehenſibilem tuam vilitatem, ingratitudinem, indignitatem, ut per hoc te poſſis perfecte contemnere & humiliare. Tertio ad habendum perfectam notitiam omnium verarum virtutum. Magna quoque orationis inſtantia laborabis pro ipſis veris virtutibus acquirendis, & poſſidendis, & maxime pro nudo Dei amore in te magis, ac magis augendo. Exiges autem iſta ſerio valde: deſideriumque augmentandi amorem tuum, fruendique increato amore tam aeſtuans inter Deum, & animam tuam erit, uti eſt coruſcatio vehemens. Iſte quoque impulſus adeo continuus erit in te, ſicut anhelitus tuus; qui ut abſque ceſſatione intrat in te, & exit, ſi debeas vitam ſervare: ita etiam vita creati amoris conſiſtit in ſedula reverſione animae cum aeſtuanti deſiderio in ſuam originem, id eſt amorem increatum, ut illi

unice

unice inhaereat, & fruatur, sicut radii inhaerent soli. Cetera dona Dei ad salutem proprie non necessaria, ut est liberatio a tentationibus, periculis, & pressuris, revelatio secretorum, devotio, & gratia sensibilis, non sunt absolute exigenda, sed cum conditione, si ita expedit pro Dei gloria, & nostra salute.

EXERCITIUM XIII.

De conformatione, & unione cum Deo.

TErtiodecimo loco exercebis reliqua duo supra dicti aspirantis exercitii membra, laborando, ut dilecto tuo magis ac magis conformeris, hoc modo: Videlicet quum ignis amoris fuerit in corde tuo accensus, principio exures in ipso omnem tuam dissimilitudinem, hoc est, omnia vitia, & defectus tuos, omnes naturales passiones, & immortificationes tuas, omnem sensuum propensionem, seu affectum, & impatientiam. Non tamen illas sigillatim recoles, sed in uno fasciculo sumes omnes tuas imperfectiones, & projicies in immensum ignem divini amoris, ut ibidem consumantur. Deinde ardenti desiderio deiformitatis consurges, & scintillantibus, ac perurgentibus postulationibus exiges a dilecto, ut eisdem virtutibus nudam animam tuam adornare dignetur, quibus ipse ornatus est in omnibus perfectionibus suis tam in divinitate, quam humanitate sua. Et has multo citius per flammigeras assiduas orationes obtinebis, quam per ullum alium laborem externum.

3. Conformatione.

Specialiter vero te conformabis humanitatis Christi virtutibus, quae in despectissima, & acerbissima morte illius emicuerunt, per affectum scilicet profundissimae humilitatis, vilitatis, abjectionis, paupertatis, patientiae, & caritatis: in quibus tam diu te exercebis, subinde renovando, ac repetendo flammigeros ad Deum affectus, & quasi violentas quasdam orationes, per quae Deus potissimum dare solet suae plenitudinem gratiae, & amoris, donec per experientiam damnis, injuriis, & poenis provocatus, etiam tempore subtractae gratiae, prima, & ultima cogitatione tua senseris desiderium illud patiendi pro Christo, ut illi conformeris, usque in finem in te perseverare.

4. Unione. Quartum denique membrum hujus exercitii est, unire, & transfundere voluntatem tuam in divinum beneplacitum. Ut enim exercitium praecedens aspirationis, & unientis amoris ideo continue agitur, ut quiescas in solo Deo, quo flammigeris desideriis in spiritu unum cum eo fias, ad quod nos perducit actuosus, & experiens amor: ita in isto unionis exercitio acutis, aestuantibusque desideriis eniti debes plenissime, absque ulla cordis retractione, voluntatem tuam unire, atque transfundere in gratissimum Dei beneplacitum: ita ut ex impulsu nudi amoris, ipsum divinum beneplacitum semper sit summum tuum desiderium, jucunditas, & solatium in omnibus, sive sint exteriores adversitates, infirmitates, persecutiones, oppressiones, & poenae: sive interiores pressurae, subtractiones gratiae, frigus cordis, obnubilatio sensuum, aut tentatio quae-

quaecumque. Et in tali tempore obductionis, & tentationis maxime tibi cavendum est, ne aliquas consolationes per sensus tuos quaeras, aut leviter te extrovertas, vel occupes, seu otio marcescas. Sed semper quoad poteris, ad bona exercitia te cogas, aut bonis forinsecus operibus saltem te occupes: quae licet tibi sint tunc insipida, sunt tamen Deo magis accepta, cum fideliter, quod in te fuerit, feceris. Quapropter statue fixum in corde tuo, omnia haec adversa idcirco tibi Dei permissu accidere, ut probet fidelitatem tuam, & habeat occasionem copiosius te ditandi omnibus donis, & gratiis spiritualibus, si fideliter perseveraveris.

Absorptio in Deum.

Ex his breviter permissis, ac velut in quendam fasciculum pariter collectis, ulterius conscendere debes per amorem unientem in ipsam caritatem increatam, quae Deus est: ut sic ibidem anima feliciter liquefacta, omnium eorum, quae petiit a domino, quasi signo factam impressionem recipere mereatur. Ceterum quisquis haec crebro exercitaverit, & illis perseveranter inhaeserit, impossibile est ut ad vitae perfectionem non perveniat.

Zelus honoris divini.

Hinc cum tanto fervore Dei incipies honorem quaerere in omnibus, ut quasi tui ipsius oblitus, pro nihilo ducas te mille pro eo periculis exponere, & non sentias differentiam inter honorem tuum, & contumeliam, gaudium, & dolorem; sed quidquid ad ejus honorem spectare noveris, quantumvis difficile, cum impetu quodam amplectaris. Quum autem omnia feceris, quae potueris, quasi nihil te fecisse, im-

mo defecisse existimabis, erebescens, & teipsum perfecto odio detestans, quod tali ac tanto Domino tam misere obsecutus sis. Quapropter majora, & perfectiora quolibet momento temporis agere, et pati desiderabis. Et quia a Dei dilectione vehementer impedit amor proprius, seu

Odium tui. dilectio sui, ideo debes teipsum perfecte odire, et pleno corde petere ab omnibus despici, conculcari, flagellari, vilissimus reputari, et ad nihilum redigi. Nec pro magno habebis, si in tuis injuriis delecteris, et in tuis doloribus consoleris, nisi etiam cupias alios credere, te istis, et omnibus poenis, et contumeliis esse dignissimum, et teipsum adeo abomineris, ut vix tolerare te queas, factus tibi ipsi execrationi, adeo ut etiam ab irrationalibus creaturis impugnari, & puniri cupias. Et quum aliquid delectabile tibi sumendum fuerit, illud cum moerore, & horrore tui ipsius sumas, ita tamen, ut ne interim necessaria indiscrete tibi subtrahendo naturam destruas, quum sola vitia tibi sint persequenda, & destruenda. Quod si hoc pacto animam tuam oderis, ad perfectam Dei dilectionem facile pertinges. Veruntamen scias perfectissimum hoc proprii odii tui ipsius donum solum Deum dare posse, & dare paratum, si id instanter postulaveris. Nec affirmo tamen, quod tibi pro se pati dabit: quia hoc non omnibus dare solet, sed ad minus dabit tibi velle pati.

Conformatio. Porro si praedicta creatoris dilectione bene inebriatus fueris, alterum etiam quod in supradicto exercitio postulasti, adjiciet, videlicet ut suae crucifixae imagini perfectius conformeris: ut

ut nihil in omnibus, & per omnia quaeras eorum, quae tua sunt, sed quae Jesu Christi, quomodo illi possis ferventius semper servire, placere, & conformari, atque perfectius tuam voluntatem abnegare, & ipsum diligere: obliviscens quodammodo tui, & omnium rerum, & prae amoris magnitudine non advertens dulce, & amarum, tempus, & locum, personarumque distinctionem: sed in omnibus creaturis solum quaerens, & considerans Deum creatorem, & ejus voluntatem, & honorem, & aspiciens plena fide Christum in membris suis. Sicque in activa vita contemplativam duces, si te totum recolligens intres in cor tuum, & ejus intima penetrans resolvas, resignes, & amittas te in Deum. Et tunc quodammodo deificatus, & in Deum transformatus ad quodcunque te converteris, nihil nisi Deum considerabis. Et quidquid boni operis feceris, non hominem, sed Deum solum id facere aestimabis. Sicque Deum invenies in omnibus. Et hoc ipsum oratione magis, quam industria tua a divina impetrabis largitate.

Porro si ea, quae supra diximus, nimis tibi ardua fuerint visa, incipiens saltem conare semper id eligere, quod fuerit magis honorificum Deo, conforme Christo, utile proximo, adversum tuae voluntati, cruciabile, & ignominiosum tuo corpori: indesinenter cordis desiderio clamando ad Dominum his verbis, videlicet: Nihil sum, Nihil habeo, Nihil praeter dilectionem Jesu desidero. Et si sic fideliter perseveraveris in operatione spirituali, tandem te Dominus

Conatus incipientium.

nus misericorditer liberabit a tumultu cogitationum, & affectionum terrenarum, quas nulla arte melius fugabis, quam continuo desiderio dilectionis Jesu Christi. Sed & hoc ipsum desiderium necesse est, ut idem ipse Dominus Jesus inspiret, det, & operetur in te, non tu: sed te interim opus ejus petente, suscipiente, & non impediente. Enimvero quanto perfectius omnem tui ipsius amorem, & mundanam cupiditatem abjeceris, tanto profundius Deo unieris, & ejus amore inebriaberis: sicut pulchre Esaias, postquam hortatus est nos, ut dissolvamus colligationes impietatis, & solvamus fasciculos deprimentes, & exhibeamus proximis opera caritatis, & misericordiae, & sabbathum Domini custodiamus, promittens dicit: " Orietur in tenebris lux tua, & tenebrae tuae erunt sicut meridies: & requiem dabit tibi Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, (Et post pauca:)" Dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem, tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terrae, et cibabo te haereditate Jacob patris tui. Os enim Domini locutum est. Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, " et reliqua, quae sequuntur Isaiae 58. et 59. Capp.

EXER-

EXERCITIUM XIIII.

Ut semper in Deo vivas, & quotidie unionem renoves.

POst omnia haec, quae praediximus, exercitia gradatim, et singulatim tempore suo fideliter expleta, super omnia disces vere, et perfecte in Deo vivere, et manere. Et hoc fieri oportet per duas virtutes, videlicet veram, vividamque fidem, et per purum, et ardentem Dei amorem: Quia parum est te Deum in te habere, quem cito amittere potes, nisi tu ipse quoque in Deo sis totus absconditus, absorptusque. Primo quidem firmiter credas, te esse in Deo, et Deum intra te, ut sacrum testatur Evangelium, et scriptura divina. " Qui manducat (inquit Dominus) meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Manete in me, et ego in vobis. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Manete in dilectione mea. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea. Rogo, pater, ut omnes unum sint, sicut et nos unum sumus. Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in illo " Attamen ut id clare perspicueque cognoscas, magnum est donum Dei, quod merito ab eo petere debebis. Deinde ubi jam liquido credideris, senserisque esse te in Deo, discendum tibi est vivere, et permanere in illo, quod est homini maxime salutiferum.

In Deo maneas per fidem, & caritatem.

rum.

rum. Cum enim in Deo vivis, vires animae tuae, et sensus semper Deo inclusa serves oportet, ubi semper multa gaudent securitate. Ut si verbi gratia, teipsum in conclavi includas, nihil illic videre, audire, gustare, vel tangere potes, nisi quod sit in conclavi: et quotquot foris sunt, neque contingere, neque laedere te possunt. Ita, et quando in Deo vivis, quidquid sive tangas, sive aspicias, sive audias, sive gustes, Deum tibi exhibes praesentem, qui tibi factus est omnia in omnibus. Ideo etiam omnia bona, et mala non a creaturis, sed in sancta simplicitate, absque omni multiplicitate, et curiositate, immediate a solo Deo humiliter recipis, et rursus in Deum refers: quaerendo ex omnibus honorem, et beneplacitum Dei, proximorum salutem, et tui ipsius humiliationem, et emendationem elicere, et fideliter implere, Deoque, et omnibus creaturis propter Deum, non contra Deum, maxime autem superioribus tuis, humiliter obedire, abnegata in omnibus tua propria voluntate: quandoquidem te, et omnes creaturas cognoscis esse in Deo, nec ulla te potest creatura contingere, nisi prius Deum contingas: eo quod teipsum totum exueris, abnegaveris, transtuleris, et incluseris in Deo. Et hac de caussa Deum semper magis audias, videas, tangas, gustes oportet, quam ullam aliam rem. Ubi ergo Deo sic teipsum unitum cognoveris, ut anima tua Deo, quam tuo corpori conjunctior sit: quodque Deus sit aeternum, unicum, incomprehensibile, et ineffabile bonum, et ex ipso anima tua profluxerit, tantamque habeat

In simplicitate vitae.

In praesentia divina.

beat Dei ſimilitudinem; ut creatura nulla, immo nec ipſa digniſſima creaturarum omnium Virgo ſemper Maria, animae nobilitatem plene capere, et ſcire poſſit, divino tunc ſuccenſus amore, ad divinitatem accedendo, quotidie matutino tempore iſta te poteris ratione exercere, quando videlicet per Chriſtum intrare, et Deo in ſpiritu intime te unire volueris.

Coram crucifixi imagine procumbens, firmiter credes, ſedere te coram nudo, crucifixo, cruentoque Jeſu Domino tuo. Et licet eum non videas oculis externis, interioribus tamen eum fideliter aſpicere debebis. Cum enim te illi unire, ipſumque ſupra omnia diligere appetas, re vera praeſens illic adeſt, haud minus, quam pependit in cruce, & nunc eſt in ſinu Patris ſui. Et quia quotidie poſt gratioſam cum Deo unionem laberis in aliquem defectum, & Deus minimum peccatum non patitur in homine, cui ſe unire debet prae nobilitate, & ſanctitate ſua: ideo per ſacratiſſima Jeſu vulnera aſcendes, quae eam ob cauſſam ſuſcepit, retinuitque, ut per ejus humanitatem ad divinitatem accedamus, ſicut ipſe ait: *Ego ſum oſtium: ſi quis per me introierit, paſcua inveniet*. Et primo quidem profunda cum humilitate ad ſacros illius collapſus pedes, duo illic facies. Principio lacrymis illos rigabis, & dulciter deplanges; prorſuſque immerges teipſum, & omnia peccata tua, omneſque defectus parvos, & magnos, quibus ipſum fideliſſimum patrem tuum in conſcientia tua inveneris te rurſus offendiſſe, in ſacra illa pedum vulnera. Aeterna nanque bonitas Dei,

Exercitium unionis.

Praeſentem Deũ ſentias

Veniam petas.

Dei, nullum (ut dixi) patitur medium, quantumvis exiguum, ne unam quidem vanam cogitationem, aut morsellum unum aliter, quam oportuit, sumptum, nisi per poenitentiam hujusmodi expurgetur. Secundo sacros hos Domini pedes exterges capillis tuis, id est, perfecta voluntate peccata omnia, quamlibet parva, devitandi, ita ut mori potius velis, quam peccatum admittere. Deinde ardenti cum desiderio virtutes omnes amplecteris, cunctis vitiis moriendo, eisdemque virtutibus crucifiges corpus tuum juxta Christi pro te crucifixi similitudinem, uti supra in VII. exercitio latius habetur, ut sic honorem illi suum, quo eum peccando privasti, restituere possis. Tum vero Deo tuo ex animo confidere debebis, cunctos illum defectus tuos in aeternum, ac immensum exuberantium meritorum suorum pelagus absorpsisse, eosque penitus tibi condonasse.

Imposterum ne pecces.

Collige te in Deo.

Et tunc quidem omnibus peccatis tuis, quae cum incipientibus ita deplanxisti, inferius prorsus derelictis, ad sanctas illius manus, quas carioribus amicis suis in signum amicitiae porrigit, cum proficientibus ascendes. Hic vero jam propius accedens ad Deum, tamquam amorosam cum illo unionem petiturus, (quod si semel ad minus in die non facit, nescio si Christianus dicendus sit) principio quidem curas omnes, distractiones, & creaturas excludas oportet a corde, & in Deum, cui nihil perire potest, projicias: Deumque tibi re vera praesentem, teque ardentissime diligentem, expectantem, pulsantem attendas: atque ita & te in Deo, & Deum

Deum in te, ut ita dicam, includas, collectis pariter universis viribus, & sensibus tuis intra sacratissima manuum vulnera. Deinde patrem orabis caelestem, ut sua infinita potentia è memoria tua cunctas amoveat imagines, & affectiones extraneas, ipsamque & seipso, & divinis repleat imaginibus, & desideriis. Rogabis & filium, ut aeterna sua sapientia intellectum tuum agnitione summi, & increati boni, beneficiorumque suorum, ac suae voluntatis, & tui proprii nihili clementer illustret. Orabis etiam sacrosanctum spiritum, ut sua incomprehensibili bonitate voluntatem tuam, & affectus omnes prorsus in se rapiat, absorbeat, & ardentissima caritate inflammet. Denique et crucifixum Jesum instanter, humiliterque precaberis, ut per sanctissimas vires animae sensusque corporis sui omnes vires, sensusque tuos cunctis nudare phantasmatibus, et vitiis, restituereque eas in locum suum, et illas in seipso, et seipsum totum in illis nude, et pure unire, et includere dignetur.

Ora Patrem. Filium. Spiritum S. Crucifixū.

Hinc jam duae animae vires, intellectus videlicet, et voluntas, quoties Deo uniri vis, denuo tibi non absque labore excitandae sunt, & acuendae. Intellectum quippe extendes ad cognoscendum summam Dei bonitatem, et infinitam caritatem, nobilitatem, sanctitatem: et ad sentiendum cruciatum omnem, et poenam, quae idem ex maxima caritate pro nobis sustinuit: et ad mirandum stupenda dilectionis opera, quae tibi exhibere dignatus est, colligendo omnia illius beneficia velut in fasciculum quendam, id

Excita mentem in Deū.

est quaecunque caelestis pater per unigenitum filium suum tibi praestitit. Hinc jam voluntas accedens amare eum vult, quem novit summum esse bonum, seque aeterna caritate tantopere dilexisse. Et hic toto affectu redamabis illum vehementissimum amatorem, immo infinitum amorem te perpetuo amantem, eumque triplici diliges amore: Videlicet amore nudo, ut sis nudus, et expeditus ab omni creaturatum dilectione, amicorum quoque, et cognatorum, vestium, liberorum, et quarumlibet rerum; quandoquidem simul haec cum Deo diligi non possunt, cum Deus totum amorem nostrum solus sibi optimo jure vendicet: et Dominus noster Jesus Christus ejus unigenitus pro nobis pauper, et nudus mortuus est in cruce. Et istud adhuc ad externa pertinet, ideoque nec dum satis est. Sed secundo etiam puro amore nobis diligendus est Deus. Enimuero sunt quidem nonnulli extrinsecus pauperes, sed quamvis nihil habeant, multa tamen habere concupiscunt. Necessarium proinde est, ut et intrinsecus pauperes, et puri simus. Haec autem interna puritas potissimum consistit in mortificatione cunctarum naturalium passionum, et vitiorum, et in vera ordinatione, et puritate omnium virium animae, ut sint mundae, et absolutae a mediis quibuslibet, et imaginibus, Deumque suum mundo, ac puro complectantur amore. Tertio demum vehementi, et efficaci Deus amore diligendus est, qui utrumque jam dictum amorem fere consumat, absorbeatque, et te unum cum Deo faciat, et ad omnia alia velut insensibilem red-

Excita voluntatem.

Ut nude ames.

Ut pure ames.

Ut vehemẽter ames.

reddat, ut nihil amplius ſentias, quam amorem tuum Jeſum dulciſſimum: quo fiet, ut ſemper in Deo permanere queas ubicunque, vel apud quoſcunque te eſſe contingat. Hic namque amor nunquam te ab amando, & teipſum totum in Dei gloriam impendendo quieſcere ſinet: ſed ex ipſo eſt, ut ex ſingulis quibuſque foliis, vel gramineis herbulis tuo conſpectui ſe offerentibus, praeclaram optares facere creaturam, quae tecum amaret, laudaretque Deum creatorem tuum: immo ſi poſſibile foret, ut ex quibuslibet hominibus caelos condere poſſes, eoſque illi offerre ad ſuam laudem, & gloriam, id tibi perquam gratum eſſet, libenterque faceres,

Hoc jam triplici amore ornatus, & accenſus, totuſque ignita dilectione plenus, ſenſus corporis, vireſque animae tuae fortiter intra te colliges, & intrahes introrſus in teipſum, quaſi rebus omnibus mortuus: atque ita ad digniſſimum, atque dulciſſimum cor Jeſu ignito amore plenus accedens, in illud velut in immenſum quoddam ſummae bonitatis pelagus, & in infinitae caritatis abyſſum, his 4. exercitiis ingredieris. Primo teipſum totum cum univerſis creaturis in ſimplicitate cordis tui cum anima, corpore, & tota ſubſtantia tua liberrime in amabiliſſimam Dei voluntatem in tempore, & aeternitate, ad omnem etiam adverſitatem, & preſſuram cordis, & dolorem corporis, & ad omnia, quae tibi evenire volet, etiam ad poenam inferni ſuo pro amore ſufferendam, te offeres paratum: ut te talem efficiat, poſſideatque, ut illi placuerit, haud ſecus, quam cum necdum creatus eſſes. Exerce te 1. Oblatione

2. Postulatione. Secundo libere exiges a Domino Deo tuo non solum omnes gratias, & dona, quae Deus habet, quibusque tu indiges, sed etiam totum, quod Deus est, ut eo solo fruaris in suo nudo, & infinito amore. Postulabis etiam tibi nudum, & perfectum spiritum, claram cognitionem divinae bonitatis, & voluntatis, & tuae indignitatis, & omnium virtutum notitiam, & perfectionem, fortemque in omni virtute perseverantiam. Denique & omnia alia necessaria pro salute tua, & tuorum specialium, & totius Ecclesiae, & animarum in Purgatorio. Et quia Deus aeterna caritas est, qui te ab aeterno in sua gestavit divinitate, idcirco tertio illi te conformabis, videlicet desiderando, si ei gratum foret, in tanta derelictione, cruciatu, ignominia, paupertate, & miseria vivere, ut Christus ipse vixit, eisdemque virtutibus nudam animam tuam vestiri, & ornari, quibus ipse ornatus fuit. Sic & quia ipse aeterna caritas est, & te quoque in amorem transformari oportet, antequam in ipsum pervenire queas; idcirco ardenti te desiderio erigens postulabis ea dilectione ornari, qua Christus ornatus fuit: ut sis illi secundum divinitatem, & humanitatem suam conformis, & Deiformis effectus.

3. Conformatione.

4. Unione. Quarto demum loco fortiter desiderare queas, ut illi possis absque ullo medio felicissime uniri. Tum vero illi jam unitus, ad divinitatem ipsam accedes: ubi quidquid creatum est, foris relinquens, & nec teipsum quidem sentiens, aut cogitans, tam profunde te immerges, abscondes, & transferes in dulcissimum Deum tuum, immo in ipsum aeternum

amo-

amorem tuum, ipse quoque ignito amore plenus, ut nunquam dehinc a creaturis inveniaris ceu fragilis creatura. Hic ergo desiderabis a summo bono absorberi, & illud vicissim absorbere: quum bonum illud incommutabile nihil aliud sit, quam abyssus quaedam immensa aeterni, & infiniti amoris. Sicque in corde Jesu liquefias ex superadmirabili amore, & bonitate Domimini Dei, & sponsi tui: rogans eumdem, ut aperiat tibi pulcherrimum, lucidissimum, & amoenissimum regnum divinitatis suae, in illud te prorsus immergi, & transformari permittens: dicesque hoc vel simili modo: O superadmirabilis potentia, sapientia, & bonitas Domini Dei mei! O superadmirabile mirum, & superadmirabile bonum! quando me totum transformabis, & abscondes in te, & te in me? Quod enim est mari absorbere unam guttam, hoc tibi est absorbere me. O Domine Deus meus, & omnia! utinam possem ex qualibet creatura facere animam, & ex qualibet anima, maxime autem mea, facere tibi regnum caelorum, in quo pacem, & gaudium haberes: pro omni dolore, & tristitia tua, quae pro me sustinuisti, libentissime haec omnia tibi darem. Patiar, quaeso, pro honore tuo, si vis, poenam omnium damnatorum, & laudem te laude omnium beatorum. Aperi mihi, quaeso, deliciosissimas divitias superardentissimae divinitatis tuae, & abscondas me in te, ut a nulla unquam creatura inveniri queam.

Opta in Deum absorberi.

Aspiratio in Deum.

Quod sic hic ulla adhuc tibi creati intellectus scintilla superest, attendas paulisper aeternam Dei tui potentiam, sapientiam, & carita-

tem, donec mirabili quodam modo velut in ecstasi cogitando fias absque cogitatione, cognoscendo absque cognitione, amando sine amore: efficiarisque per gratiam, quod Deus est per naturam. Denique si sic in corde Jesu conversantem divinitas te absorbuerit, felix eris, sentiesque, quae nec dici, nec scribi possunt, nec in cor hominis ascenderunt bona Domini, quae solus expertus utcunque intelligit.

Porro hoc XIV. exercitium instar aliorum duabus in die horis observabis, per XXXIII. dies continuos, ad honorem annorum vitae Christi: & interim quotidie communicabis. Et postea quoad vixeris omni die semel caelesti sponso tuo per hoc idem exercitium mane, aut alio congruo tempore te resignabis, offeres, & absque ullo medio purissime unies: septimum nihilo minus exercitium etiam supra dictum nunquam deserturus: ad laudem Dei sublimis, & gloriosi, in secula benedicti. Amen.

FINIS.



HYMNUS S. CASIMIRI

AD

B. VIRGINEM MARIAM

Per dies hebdomadae distributus.

DOMINICA.

Omni die dic Mariae
  Mea laudes anima.
Ejus festa, ejus gesta,
  Cole splendidissima.
Contemplare, & mirare
  Ejus celsitudinem:
Dic felicem genitricem
  Dic beatam Virginem,
Ipsam cole, ut de mole
  Criminum te liberet:
Hanc appella, ne procella
  Vitiorum superet.
Haec persona nobis dona
  Contulit caelestia.
Haec regina nos divina
  Collustravit gratia.
Lingua mea, dic trophaea
  Virginis puerperae;
Quae inflictum maledictum
  Miro transfert germine.
Sine fine dic Reginae
  Mundi, laudum cantica.
Ejus bona semper sona,
  Semper illam praedica.
Omnes mei sensus ei
  Personate gloriam:
Frequentate tam beatae
  Virginis memoriam.
Nullus certe tam disertae
  Extat eloquentiae,
Ut condignos promat hymnos
  Ejus excellentiae.
Omnes laudent, unde gaudent,
  Matrem Dei Virginem:
Nullus fingat, quod attingat
  Ejus celsitudinem.
Nemo dicet, quantum licet,
  Laudum ejus merita:
Ejus cuncta sunt creata
  Ditioni subdita:
Sed necesse, quod prodesse
  Piis constat mentibus,
Ut intendant quod impendant
  In ipsius laudibus.

Quamvis sciam, quod Mariam
Nemo digne praedicet;
Tamen vanus, & insanus
Quisquis illam reticet.
Cujus vita erudita,
Disciplina caelica
Argumenta, & figmenta
Destruit haeretica.
Cujus mores, tanquam flores
Exornant Ecclesiam:
Actiones, & sermones
Miram praestant gratiam.
Evae crimen nobis limen
Paradisi clauserat:
Haec dum credit, & obedit,
Caeli claustra reserat.
Propter Evam homo saevam
Accepit sententiam:
Per Mariam habet viam,
Quae ducit ad patriam.
Haec amanda, & laudanda
Cunctis specialiter:
Venerari, praedicari
Eam decet jugiter.
Ipsam posce, quam agnosce,
Posse prorsus omnia:
Ut evellat, & repellat,
Quae sunt nobis noxia
Ipsa donet, ut quod monet
Natus ejus, faciam.
Ut finita carnis vita,
Laetus hunc aspiciam.
O cunctarum foeminarum
Decus, atque gloria!
Quam electam, & erectam
Scimus super omnia.
Clemens audi, tuae laudi
Quos intentos conspicis.
Munda reos, & fac eos
Donis dignos caelicis.
Virga Jesse, spes oppressae
Mentis, & refugium.
Decus mundi, lux profundi,
Domini Sacrarium.
Vitae forma, morum norma,
Plenitudo gratiae:
Dei templum, & exemplum
Totius justitiae.
Virgo salve, per quam valvae
Caeli patent miseris,
Quam nec flexit, nec allexit,
Fraus serpentis veteris.
Generosa, & formosa,
David proles inclyta,
Quam elegit rex, qui regit,
Et creavit omnia,
Gemma decens, rosa recens,
Castitatis lilium,
Castum chorum ad caelorum
Quae perducis gaudium,
Actionis, & sermonis,
Facultatem tribue,
Ut tuorum meritorum
Laudes promam strenue.
Opto nimis, & imprimis,
Des mihi memoriam,
Ut decenter, & frequenter
Tuam cantem gloriam.
Quamvis muta, & polluta
Mea sciam labia,
Praesumendum, nec silendum
Est de tua gloria.
Virgo gaude, omni laude
Digna, & praeconio;
Quae damnatis libertatis
Facta es occasio.
Semper munda, & foecunda
Virgo tu puerpera:

Ma-

Mater alma, velut palma
Florens, & fructifera.
Cujus flore, & odore
Recreari cupimus;
Cujus fructu nos a luctu
Liberari credimus.
Pulchra tota, sine nota
Cujuscumque maculae,
Fac nos mundos, & jucundos
Te laudare sedule.

FERIA SECUNDA.

O Beata, per quam data
Nova mundo gaudia,
Et aperta fide certa
Regna sunt caelestia.
Per te mundus laetabundus
Novo fulget lumine,
Antiquarum tenebrarum
Expulsa caligine.
Nunc potentes sunt egentes,
Sicut olim dixeras:
Et egeni fiunt pleni,
Ut tu prophetaveras.
Per te morum nunc pravorum
Relinquuntur devia:
Perversarum doctrinarum
Nulla sunt praestigia;
Mundi fluxus, atque luxus
Docuisti spernere,
Deum quaeri, carnem teri,
Vitiis resistere.
Mentis cursum tendi sursum
Pietatis studio:
Corpus angi, motus frangi
Pro caelesti praemio.
Tu portasti intra casti
Ventris claustra dominum
Redemptorem, ad honorem
Nos reformans pristinum.
Mater facta, sed intacta
Genuisti filium,
Regem verum, atque rerum
Creatorem omnium.
Benedicta, per quam victa
Mortis est versutia:
Destitutis spe salutis
Datur indulgentia.
Benedictus rex invictus,
Cujus mater diceris:
Qui creatus ex te natus
Nostri salus generis.
Reparatrix, consolatrix
Desperantis animae:
A pressura, quae ventura
Malis est, nos redime.
Pro me pete, ut quiete
Sempiterna perfruar:
Ne tormentis comburentis
Stagni miser obruar.
Quod requiro, quod suspiro,
Mea sana vulnera:
Et da menti tu poscenti
Gratiarum munera.
Ut sim castus, & modestus,
Dulcis, blandus, sobrius,
Pius, rectus, circumspectus,
Simultatis nescius.
Eruditus, & munitus
Divinis eloquiis,
Timoratus, & ornatus
Sanctis exercitiis,
Constans, gravis, & suavis,
Benignus, amabilis,

Sim-

Simplex, purus, & maturus,
Patiens, & humilis.
Corde prudens, ore studens
Veritatem dicere.
Malum nolens, Deum colens
Pio semper opere.
Esto tutrix, & adjutrix
Christiani populi,
Pacem praesta, ne molesta
Nos perturbent saeculi.
Salutaris stella maris
Summis digna laudibus:
Quæ præcellis cunctis stellis,
Atque luminaribus,
Tua dulci prece fulci
Supplices, & refove;
Quidquid gravat, vel depravat
Mentes nostras, remove.
Virgo gaude, quod de fraude
Daemonis nos liberas,
Dum in vera, & sincera
Carne Deum generas.
Illibata, sed dotata
Caelesti progenie,
Gravidata, nec privata
Flore pudicitiae.
Nam quod eras perseveras,
Dum intacta generas:
Illum tractans, atque lactans,
Per quem facta fueras.
Mihi maesto nunc adesto,
Dans perenne gaudium.
Dona quaeso mihi laeso
Optatum remedium.
Commendare me dignare
Christo tuo filio.
Ut non cadam, sed evadam
De mundi naufragio.
Fac me mitem, pelle litem,
Compesce lasciviam:
Contra crimen da munimen
Et mentis constantiam.
Non me liget, nec fatiget
Saeculi cupiditas,
Quae indurat, & obscurat
Mentes sibi subditas.
Numquam ira, nunquam dira
Me vincat elatio;
Quae multorum fit malorum
Frequenter occasio.

FERIA TERTIA.

ORa Deum, ut cor meum
Sua fervet gratia;
Ne antiquus inimicus
Seminet zizania.
Da levamen, & juvamen
Tuum illis jugiter,
Tua festa, sive gesta
Qui colant alacriter.
Da virtutum mihi scutum,
Ne in bello concidam:
Fidem rectam, spem robustam,
Charitatem fervidam.
Maris stella, interpella
Quem portasti utero;
Ut hoc mare transmeare
Cursu donet prospero.
Det timorem, & amorem
Sui semper nominis:
Donet pacem, & fornacem
Extinguat libidinis.
Castitatis, pietatis
Munimenta conferat.

Ad-

Adsit rector, & protector
Ne me umquam deserat.
O praeclara, viam para
Ad caeleſtem patriam.
Sic me ſana, ut mundana
Gaudia deſpiciam.
Mater bona, meis dona
Requiem parentibus:
Ora cunctis pro defunctis
Notis, & affinibus.
Nunc egenum fac ad plenum
Pervenire gaudium:
Ut amare, & laudare
Tuum poſſim filium.
Meos notos fac devotos
Piis ſemper actibus:
Ut mandatis veritatis
Totis inſtent viribus.
Mala pelle, & refelle
Daemonum verſutias.
Spiritales, & carnales
Compeſce nequitias.
Virgo lenis de catenis
Criminum nos eripe,
Ut ſoluti ſimus tuti,
Victo mortis principe.
Adjutricem, & nutricem
Te ubique ſentiant,
Qui foelicem genitricem
Dei te pronunciant.
Splendor patris, factor matris,
Jeſu, noſtra gloria,
Da ut fiam per Mariam
Tua dignus gratia.
Mater Chriſti, quae tuliſti
Sacris hunc viſceribus,
Abſque viro, partu miro,
Quo pax datur gentibus,
Condeſcendens, & impendens
Miſeris auxilium,
Hunc aſpectum, hunc affectum
Dirige propitium.
Virgo mitis, quae contritis
Spem largiris veniae,
Poſce Deum, ut trophaeum
Suae det Eccleſiae.
Dona pacem, & fallacem
Inimicum contere,
Ne ignitis hic ſagittis
Poſſit nos elidere.
Jucundare, quae portare
Meruiſti dominum,
Mundi lucem, vitae ducem,
Salvatorem omnium.
Alter partus gravat artus,
Invenit ſuſpiria:
Finem tuus pellit luctus
Dans aeterna gaudia.
Aliarum foeminarum
Proles fletu funditur:
Partus iſte nil ſcit triſte,
Ubi Deus naſcitur.
O quam laetis a prophetis
Es laudata vocibus,
Hoc ſecretum, quod completum
In te eſt, mirantibus.
Te beatam, te praelatam
Cunctis eſſe docuit,
Cum ſuave illud Ave
Gabriel aperuit.
Tu portaſti, & lactaſti,
Benedicta domina,
Quem adorat, quem honorat
Trina rerum machina.
Adorabas, & lactabas
Deum factum hominem.
Qui nos lavit, & ſalvavit
Suum ponens ſanguinem

Va-

Vagientem, & lactentem
Confovebas gremio.
Servi ille, tu ancillae
Functa es officio.
Tu vescentis, & docentis
Usa es praesentia:
Te sciente, & vidente,
Fecit mirabilia.
Te praesente, & monente
Consecravit nuptias:
Quando vino repentino
Sex implevit hydrias.

FERIA QUARTA.

TU divinae disciplinae
Pascebaris gratia:
Cum in crucem suum ducem
Gens levavit pessima.
Quot lamenta, quot tormenta,
Quanti tui gemitus!
Cum Rex caeli tam crudeli
Morti esset traditus.
Corde tristi pertulisti
Passionis gladium;
Cum irrisum, & occisum
Tuum cernis filium.
Nam Rex magnus velut agnus
Immolari voluit:
Et per crucem nobis lucem,
Et salutem attulit.
Cujus poena nos ad regna
Provehit caelestia.
Crux virtutis, & salutis
Fit certa fiducia.
Mundum regens velut egens
Visus est incredulis:
Ut per formam servi normam
Vitae daret servulis.
Rex immensus est suspensus
Crucis in patibulo,
A poenarum aeternarum
Nos salvans periculo.
Pius Iesus flagris caesus,
Et corona spinea
Coronatus, & in latus
Est transfixus lancea.
Qui effingens chaos ingens
Spoliavit inferos:
Fractis portis dirae mortis,
Vinctos fecit liberos.
O quam laeta es effecta,
Die facta tertia;
Cum Rex fortis victae mortis
Attulit indicia.
Nam antiquum inimicum
Diris stringens vinculis,
Se videndum, & tangendum
Praebuit discipulis.
Quis mirari, quisve fari
Tuum posset gaudium:
Quando moestis Rex caelestis
Pacis dedit nuncium?
Unde tibi laus ascribi
Debet, atque gloria
Quod tantorum gaudiorum
Facta es materia.
Post tot signa, quae tu digna
Meruisti cernere,
Ad paternum vides thronum
Filium ascendere:
Cui juncta super cuncta
Potestatem obtines,
Omnes soli, omnes poli
Supergressa ordines.

O Regina huc inclina
Piae mentis lumina ;
Et exscusa prece fusa
Servulorum crimina.
Jam sublimis facta nimis
Manes juxta filium
Celsa sede, intercede
Pro salute omnium.
Nos conforta, & reporta
Munus indulgentiae ;
Et reformes nos enormes
Ad statum justitiae.
Maris stella, Dei cella,
Virtutisque speculum ;
Quam miratur, & precatur
Universum saeculum,
Da ut queam mentem meam
Emundare vitiis ;
Exercendo, & colendo
Sacris eam studiis.
Dona, inquam, ut jam vincam
Tentamenta daemonum :
Nec permittas, per sagittas
Me perire criminum.
O decora, Deum ora,
Ut det mihi gratiam :
Adsit custos, ne robustos
Meos hostes sentiam.
Curam habe, ut a labe
Criminum purificer.
Fac me rectum, & perfectum,
Fac beatum jugiter.
Pravus hostis nos intortis
Inquietat jaculis :
Tu resiste, nec nos iste
Suis trahat vinculis.
Dona pacem, per quam vacem
Divinis obsequiis :
Ne per curas perituras
Veris priver gaudiis.
O quam pravi, & ignavi
Sunt, qui mundum diligunt!
Nec attendunt cui se vendunt
Hi, qui Deum negligunt.
Vere caecus, & ut pecus
Expers est scientiae,
Quē delectat hoc, quod spectat
In valle miseriae.
Nam quē fructum nisi luctum
Praestant mundi gaudia ?
Cujus cura gignit dura
Miseris supplicia.

FERIA QUINTA.

Rex virtutū, cujus nutū
Nihil potest fallere :
Nos tuere, atque verae
Lucis dita munere.
En jejunus a te munus
Peto, ne deficiam ;
Ut sacrarum Scripturarum
Mihi des scientiam.
Micas panis velut canis
Mihi dari postulo ;
Et quod quaero, tuo spero
Te daturum servulo.
Rex benigne, fac me digne
Matrem tuam colere ;
Quae portavit, & lactavit
Te sacrato ubere.
Da virtutem, ut refutem
Omnem immunditiam :
Fac me mitem, ut devitem
Iram, & stultitiam.

He-

Honestorum mihi morum
Praesta elegantiam ;
Ut honestus, & modestus
In bono proficiam.
Sic nociva incentiva
Sopiantur corporis,
Quod frigescant, & quiescant
Pravi motus pectoris.
Sit serena mens, & plena
Spiritali gaudio,
Illustrata, & purgata
Verae lucis radio.
Stella maris, quae ignaris
Subvenis, & perditis :
In hoc solo nos a malo
Salva tuis meritis.
Nec a maris patiaris
Absorberi fluctibus,
Qui extollunt, atque colunt
Te devotis mentibus.
Virgo mitis ab ignitis
Jaculis nos libera :
Quibus cadũt, qui non vadũt
Per tua itinera.
Clamat reus, vide, Deus,
Daemonis astutiam :
Pelle dolum, ut te solum
Pura mente cupiam.
Jesu bone, sic dispone
Horam mei transitus :
Vt ad chorum electorum
Meus pergat spiritus.
Dux sanctorum, spes lapsorum
Virgo mater Domini ;
Per quam vita restituta
Est perennis homini,
Gemebundo corde, fundo
Preces ad te, Domina.
Namque gravi, quam patravi,
Valde premor sarcina.
Solve moles, sicut soles,
Quibus pressus teneor,
Et excusa, prece fusa,
Lapsus, quos confiteor.
Dolor ingens me stringens
Vehementer cruciat.
Culpae telum cor anhelum
Siquidem dilaniat.
Parce flenti, & dolenti,
Summe rerum arbiter ;
Nam mandata per te data
Sum trangressus nequiter.
Erubesco, & tabesco,
Tuam timens faciem.
Cum meorum delictorum
Perpendo congeriem,
Ingens fletus atque metus
Meam turbat animam :
Pavet sensus, dum suspensus
Horam pensat ultimam.
Quis futurus est securus
In illo examine,
Quãdo patẽt, quae nunc latẽt,
Arguente lumine ?
Quo dolore, quo moerore
Detinentur miseri,
Qui abyssis pro commissis
Submergentur inferi !
Rex, quid egi, quo impegi
Quo infoelix cecidi ?
Quẽ deducunt, quẽ seducunt
Fraudes hostis perfidi.
Ad quẽ tendã, ut tremendam
Evadam sententiam ?
Quẽ requiram, per quẽ iram
Judicis effugiam?
Beatarum foeminarum,
Virgo beatissima,

Illum

Illū gerens, qui nos quaerens
Visitavit infima;
O Maria, qua sophia
Prodiit altissimi,
Ut credendo, & sequendo
Posset homo redimi,
Formidandum redde blandum
Judicem supplicibus,
Ne iratus, ob reatus
Saevis tradat ignibus.
Caeli scala, fac me mala,
Quae impugnant, vincere,
Et in bono, quod propono,
Constanter persistere.

FERIA SEXTA.

NUnquā sinas in me spinas
Vitiorum crescere;
Sed ad fructum nos virtutum
Dones semper tendere.
Clemens dona, ut patrona
Velis esse misero,
Ut sis mecum, cum ad aequum
Tribunal processero.
Supplicando me commendo,
Tuo patrocinio,
Ne rex fortis dirae mortis
Tradat me supplicio.
Preces funde, & responde
Pro me ante judicem.
Nam offensae sunt immensae
Quae accusant supplicem.
Desperarem, si pensarem
Mea tantum merita,
Nec audissem, nec sensissem
Tanta bona praestita.
Mater alma, tuis salva
Precibus hunc miserum,
Quem subegit, & confregit
Magna moles scelerum.
A peccatis, & a mortis
Libera praepositis,
Te poscentem, & habentem
Spem in tuis meritis.
Virgo lenis, a terrenis
Munda nos affectibus:
Ac cunctorum delictorum
Nos absolve nexibus.
Paradisi, quo dimissi
Exulamus, aditum
Nobis pande, quod ob grande
Nimis potes meritum.
Illic patrem, atque matrem
Mecum fac constitui,
Et bonorum aeternorum
Ubertate perfrui.
Mater agni, qui tyranni
Victor coepit spolia,
Quo elisi, paradisi
Caremus laetitia,
Noxas dele parentelae
Meae tuis precibus;
Et da cunctis mihi junctis
Frui bonis omnibus.
Virgo sancta, mater casta,
David proles inclyta.
Pia prece nos de faece
Peccatorum suscita.
Proles Jesse, per quam fessae
Roborantur animae:
Fac nos fortes, & cohortes
Tenebrarum comprime.
Ab his telis tu nos velis
Supplices defendere,

Qui-

Quibus perit, quisquis quaerit
Carni satisfacere.
Virgo lenis, nos a poenis
Salva gehennalibus;
Nec inferni nos subterni
Sinas cruciatibus.
Vitam laetam, & quietam
Fac nos semper agere:
Vt virtutis, & salutis
Gaudeamus munere.
Supplex oro, ut in choro
Te sanctorum videam,
Vt divinae sine fine
Dono lucis gaudeam.
O quam grata, & beata
Tua est memoria!
Actiones, & sermones
Tui sunt remedia.
Gratulamur, & conamur
Laudes tuas canere,
Quamvis totum cor devotum
Nequeat exprimere:
Sic est densa, sic immensa
Laudis tuae copia,
Vt profunda, & foecunda
Succumbant ingenia.
Nemo praebet quantum debet
Laudes tuae gloriae,
Qua processit, qui repressit
Authorem malitiae.
Benedicta, quae devicta
Vana carnis gloria,
Æternorum gaudiorum
Extitisti nuncia.
Benedictus, qui affixus
Crucis in patibulo
Nos salvavit, & donavit
Pacem suo populo.
Virgo mitis, infinitis
Praedicanda laudibus,
Tuum natum fac placatum
Cunctis te colentibus.
Da perfectum intellectum
Quo devitem noxia.
Fac me nosse, & da posse
Quaeque sunt utilia.
Curam gere, ut sincere
Conversari studeam,
Vt devotus, carnis motus
Spiritu coerceam,
Mater Dei, preces ei
Funde, qui nos muniat.
Preces funde, ut secundae
Quaeque res eveniant.

S A B A T O.

Virgo lenis, a venenis
Draconis me libera:
Cujus doli celsa poli
Labefactant sydera.
Pensa, pensa, quam immensa
Mihi sit fragilitas.
Quam antiquum inimicum
Mea fert humanitas.
Dei aula, circumvalla
Tuo nos munimine.
Reos solve, justos fove,
Imbecilles sustine,
Judex juste, rogamus te
Vt des cunctis veniam,
Qui Mariae matris tuae,
Diligunt memoriam.
Jesse proles, solve moles,
Quae me premunt, scelerum.
In-

Intuere, & medere
Morbis te poscentium.
Truculentus, & cruentus
Hostis instat nimium.
Nempe certat, ut subvertat
Me per carnis vitium.
Nunc latenter, nunc patenter
Non cessat irruere:
Quaerens artẽ, quaerens partẽ,
Quam possit subrepere.
Conservare me dignare
Gloriosa domina:
Et elide homicidae
Furentis conamina.
Sermo vanus, & insanus,
Mihi non subripiat.
Non auditus, non pruritus
Gulae me dejiciat.
Non me tactus, aut olfactus
Ad peccandum provocet.
Non me visus, non me risus,
Vel furor praecipitet.
Gemebundus fero pondus
Culparum ingentium.
His solutum ad virtutum
Trahe me fastigium.
Alma Virgo, supplex rogo
Tuam excellentiam,
Ut aeternam per te cernam
Tui nati gloriam.
Fons virtutum, da ut lutum
Vitiorum deseram.
Mentis visum, atque nisum
Ad superna transferam.
O Maria, vitae via,
Plena Dei gratia,
Inter Deum, & hunc reum
Precor ut sis media.
Funde precem, ne in necem
Decidam perpetuam.
Ut sim castus, atque fastus
Mundi hujus respuam.
Ille ductor, & instructor
Adsit mihi spiritus,
Qui te mundam, & foecundam
Fecit esse caelitus.
Ille, inquam, ne delinquam,
Me conservet gratia,
Qua replevit te, qui flevit
Inter tua brachia.
Meum pectus sic affectus
Charitatis impleat:
Ut ab eo, quidquid Deo
Displicet, removeat.
Maris stella, seda bella,
Seda malos homines.
Ne nos mergant, aut dispergãt
Mundi hujus turbines.
Corde laeto, tuo peto
Salvari suffragio;
Et postremo, in supremo
Collocari gaudio.
Dei mater fac gratanter
Tua nos solemnia
Celebrare, & vitare
Carnis desideria.
Meam vitam fac munitam
Fide, & operibus:
Ut ad coenam intrem plenam
Bonis immortalibus.
Mater Dei, nostrae spei
Causa, & exordium,
Posce natum, ut optatum
Nobis det remedium.
De mortalis vitae malis
Me dignanter erue:
Et post mortem dona sortem
Quietis perpetuae.

Pro meorum propinquorum
  Salute te postulo;
Vt laetentur, & salventur
  Ab omni periculo.
Meis charis largiaris
  Iam defunctis veniam;
Et cunctorum commodorum
  His, qui vivunt, copiam.
Illis precum dona mecum
  Tuarum suffragia.
Ut moderna, & aeterna
  Fruantur laetitia.
O Maria, mater pia,
  Tuum da subsidium,
Quo vincamus, & vivamus
  In terra viventium.
Da medelam, & tutelam
  Cunctis te colentibus,
Pacem bonam, & coronam
  Cum supernis civibus.
Pater Deus, Fili Deus,
  Deus alme spiritus,
Per aeterna nos guberna
  Deus unus saecula.
    Amen.

FINIS.

ERRA-

ERRATA CORRIGE

Pag. 287.	l. 2.	marg.	Chriſtum	in Chriſtum
355.	l. 2.	marg.	ſpiritu	a Spiritu
447.	l. 1.		verum	unum

